# CONCIONES

## DE PRÆCIPVIS SANCTORVM FESTIS, A FESTO BEATISSIMÆ MARIÆ MAGDALENÆ, vsque ad finem anni.

*Autore* R. P. F. LVDOVICO GRANATENSI,
*Sacræ Theologiæ professore, monacho*
*Dominicano.*

Mirabilis DEVS in SANCTIS suis. *Psalm.* 47.

Cum viro sancto assiduus esto, quemcumque obseruaueris timentem Dominum. *Ecclesiast.* 37.




VED NVNDANTVR PARIIS,
Apud Adrianum Perier in Vico Bellouaco.

M. D. LXXXV.



# IN FESTO BEATÆ MARIÆ MAGDALENÆ

## CONCIO PRIMA.

### In qua lectio Euangelica explanatur.

THEM. *Lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & unguento ungebat.* Lucæ 7.

ARISTOTELIS sententia est, non omnes auditores ad quoduis doctrinæ genus idoneos esse, sed pro dignitate doctrinæ debere auditorũ ingenia accommodari. Vndè colligit, adolescentes, qui pro ætatis ratione turbulentis animi moribus exagitãtur, ad eam philosophiæ partem, quæ de virtutum natura tractat (quam Ethicen appellat) percipiendam (quippe quæ sedatum animum requirit) minimè idoneos esse. Cum igitur de mirabili peccatricis mulieris cõuersione & pœnitentia nobis hodie dicendum sit, auditores certè requirimus veræ pœnitentiæ studiosos, & qui flere magis quàm audire parati sint. Hoc enim animo D. Gregorius ad hoc ipsum argumentum tractandum accessit, cùm orationẽ suam sic exorsus est: Cogitanti mihi de Mariæ pœnitentia, flere magis libet quàm aliquid dicere. Cuius enim vel saxeũ pectus ista huius peccatricis lachrymę ad exemplum pœnitentiæ nõ emolliant? Quod si non eodem nos animo ad audiendum, quo beatus hic pater ad dicendum conuenerimus, frustra insignis hæc mulieris pœnitentia, singularique erga illam Domini misericordia nobis ante oculos ponetur. Vix enim tanto ipso ad pœnitendum exemplo commouebimur, & tanta illa Domini misericordia ad sperandam veniam excitabimur. Quia verò hoc pręstare non quidem opis nostræ, sed diuinæ gratiæ munus & beneficium est, ideò hanc à Patre misericordiarum, beatissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus. *Greg.*

AVE MARIA.

Inter omnes humanæ vitæ miſerias non poſtremum locum obtinet illa, quòd homo per ſe quidem labi poteſt in peccatũ, lapſus verò ſurgere, per ſe nõ poteſt, niſi ſingulari Dei ope atq; auxilio iuuetur: Sic enim Saluator ait: Nemo poteſt venire ad me, niſi pater, qui miſit me traxerit eum. Hieremias quoque Scio, inquit, Domine, ꝙ non eſt hominis via eius, neque viri eſt vt ambulet, & dirigat greſſus ſuos. Seras quarundam portarum videmus ea arte fabrefactas, vt ſine clauibus quidẽ obſerari valeant, ſine illis autem aperire nequeant: ad hũc ergo modum homo per ſe, ſine alicuius patrocinio, ruere in crimen poteſt, per ſe tamen, ſine Chriſti ope, & Eccleſiæ clauibus, ab eo emergere nullo modo poteſt. Sunt auiculæ quædam oblongis alis, perniciſſimiq́ue volatus, quæ ſi caſu in terram deciderint, aſſurgere, ac volatum reſumere non poſſunt, quòd alarum longitudo terram contingẽs, conatum ad volandum impediat: Id quod iuſtis etiam in peccatum lapſis contingit: qui quamuis in cælum ſeſe diuini Spiritus alis attollant, in peccatũ tamẽ lapſi, niſi Deo opem ferente, & ad gratiam excitante nullo modo eò redire poſſunt vnde corruerunt. Id autem planum fiet, ſi duo loca iniuſti hominis lapſu cõſideremus: alterum, vnde cecidit: alterum, quò cadendo peruenit. Conſtat enim iuſtum cùm labitur, è cælo in abyſſum decidere: qui enim decretus erat ciuis Sanctorum, & domeſticus Dei, & in libro vitę conſcriptus, ex hoc tunc libro deletur, & inferorum regno, quãdiu ita permanet, aſcribitur. Quis ergo illum ab inferis eductum cælo reſtituere valeat, niſi qui inferorũ & cælorum claues habet? Prętera, ſi peccatum, cum cõſummatũ fuerit, generat mortẽ (quãdo per illud veram animę noſtrę vitam Deum amittimus) quis mortuum ad vitam reuocare poterit, niſi ille, qui eſt vita, & reſurrectio mortuorum? Si vir item iuſtus eſſe dicitur lucerna ardens & lucens: quòd fide luceat, & charitate ardeat: quis ardentem hanc lucernam flagitiis extinctã niſi Spiritus ſanctus, (per quẽ charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris) accendere poterit? Rurſum, ſi omnis pulchritudo quę ab intus in fimbriis aureis in mentibus fulget, eiuſdem diuini ſpiritus opus & beneficium eſt, qui miris illam donorũ ſuorũ coloribus decorauit, qs amiſſam renouare valeat, niſi qui ſolus gratiam donat? Atq; vt hoc ipſum apertius videamus, conſtat planè, neminem ex iniuſto fieri iuſtũ, niſi is peccatum ſuper omnia deteſtetur, illũdque ſupra omnia vitare cõſtituat: hęc verò duo habere nemo poteſt niſi Deũ diligat ſuper omnia. Hęc enim tria, dilectio Dei ſuper omnia

Ioan. 6.

Hie. 10.

Simile.

Simile.

Iacob. 5.

Roma. 5.

omnia,odiũ peccati,& propositũ eius omni opera & studio ... tandi,ita se mutuo cõsequuntur, & alterũ sine altero cõsistere nullo modo queat.At huiusmodi dilectionẽ,post naturę lapsũ, nemo nisi præsente Dei ope adiutus,habere potest,vt D.Tho. aptissimè docet.Occurrit enim inter omnia primo loco homo ipse sibi ... supra Deũ,& supra cætera omnia diligit.Cũ enim naturę lapsum audis,hominẽ intellige,qui rectº à Deo cõditº fuerat(hoc est,ita cõstitutus,vt primo loco conditorẽ, deinde seipsum diligeret)sic per peccatum inuersum & immutatũ, vt is primo quidẽ loco se,deinde cætera quę ad se;hoc est,ad vitę cultum & voluptatem pertinent,amore summo prosequatur. Quemadmodum enim aqua quæ fistu æ alicuius artificio sursum agitur,ea dissoluta,vi sua atq; põdere ad ima relabitur:ita planè amor hominis qui ante communem illã generis humani ruinam originalis iustitiæ beneficio recta tẽdebat in Deũ, amissa per peccatum iustitia,ad seipsum,hoc est,ad hominem deflexus atq; curuatus fuit:vt homo iã nisi supernaturali Dei ope iuuetur,non possit non se super omnia,supraq; Deũ diligere.Quanta sit autẽ amoris huius vis,vel hoc indicio licebit vtcũque cognoscere quodnõ raro in historiis legimus(matres quarũ erga paruulos filios tenerrimus ac vehemẽtissimº amor est)cùm fame premerentur:ipsos interemisse,vt eorũ carnibus deficientem vitam sustinerent:tantus vnicuiq; nostrum sui ipsius amor ingeneratº est.Hæc igitur tãta erga se amoris vis in causa est,vt nemo Deũ supra se,sine singulari eius ope,diligere queat:sine hac verò Dei electiõe neq; vera cõtritio,neq; firmum sceleris vitãdi propositum,ac proinde neque iustificatio constare potest. Qua in re apparet,vt antè diximus verè deploranda hominis miseria:qui adeò potens ad iniquitatẽ, adeoq; impotens ad pietatem & iustitiam existit. Per se enim à Deo recedere,non autem per se ad illum redire per se in peccati barathrum ruere,non autem per se ab illo emergere valet,quemadmodum ipse per se sibi mortem inferre,non tamen illatam auferre potest.Vnde cùm talibus quotidie cõcionatores Dei iudicium,mortem,incertum vitæ exitum diuinæ iustitiæ seueritatem,supplicia improbis constituta,præmia bonis proposita,ipsumq; Dei filium in cruce pẽdentẽ,& morte sua peccati malitiã prædicantẽ ob oculos ponant,nihilo tamẽ magis his tantis fulminibus cõmouẽtur,ac si nulla ratione ad ipsos pertinerẽt. Imò verò si coram oculis eorum innumera siue miracula siue supplicia,siue Dei beneficia spectãda proposueris,nisi speciale Dei auxilium adsit nihil omnia hæc ad mortuam in peccato an-

*D.Thom.*

*simile.*

mã meritandã profuerint. Quot enim miracula Saluator in cõ ſpectu Iudæorũ edidit? quæ verò ex hoc niſi crucis ſuppliciũ reportauit? Quot plagis idẽ Pharaonẽ attriuit? at poſt filiorũ quoq; interitũ adhuc obſtinato animo populũ Deo propugnatore tutũ inſectatus eſt. Quot beneficiis eundẽ populũ Dñs in deſerto affecit. Quid deinde? In omnib⁹, inquit, his peccauerũt adhuc, nec ſperauerũt in ſalutari eius. Poſt hæc nãque omnia, vitulũ fabricati ſunt, eique diuinos honores tribuerunt. Videtis ergo ſine interna Dei ope, externa omnia ſalutẽ minimè cõferre? Quæ cũ dicimus, fratres, nulli ſalutis ſuæ deſperationem iniicere, ſed illud oſtẽdere volumus, à quo hæc gratia petenda ſit cũ abeſt, cuique accepta referenda cũ adeſt. Simul etiã hac ratione peccati metũ immittere vobis cupimus, à quo (ſi in illud fortè ruatis) niſi De⁹ manũ porrigat, exurgere nõ poteſtis. Et quamuis certũ ſit, illũ mihi propter infinitã bonitatẽ & miſericordiã ſuã nunquã defuturum incertus tamen ego ſum an illi vocãti ſim reſponſurus, cũ liberum mihi ſit repugnare, cuique hactenus tamdiu repugnaui: quandiu in ſcelere perſtiti, & ad vocantis clamorem obſurdui.

*Pſal. 77.*

I.

Quæret autem aliquis fortaſſe, quònã modo Deus hoc tantum opus efficiat, vt homo qui hactenus peccati ſeruus gehennæ hæres, Dei hoſtis, diaboli mancipium ad domiciliũ erat, repentè in Dei amicum & filium regnique cæleſtis hæredem, & Spiritus ſancti ſacrarium euadat: & qui vas erat contumelię, in vas honoris & gloriæ tranſferatur? Eſt hæc res inueſtigatione quidem digniſſima, neq; tamẽ ita facilis ad intelligendum. Vnigenitus tamen Dei filius, arcanorum diuinorum interpres, aditum nobis patefecit, quo veluti per rimulam quandam hoc arcanum intueremur. Vbi enim dixiſſet: Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eũ protinus, quemadmodum à patre homines traherentur, ſubindicauit, his verbis: Eſt ſcriptum in Prophetis: Erũt omnes docibiles Dei. Omnis ergo qui audit à patre, & didicit, venit ad me. Ad cuius rei intelligentiam illud in primis ſtatuẽdũ eſt, homines qui à Deo recedẽtes in peccatũ lapſi ſunt, in obſcuriſſimis interni hominis tenebris & caligine verſari, vt qui diuinę gratiæ lumẽ, quo ſpiritualia atq; diuina cernuntur, amiſerint. Vt enim Samſon cùm primùm in Philiſthæorũ manus incidit, luminib⁹ orbatus eſt: ita vbi primũ homo in poteſtatẽ hoſtis antiqui venit diuinę gratiæ lumẽ amittit: atq; ita cęcus ad diuina cõtuẽda relinquitur. Quam quidẽ rẽ notiſſimo Dauidis exẽplo comprobare licet:

*Ioan. 6.*

*Simile. Iudic.*

vnius

vnius enim ferè anni ſpacio cęcus iacuit in peccato, cũ ad illu minandas eius tenebras Nathan Propheta miſſus à Deo fuit. 2. Re. 12. Natus enim iã erat infans ex adulterio ſuſceptus, cuius mor tẽ in nefarij criminis vltionẽ Propheta fuit vaticinatus: vt hac ratione liqueat, quanta ſit peccãtis cæcitas, quæ ſanctiſſimum alioqui virũ tamdiu mortifero ſomno ſepultũ tenuit, omnisq; ſpiritualis ſenſus expertẽ effecit? à quo niſi immẽſa Dei miſeri cordia excitat⁹ fuiſſet, euigilare nullo modo potuiſſet. Quę res profectò mihi maximè mirabilis apparet. Quid enim mirabilius, quàm virũ ſanctiſſimũ, & inter Prophetas clariſſimum cui Dominus incerta & occulta ſapientię ſuę manifeſtarat quiq; toties admirandis Dei beneficiis à morte liberatus, & ad regiã dignitatem euectus fuerat, potuiſſe integro anno myſteriorũ & beneficiorũ, ſuiq; ipſius oblitum permanere? Hoc igitur indi cio, in quã profundis tenebris, & obſcura nocte verſentur, qui peccati iugo premuntur, apertiſſimè colligitur. Hinc Saluator ait. His qui foris ſunt, omnia in parabolis fiunt, hoc eſt, his qui nõdum ad diuinę gratię lumen admiſſi ſunt quæcunq; de diui nis reb⁹ audiũt, quãlibet apertiſſima, ſint parabolæ, hoc eſt res obſcurę & incognitę ſunt. Siue enim illis ęterna pręmia, æter naq; ſupplicia, hue Dei iudicium, ſiue mortis metũ, ſiue Chri ſti crucem, ſiue reddendæ rationis horam ante oculos ponas, non magis hiſce tantis rebus commouentur, quàm ſi obſcura quædam ænigmata illis proponeres. Cùm igitur hæc cæcitas mentis aditum omnem ad ſalutem præcludat, vbi Dominus propter Chriſti merita, & miſericordiæ ſuæ viſcera aliquem à peccato ad iuſtitiam reuocare vult, has in primis tenebras ab anima pellit, lucemq; doctrinæ ſuæ præfert, qua homo à Deo illuminatus apertè videat, quæ antea videre minimè poterat. Huius autem cæleſtis doctrinæ luce ita mentem illuminat, vt omnis alia humanæ doctrinæ lux, huic comparata, obſcuritas eſſe videatur. Quantum enim Dei magiſteriũ humano magiſterio pręſtat, tanto hęc diuina lux omnẽ aliã lucem antecellit. Hac ergo luce collu ſtrat⁹ homo agnoſcit primò Deũ, hoc eſt, diuinæ maieſtatis, bonitatis, miſericordiæ & iuſtitiæ amplitudinem: agnoſcit etiam qui tot his atque tantis nominibus illi creaturæ ſuæ debeant, quid ab illo perceperint, quo ſeruitutis iure illi aſtricti ſint, quale ſit ſummã illã maieſtatẽ toties offen diſſe, toties aduerſus illam rebellaſſe, toties ſanctiſſimas eius leges pro rebus nihili violaſſe toties res inanes & ludicras illius maieſtati prætuliſſe: agnoſcit deinde, peccata, quæ leuiſſima antea putabat, infiniti ponderis eſſe. Primùm, quia contra

Mat. 4

Deum,cuius est maiestas infinita:deinde, quoniam beata eius visione,quod est infinitum bonum hominem priuant: postremò,quòd ad inferorum supplicia adigunt,quæ infinito spatio duratura sunt.Hac igitur ratione homo periculi sui magnitudinem,vitę turpitudinem,animæ deformitatem , peccatorum multitudinem , & pœnarum attrocitatem peccatis debitam agnoscit & horret:neque satis cæcitatem suam mirari potest, qui tot malis circumuętus,totque mònstris obsessus,tã altum dormiebat Atque vt hoc ipsum proposito exemplo clarius perspiciatis,fingite nunc animis viatorem aliquem nocte intempesta extra hospitium deprehẽsum,qui quo noctis intemperiem euadar,in specum aliquem ea nocte dormiturus ingrediatur,qui tamẽ viperis & serpẽtibus plenus sit,quos ipse tenebris impedientibus minimè videat. Hic igitur laboris itinere fatigatus,somnũ secur⁹ (vt sibi quidẽ videtur) carpet. Ac si quis fortè media nocte illuc ingrediens,facem præferat,qua totum illud antrũ illustretur,illęq; à somno excitatus, tot serpẽtibus ac viperis se vndique circũsessum videat,quo tremore concutietur,quo metu trepidabit,quo clamore persultabit,qua celeritate se in fugam præcipitẽ dabit,si qua fortè illi fugiẽdi locus pateat , relictis etiã sarcinis quas gerebat:Indignũ enim reputabit,hac de causa vel ad momentũ ibidẽ cõmorari. Talis igitur animus eorũ est,qui diuino lumine illustrati, peccati verã & germanam faciem intuentur.An nõ Ecclesiasticus hoc insinuauit,cũ ait: Quasi à facie collubri fuge peccatũ. Qui igitur hoc cælesti lumine illustratus,à tot se viperis & serpẽtibus obsessum intuetur,quot scelera cõmisit,quo horrore cõcutietur, quo dolore atque pudore afficietur:quo metu diuinæ vltionis iudicium formidabit:Si enim sanctus ille Iob,qui nullius grauioris criminis sibi conscius erat,propter leuia tamen,&quotidiana peccata(sine quibus hæc vita nõ trãsigitur)adeò acriter diuini iudicij seueritatẽ formidabat,vt diceret: Quis mihi tribuat vt in inferno protegas me,& abscõdas me,donec pertrãseat furor tuus,&c.quid is faciet,qui peccauit super numerum arenæ maris?At verò quãtus inde cõsequatur propter admissa peccata dolor,illud argumẽto esse potest,quod legim⁹ quosdã sic admissi sceleris conscientia perturbatos,vt præ doloris magnitudine vitam amiserint. Vnde quidam verus pœnitens, qui malè actæ vitæ crimina acerbissimo luctu defleuerat,ita deinceps in peccati odium exarsit,& præteriti doloris memoria excruciatus fuit,vt cùm à Satanæ ministris ad peccandum solicitatus fuisset,hæc verba iureiurando interposito proferret:Peri

*Simile.*

*Eccles.21.*

*Iob.14.*

culo

culomeo didici quã graues&acerbos doloris aculeos sceleris conscientia pariat,ideoq; si vlla ratione fieri posset,(quod tamẽ fateor impossibile esse)vt mihi Dominus cæli terręq; opes omnes polliceretur,ea lege vt lethale aliquod crimen admitterẽ, cuius veniá polliceretur,nullo modo tamen conditionẽ acciperem,ne in eam doloris magnitudinem inciderem quæ ex admissi criminis recordatione secutura esset. Hoc ergo modo pœnitentiam egerunt,quos Deus insigni gratia&auxilio ad se vocare dignatus est. Cuius rei locupletissimũ exemplũ. Dauid exhibet, qui admissi sceleris cõscientia perculsus,tanto animi dolore cõcutiebatur,vt diceret,Lauabo per singulas noctes lectum meũ,&c. pro quo Hieronymus ex Hebræo vertit: Nata re faciam per singulas noctes lectum meum. Pro eo verò quod nos legimus,Turbatus est à furore oculus meus:idem clarius vertit,Caligauit præ amaritudine oculꝰ meus. Quo significare voluit,se plorando lumen oculorum penè amisisse. Quod ipse alibi declarat,cùm ait,Lumẽ oculorum meorum& ipsum non est mecum. Sed his aliisque similibus exemplis prætermissis locupletissimum hodie exemplũ in hac beata peccatrice proponit nobis sanctus Lucas Euangelista his verbis:

*Psal.6. Hieroni.*

*Psal.37.*

II.

*Rogabat Iesum quidam Pharisæus vt manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi,discubuit. Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix.* Hoc verò commune peccatricis nomen tantam mulieris huius fuisse turpitudidẽ declarat,vt indigna esset quæ proprio nomine exprimeretur. Quid enim turpius,quàm prostitutione corporis quæstũ facere? Verùm hoc etiam nomine vsus est, vt non huius flagitij tantum,sed omniũ quoq; aliorum,quæ hoc vitium comitari solent,reã ostenderet. Duabus enim de causis à peccatis homines abstinere solẽt, hoc est,vel Dei metu,vel hominum. Vtrumque autẽ Maria perdiderat, quæ meretriciæ turpitudini vacabat: cuius est pudorem omnem & verecundiã prorsus exuisse. Cùm ergo nec Deum timeret,nec homines reuereretur:quo frœno sese ab illo scelere cõtineret? Adde,quod cùm hoc mulierum genus quotidie cum amatoribus suis vino dapibúsque sese ingurgitet, consequens est,vt libidini & intẽperãtiæ,cæterisque vitiis faces subiiceat,dum ardenti corpori fomenta ignium quotidie ministrat. Adde cõsortia perditorũ hominum,cum quibus omnis earum vita transigitur, quorũ prauis colloquiis & exemplis indies magis ac magis deprauãtur & corrumpuntur. Quocirca non immeritò mulier hæc ab Euangelista peccatrix appellatur:non solùm quòd impudicã

vitā,ſed etiam quia multis aliis flagitijs cōtaminatā degeret. Quā ſententiā D. Greg. cōfirmat, qui hanc eſſe Mariā illā credit, à qua ſeptē dęmonia à Domino eiecta fuiſſe Marcus Euāgeliſta memorat. Septē autē dæmoniorū nomine idem Sanctꝰ vniuerſitatē vitiorum, quibus mens illa erat obſeſſa, cōprehendi vult. Exaggerant autem ſancti Euangeliſtæ morbi magnitudinem, vt medici peritiam atque potentiam oſtendant.

*Gregor.*

*Marc.16*

Cùm igitur in hoc miſerando ſtatu Maria, vitæ ſuæ neſcia, Dei ſuiq́ue oblita, lethiferoq; peccati ſomno cōſopita iaceret, ſummus ille rerū omniū Dominus, (cuius immēſa miſericordia ad omnia pertingit, cuiusq; bonitas nulla ſuperari malitia poteſt) vt oſtenderet in ſeculis ſuperueniētibus abundātes diuitias gratiæ ſuæ peccatoribusq; cunctis, quālibet deſperatis, & conclamatis, ſpem ſalutis (ſi ad ſe reuerti vellent) mōſtraret, decreuit hanc animā purgare, & in hoc ſordido ſtabulo palatiū ſibi erigere, & in olido cœna paradiſum voluptatis, in quo ipſe delicijs ſuis frueretur, plantare, & ex hoc dæmonū cubili templū, inquo requieſceret, ædificare, illudq́ue implere quod per Iſaiam longè antè prædictum fuerat; In cubilibus, in quibꝰ prius dracones habitabāt, orietur viror calami & iunci, & erit ibi ſemita & via, & via ſancta vocabitur. O altitudo diuitiarū ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehēſibilia ſunt iudicia eius, & imperueſtigabiles viæ eius. Quot illo tempore feminæ Hieroſolymis erant, quę multo minora quàm Magdalena peccauerant, & nullam tamē ex his (quod ſciamus) Dominus elegit, in quam gratiæ ſuæ opes effunderet, niſi eam quā perditiſſimam & turpiſſimā eſſe ſciebat. Cui planè iudicio ſimile illud eſt, quod multi leproſi erant in Iſrael ſub Eliſeo Propheta, quorum nemo mūdatus ab eo eſt, niſi Naamā Syrus. Multę quoq; viduæ erāt ſub Elia, quando clauſum eſt cœlum annis tribus & menſibus ſex, & ad nullam illarum miſſus eſt Elias niſi in Sareptam Sidoniorum. Hæc ſunt igitur Dei iudicia; iuſta quidem ſed ſtupenda & occulta; quæ nobis non ſolùm timoris, ſed lætitiæ quoq; materiā prębere debent, ſicut ſcriptū eſt; Et exultauerunt filiæ Iudæ propter iudicia tua Domine. Quare exultauerunt? Quia cū pietas & miſericordia tua, Domine, tam latè pateat, vt ad alienigenas etiam & perditiſſimos ac profligatiſſimos homines porrigatur, ſatis hoc iudicio declaras, qualis erga pios & amicos futurus ſis, qui talis erga īprobos exiſtis, & quibus donis tibi obſequentes, & te quærentes ornabis, quitalibꝰ rebelles & nō querētes ornas. Opes itaq; in peccatores effuſę, īſtorum diuitias & felicitatem oſtendunt.

*Esai.35.*

*Rom.11.*

*4.Reg.5.*

*Pſal.96.*

Vt

Vt verò Dominus peccatricem ad se traheret:& à lethifero illo somno excitaret, facem illā(de qua sumus antè locuti) intra mentem eius prætulit,qua illuminata,vidit protinus horrendā scelerum monstra,quibus vndique obsessa erat,vidit funestam ac tetram peccati faciem,quam induerat. Quo spectaculo cōmota,& inter spem metumque dubia (idem enim spiritus,qui illum ad se trahebat,& vehementissimo propter scelerum conscientiā metu concutiebat, & inter timoris fluctus atque caliginem,quandam spei lucem præferebat,ne abundātiori tristitia absorberetur) *vt cognouit,quòd Iesus accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti*,certè, nō hos quęsitū munus in vsus. Hac igitur notitia cōfirmata,ad animarum medicum, Dominum Iesum in Pharisæi domo discumbentem,pergit, Quis tibi,ômulier, indicauit Dominum Iesum potestatem habere dimittendi peccata, cùm hoc diuinæ solùm potestatis sit, cōtra quam peccata committuntur?Hoc enim arcanum Ioanni Baptistæ diuinitus reuelatum est;qui primus omnium, mirantibus discipulis, dixit; Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Ad hæc illa respondebit; Ille nimirū me hoc mysteriū docuit de quo scriptum est; Erant homines docibiles Dei. Ille ergo me erudiuit;ille me trahit,& ego ab illo didici:quia verè hic est agnus Dei,qui tollit peccata mundi. Quam quidem rē postrema lectionis Euangelicę verba testātur. Cùm enim Dominus mulieri dixisset, *Remittuntur tibi peccata tua*;& quidam ex conuiuis dicerent, *Quis est hic qui etiam peccata dimittit*? Dominus ad illā dixit, *Fides tua te saluam fecit*. Ex quibus verbis liquet,peccatricē hāc ex reuelatiōe sūmi Patris hoc mysteriū agnouisse. *Ioan.1.* *Ioan.6.*

Hac igitur fide instructa venit ad Dominum Iesum. Rectè sanè:Sed tēpus tamen,ô mulier,opportunum expectare decet, vt medicum conuenias omnibus arbitris procul amotis,ne cōuersionem tuam mundi fabulam facias Nullum autem tēpus minus ad lachrymas,& peccatorum confessionē opportunum, quàm vbi conuiuium in frequentia hominū celebratur. Sicut enim musica in luctu;ita luctus in conuiuio importuna narratio est. Expecta igitur paululum donec conuiuium soluatur,& conuiuæ discedāt; tunc lachrymis & pœnitentiæ tuæ opportunum tempus erit. Nō possum(inquiet illa)ne hoc quidē breui spatio horrendā peccati faciem; sustinere: antea enim tenebris obcæcata nihil metuebam, quia nihil videbā;modò verò vbi desuper infusa luce,horrendā peccati faciem video,non magis quiescere possum, quàm si contra me draconum & serpentum insurgentia agmina viderem, aut in medio flammarum ardē- *Eccle.22.*

tium posita essem. Itaq; prudens mulier neque hospitum frequentiam, nec hominum iudicia, neq; Pharisæorũ contẽptum
*Gregor.* veretur. Quia enim, vt D. Gregor. ait, semetipsam grauiter erubescebat intus, nihil esse credidit quod verecundaretur foris. Peccati enim pudor omnem alium ab animo suo pudorẽ excutiebat. Multi cũ de cõuersione sua, & melioris vitæ proposito admonentur, alij ad Quadragesimæ tempus, alij ad quorũdam (quibus se impediri dicunt) negotiorum absolutionẽ, alij ad extremam senectutem, quasi certi sint se ad illam peruenturos pœnitẽtiæ propositum relegare solent: quia videlicet qualis sit peccati facies, non perinde à cælesti patre didicerunt. At qui ab hoc magistro docti & instituti, virus & pondus peccati
*Hier. 2.* agnouerunt, ne ad momentum quidẽ intolerabile eius pondus sustinere possunt. Hinc sancta quędã anima, inter alia quæ de peccati grauitate ac deformitate, (quam Angelicis etiam mẽtibus incomprehensibilem esse aiebat (hoc etiam dixit; Si quis oculos haberet, quib⁹ peccati deformitatẽ videre posset, esset q; ex altera quidẽ parte peccatũ, ex altera verò. Ocean⁹ in ignẽ versus, præcipitẽ se inhãc ignis abyssum daret, nec inde vnquã emergeret, si peccato iterum subiiciendus esset: vsq; adeò intolerabile eius iugum reputabat.

Hoc igitur peccati horrore stupefacta Maria, cõuiuij domũ
*Hier. 3.* ingreditur & stat retrò secus pedes Domini O pudor verè pœnitentis, Scitis, fratres, nullum meretricibus verecũdiæ vel minimum inesse vestigium, adeò vt Dominus Iudæorum impudentiam hac similitudine amplificauerit: Frons meretricis facta est tibi, nescis erubescere. Hæc igitur, quæ omnẽ prorsus exuerat pudorem, tanto nunc pudore circumfusa est, vt nullo modo ante mãsuetissimi agni cõspectũ, apparere potuerit, sed retrò illũ adorsa est. O mutatio dexteræ excelsi; quæ prius nec Deũ timebat, nec homines reuerebatur, sed omni pudoris amisso freno, procaci vultu hominibus blãdiebatur, modò ne oculos quidẽ ad Christum attollere, nec vllum proferre verbum ausa est. O si hos nobis oculos Dominus cõtulisset, quibus animæ deformitatẽ peccatis inquinatam cerneremus, tanto pudore afficeremur, vt cum dãnatis hominibus mõtibus diceremus, Cadite super nos; & collib⁹, operite nos. Cuius rei mirabile nobis exemplũ præbet sanctus ille scriba Dei Esdras, qui nõ propter sua, sed propter populi sibi cõmissi crimina sic afflictus & pudetactus fuit, vt sciderit pallium, & tunicam, & capitis sui capillos, & barbã euulserit, sederitq; tota die vsq; ad sacrificiũ vespertinum mærẽs. In sacrificio verò vespertino surgẽs de afflictio-

nẽ

ne ſua,ſciſſo pallio ac tunica,curuauit genua ſua,& expãdit manus ſuas ad Dominũ Deũ dicẽs; Deũ meusconfundor & erubeſco leuare faciem meã ad te:quoniã iniquitates noſtræ ſupergreſſæ ſunt caput noſtrum. Quibus ergo oculis,qua luce peccati faciem videbat, qui talem animum propter aliena etiã peccata,gerebat? Simili ergo affectu Maria pudefacta acceſſit retrò;quoniam oculos ad Chriſtum leuare non audebat. *1.Eſd.9.*

Hoc ergo pudoris velamine operta, acceſſit retrò ad Dominũ,ac ceſſit ſacrificiũ pro peccatis oblatura. Lex illo tẽpore quædã ſacrificiorũ genera ad impetrãdã peccatorũ veniã indicebat,vt alius hircũ pro peccato,alius aliud pro varia peccatorum cõditione offerret. Dic ergo mihi mulier,quod ſacrificiũ pro tot peccatis paratũ affers? Sacrificiũ,inquit, Deo ſpiritus cõtribulat⁹, cor cõtritũ & humilitatũ Deus nõ deſpiciet. Itaq; nõ hircos aut vitulos,ſed me ipſã,hoc eſt, animã meã illi offerã,illamq;lamentis,acerbiſſimoq;doloris gladio in ſacrificium mactabo. Aperit igitur oculorum ſuorũ fontes, è quibus tanta inũdauit copia lachrymarũ;vt Chriſti Domini pedibus abluẽdis ſufficeret. Vnde tibi hoc ingens lacrymarum flumẽ Maria? Vnde nubes iſta adeò humore grauida,quæ tã largo lachrymarum imbre fuſo nondum exhauſta eſt? Fleuit quidem Petrus amarè,vbi Dominũ negauit,copioſoq;lachrimarũ imbre peccati ſui maculas deterſit:ſed hic tamen Domini,quem negauerat,gloriam in mõte viderat,illiusq;diuinitatem in carne latentẽ reuelatone ſummi Patris agnouerat;ideò nihil mirum,ſi tã multis lacrimis tantum piaculum redimere contẽdebat. Sed quòd mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix,q; ſaxeũ cor erga diuina gerebat, ſic tota in lacrymas diffluat,hoc certè ingẽti admiratione nõ vacat. Demiratus Propheta Dei potentiã,qui è ſilice in deſerto aquam ſitienti populo eduxit,exclamat, Qui conuertit petrã in ſtagna aquarũ, & rupem in fontes aquarũ? at ego non minus planè demiror,lapideũ peccatricis hui⁹ cor ita Dei virtute emollitum,vt tantam piarum lacrymarum vim profunderet,quæ lauandis Domini pedibus ſatis eſſent. *Pſa.213.* *Pſal.213*

Nec cõtenta lacrymis pedes Domini rigaſſe, vbi eos abluiſſet,ſolutis capillis terſit, Nouum enim genus aquę lauãdis pedibus deſeruiens, nouum lintei genus ad eos tergẽdos exigebat. Quis vnquã audiuit tale obſequiũ alicui Regi aut ĩperatori exhibitum,vt pedes eius aureis feminarũ capillis tergerẽtur? Dic mihi Maria,quis te nouum hoc ſeruitij genus nũquã hactenus auditum docuit? in qua Principũ aula hoc addiſcere poruiſti? Certè non hoc te caro & ſanguis docuit,ſed idem ille

ſpiritus

ſpiritus qui te huc direxit.

Adiecit & capillorum miniſterio oſcula & vnguẽta. Sed quis verbis conſequi poſſit, quo charitatis ardore pia oſcula ſacris illis veſtigiis imprimebat? Liquet, fratres, ait Gregorius, quòd illicitis actibus prius mulier intenta vnguentum ſibi pro odore ſuæ carnis adhibuit. Quod ergo turpiter ſibi exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat, vt totum Deo ſeruiret in pœnitẽtia, quo Deum contempſerat in culpa. Præcepit olim Dominus Gedeoni, vt euerteret arã Baal, & nemus, quod eius cultui dicatum erat, ſuccideret, offerretq; ſacrificiũ Domino ſuper ſtruem lignorum, quæ de nemore ſuccidiſſet. Quorſum hęc? Myſterio certè & ſignificatione non vacant. Voluit enim Dominus, vt nemus, quod antea inani ſuperſtitioni ſeruierat, iam nunc veræ religioni inciperet conſecrari. Quo argumento verè pœnitentibus innuere voluit, vt vires, opes & facultates, quibus diabolo antea militauerant, & vanitati ſeruierant, eas modò in obſequium Domini conuertant, & piis vſibus addicant. Hoc ipſum ſecutus eſt Apoſtolus, cùm ait Sicut antea exhibuiſtis membra veſtra ſeruire iniquitati ad iniquitatem? ita nunc exhibete ea ſeuire iuſtitiæ in ſanctificationem. Hoc igitur hodie Maria fecit, quæ omnia vanitatis & turpitudinis inſtrumenta à diaboli ſeruitio vindicata in obſequium Domini conuertit, & ſuper ea, quæ ſi ſuper ligna quæ de nemore Baal ſuccíderat, cordis humiliati atq; cõtriti ſacrificiũ obtulit.

*Gregor.*

*Iudit. 6.*

*Rom. 6.*

III.

Sed vt hanc Mariæ vnctionem myſticè etiam excutiamus, meminiſſe oportet, triplex vnguentum illam in obſequium Domini parauiſſe. Eſt enim (vt Petrus Damianus ait) vnguentum bonum, quo hæc ſancta femina Saluatoris pedes inunxit Eſt & melius, quod eadem, ſi tamen eadem, ſupra caput eiuſdem in menſa recumbentis effudit. Eſt & optimum, quod & ipſa præparauit toti corpori Chriſti.

*Quæſtio quæritur ad verbũ ex Ser. Petri. Damiani de Magd.*

Primum vnguentum cõtritionis eſt de recordatione peccatorum, de ſpiritu contrito & contribulato deſcendens, quo Maria pedes vnxit Domini Ieſu. Iſti autẽ pedes ſunt miſericordia & iudicium: quorum alterum ſine altero vngere & oſculari vel temeraria ſecuritas eſt, vel deſperatio fugiẽda. Quis enim Dei miſericordiam indeſignanter attendens, non ſtatim negligentioris vitæ quietẽ exoptet? Cùm enim recogitat vniuerſitatis Dominum formã ſerui pro ſeruis ſuſcipere, triginta & tribus annis operari ſalutem noſtram in medio terræ capi, ligari, lancea vulnerari, crucifigi, & hoc totum pati pro filiis hominum

ſtatim

ſtatim deceptoria ſpe ſibi blanditur,& gaudet obſeruari in miſericordia & miſerationibus,iudicium neſcit,ignorat iuſtitiã, & punienda æſtimat,non puniri.Fallitur qui ſic oſculatur miſericordiæ pedem,vt pedẽ iuſtitiæ non attendat. Rurſus,cùm abducit eos,& iudicij pedem crebrioribus oſculis tãgit, ſiccatur carnis animæque ſubſtantia,& vtrumq; hominis ſtatum vehementior aura percellit.Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis,offendere creatorem,neſcire Dominum,recalcitrare dominantis imperio,qui habet poteſtatem corpus & animam perdere in gehennã.Terribilis certè,ſicut ait Apoſtolus, expectatio iudicij,quando ignis in cõſpectu eius exardeſcet,& virtutes cælorum mouebuntur,&vacillantibus cõſcientiis ſatitudinẽ mundi validiſſimus ignis aduret. Quis hoc diutius cogitans non ſtatim cõtremiſcat & in diſperationis rotetur abyſſum?Non ergo eſt huic pedi moroſius incũbendum,ne pietatis intuitu ferocia iudicãtis intercludat. Vtrumq; gitur inungat pedem animæ pœnitentis affectus,& nunc miſericordiam amplectens,nunc iudicium oſculans,cõtribulati ſpiritus offerat holocauſtum.Vide Mariam iudicij pedem fortiter attẽdentem,dum nobilis & laſciua mulier conuiuantium faciem non attendit,ſed extenſo corpore prouoluitur pedibus maieſtatis, doloris plena,timoris impatiens,cõpunctionis iaculo vulnerata.Sed & miſericordiæ pedẽ labiis impreſſis oſculatur,in cuius ſpe firmiter inhæret veſtigiis Redemptoris,donec audiat:Remittuntur tibi peccata tua.Hactenus de primo vnguento. *Hebr.10*

Secundum vnguentũ eſt deuotionis, de recordatione beneficiorum Dei.Prorſus digniſſima huius vnguenti cõpoſitio,& in iſtius cõparatione,prioris cõſperſio minoris æſtimãda.Eius enim ſpecies de cæleſti paradiſo allatæ ſunt,& in terra filiorũ hominum nequeunt inueniri.Virtutes enim diuinitus collatę, &ĩ mortariolo cogitationis,piſtillo diligẽtiſſimę meditationis intritæ,& exultationis oleo ſuperfuſæ, vnguentum faciunt & odore & virtute mirabile,quod ſolum ſuper caput Domini recumbentis poſſit effundi &exhiberi reuerentiæ maieſtatis.Notanda tamen vtriuſq; differentia,& ſecundi ſublimitas attẽdenda,quia illud eſt Deo ſacrificiũ ſpiritus contribulatus, & iſtud ſacrificium laudis,quod honorat Deum.Pedes igitur vngimꝰ Redemptoris,cùm de peccatis compungimur:vngimus caput cùm de collatis virtutibus,virtutum largitori gratias cumulamus.Vnxit ergo Maria ſanctum Dei verticẽ, profectò iam dilecta,iam familiaris effecta:lõgéque peccatricis illius euoluta contagiis,quam infelix ille ſeptenarius confundebat.

Est præter hæc tertiũ pietatis vnguentũ,quod est super omnia aromata,morbis omnib⁹ & periculis salutare,quodq́, nulli
Marc.16. vnquam pesti inueniatur inefficax.De ipso namque sic legitur Maria Madalene,& Maria Iacobi,& Salome emerunt aromata,vt veniẽtes vngerẽt Iesum.Vides ne in prima capituli frõte propositum,quod non vna vel duæ , sed tres vix sufficiunt ad emendum tantæ compositionis vnguentum?Intelligis,quia nõ
Matt.26. pedes aut caput,sed totum Crucifixi corpus sibi vindicat ista confectio? Confectio sine dubio pretiosa , quæ toti sufficiat corpori creatoris.Et attẽde, quia vnguentũ pedibus infusum adeò dignissima lenitate suscepit, vt Pharisæum murmurantẽ parabolica sententia conuinceret,& retorto sugilleret exemplo.Sed &de refuso super caput eius vnguento discipulos indignãtes coarguit,bonum mulieris opus esse protestãs, & tumidam eorum animositatem verbis compescuit moderatis. Hoc verò tam salubre támque mirificum in mortuo corpore suo voluit expendi, quod viuo vtique reseruabat. Duo enim corpora habet Christus:vnum,quod suscepit ex Virgine:alterum Ecclesię,quod charius habet benignitas redimãtis.Denique illud pro isto morti exposuit & tormentis,addictus cruci, vinctus cũ sceleratis,morte turpissima condẽnatus.Poterimus ne tam salubrem confectionem conficere ? Vniuersæ miserorum miseriæ,tam animarum quàm corporũ,oculo pietatis inspectæ,species eius sunt.Istæ igitur in mortariolo largitatis,dulcedinis pistillo cõfractę &delinitę charitatis oleo,succẽso cõpassionis igne,vnguentũ faciũt ipsis etiã Angelis admirandũ.

Sunt viri diuitiarũ in domo Domini virtutũ:vestigemus an apud eos huiusmodi habeãtur vnguẽta.Primus occurrit mihi Paulus,sicut vbique solet,totus præsenti delibutus vnguento.
2.Cor.11. Quis infirmatur,inquit,& ego nõ infirmor?Felix anima,facta sibi tanquam vas perditũ,vt omnium miserias in sua cõsciẽtia
1.Cor.9. colligaret!Totum se toti corpori Christi donauerat,omnibus omnia factus,vt omnes lucrifaceret.Sed & ille vir simplex &rectus,& timens Deum,vide quomodo nõ secundum hominẽ, imò verò secũdum hominẽ,& (quod verius est)supra hominẽ
Iob.30. ambulat.Sic enim ait:Flebam quondam super eo qui afflictus
Iob.29. erat,& compatiebatur anima mea pauperi.Et iterum:Pater inquit,eram pauperũ Oculus fui cœco,& pes claudo. Hoc eodẽ vnguento perfusus Moyses pro sceleribus populi sui Dominũ exorabat.Pecauit enim Israël,&ipsum peccantẽ reconciliare nititur creatori:sed dissimulat Dominus exaudite roganté. Promittit plurima Moysi creator omnium,& consensum petit à

Moy

Moyſe,qui Moyſem fecit. Dimitte me, inquit, vt iraſcatur furor meus contra eos,& faciam te in gentẽ magnam. Reſpondit Moyſes,Si dimittis Domine,dimitte:alioquin dele me de libro vitæ in quo ſcripſiſti. Obſtupenda profectò dulcedo: & principatum gentis reſpuit alienæ,& de libro viuẽtium deleri deſiderat,niſi peccantibus dimittatur offenſa! Hæc ſunt vnguẽta propitiationis & miſericordiæ,quæ à ſpõſæ vberibus eliguntur, infirmitates omnes fugantia, profugantia paſſiones. Felix Maria vnxit pedes Ieſu,felicior eadẽ caput vnxit authoris feliciſſima, quę rorem vnguentarium toti Chriſti corpori præparauit.

Habemus ergo hic fratres ,tria pretioſa vnguẽta,quæ in Seruatoris noſtri obſequium expendamus. Habemus etiam locupletiſſimum verę pœnitentiæ exemplum,& euidentiſſimum diuinæ miſerationis argumentum. Illud nos ad laborẽ pœnitentiæ,hoc ad ſpem veniæ potenter inducit : vt hac ratione malè actæ vitæ pœnitentiam agentes, contriti ſpiritus ſacrificium Domino offerentes, lætiſſimam illam vocem audire mereamur,Remittuntur tibi peccata tua:vt per remiſſionem peccatorum ad beatiſſimę huius pœnitentis, cæterorumque ſanctorum peruenire mereamur conſortiũ : præſtante Domino Ieſu Chriſto,qui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum,Amen.

AD LECTOREM.

*Libet hoc in loco,amice lector,quandam* B. *Mar. Magdal. hiſtoriam quã Siluester Prierius in Euangelio feriæ quintæ poſt paſcha domini refert,attexere,quòd eam tibi non ingratã fore ſpero. Eius hæc verba ſunt.* *Hiſtoria B. Mariæ Magdal.*

CVm anno Domini 1497. deuotionis gratia antrum in quo pœnituit B.Maria Magdalena, & ſacras eius reliquias apud S.Maximinum viſitaſſem,oſtenſum eſt mihi pluries ſacrum & venerabile caput eius grãde valde,& totum vndiq; ad os vſque denudatum excepta ea parte frontis,quam Saluatorem omniũ diximus tetigiſſe. Ibi enim pellis ad inſtar,quaſi Ætiopiſſæ, ſeu cadaueris antiqui clarè apparet,& in pelle duæ foſſæ duorũ extremitatum digitorum:quarũ altera multo eſt reliqua euidẽtior atque profundior,& ſub pelle caro ad albedinẽ declinãs. Oſtẽſi ſunt & in vitrea ampulla eius capilli,non omnes,ſed qui pedes Chriſti terſere:necnõ & ampulla vitrea,plena terra,habente colorem medium inter rubeũ & nigrum,quã in paraſceue B.Magdalena ſub cruce collegit:quæ vt omnes mihi ſine hæſitatione affirmabant,ſingulis annis in die Paraſceues, perlecta paſſione, euidenter & clarè ebullit,ac ſi ibi videatur ſanguis ebullire. Et poſt pauca refert idẽ Syluester:quòd cum in archiuis eius loci diligenter ea quæ ad hiſtoriã huius beatæ peccatricis pertinẽt,

inquisisset,se in illis deprehẽdisse, quendam eximiæ sanctitatis monachum Dominicanum,Eliam nomine,qui in specu B.Magdalenę orationi vacare solebat, cum ad eum locum iamiam moriturus peruenisset, hæc nouissima verba dixisse: Fratres, dies venit & hora mihi diu expectatæ mortis. Igitur quæ ad B. Magd. gloriam, & vestræ salutis argumentum enarro,percipite. Cum B. Magd.seruiturus,desertum istud & rupem horridã petiuissent, exacto hic mense,solitudinẽ fastidiẽs,pœnitui, & dicessũ tacitus cogitaui. Quadã igitur nocte cogitationibus agonizãs astitit mihi B.Magd.& inter alia hæc mihi dixit. Tu hinc à meo seruitio discedere cogitasti,sed audi quæ dicam & demũ age quælibet. Vt nosti,inquit,à Hierusalẽ Massiliã multi, Deo volente,&nauem subuehente,deuenimus. At vbi Massilia, & pars non parua regionis Iesu Christi fidem suscepit, tantum circa nos humanus fauor & inquietudo creuerũt,vt hominum consortia fugere cogitarẽ.Rapta verò diuinitus sub huius antri fui ore deposita, Cumque hinc inde per locum mihi à Deo paratum lumina direxissem, draconem quem mea soror Martha occidit,repẽte inter lucẽ & tenebras aspexi,cuius horrorẽ sufficiẽter exprimeret nemo:erat bubalo maior:vidi &omnis generis viperas. Cumq; iam deglutiendã draco in sua ora traxisset, quia lingua non poterã,sic sum profundo & securo corde locuta: Dulcis amor Iesu, tristemne ac solam in deserto post innumera tua dona me draconis escã effecisti? Tunc subitò Angelus de ore draconis eductã me allocutus est,dicẽs:Beata,quę fidem tenes,ac dracon.calce percutiẽs,Egredere,inquit,hinc draco& omnes viperæ tecũ. Deinde verò ad me conuersus Deus,inquit quẽ tãtum,o Magd,cõcupiscis &semper habes,te vult hũc locũ lacrymis irrigare profusis,vt futuris seculis exẽplum pœnitẽtiæ perpetuò fias. Remansi eo disparente perterrita,& loco lustrato, hominib⁹ inuium assensum descẽsumq;,rupe vetãte,cognoui. Tunc amoris dulcedine in lacrymas resoluta, me ad terrã prostraui adorans ac dicens:Gratias tibi Christe ago, ꝙ me omni mea affectione replesti:sed oro fontem in rupe hac exhibeas deprecanti. Crepuit statim sub meis oculis immane hoc saxum, & quas cernis,Elia,aquæ è duro scilice scaturiere. Cumq; ante ipsum limpidissimum fontem genu flexo Christo gratias agerem, ecce plus quàm mille spirit⁹ vidi in speluncę dextera stetisse,verba suauissimi amoris Hębraica lingua decantãtes. Cum igitur postremò subintulissent, non expedire animæ tã assiduã orationũ frequentiã,dęmones esse intelligẽs, Iesum territa acclamassem,repente cũ suis militiis Angelus Michael adfuit,di-

eens,

cens,Adſum Magdalena, ne timeas. Denio; malignis ſpiritibus congreſſus,eos omnes in fugam cõpulit,ita clamantes.Non eris tamẽ ideo beata tu,quæ orationibus vacas in antro,Crucem igitur in ore ſpeluncæ Angelus erexit,dicens,Caue ne extimeſcas in poſterum,cuſtos tui eſt altiſſimus.Igitur ante crucem eo diſparente cum iacuiſſem,timore nimio exſiccatis viſceribus orationi inſtare attenta non præualens,collectas duas radices in ipſo ore ſpeluncæ & lotas comedens,aquam de fonte bibi, poſtquam humanum aliquid non guſtaui.Crucẽ deinde complexa, ea die ac nocte ſequenti orãs,orto Sole oculos ad crucẽ ipſam leuaui coloris,vt videbatur,cryſtallini & radiis fulgentibus coruſcã.Cum q;in me vehementiſſimi amoris flammam perſenſiſſem, ecce tã læta & iubilans Angelorum turba adfuit,vt æternam vitã in hoc antro credidiſſes.Repente igitur ab his ad infernalia loca delata pœnarum genera,& punitorum turmas inſpexi.Cumque ad loca Purgatorij ventum eſſet,tanta dulcedine me Spiritus deuoti circumſteterunt,vt mihi viderer eſſe in patria,& cum magna teneritudine dixerunt:Ora pro nobis Maldalena noſtra.Quibus ego Vtinam,inquio, veſtra voluntas per me impleatur.

Deinde verò ad crucem iterum repoſitæ mihi Angelus ait: Quanto tempore tuus ac noſter amor Ieſus in terris propter te vixit, tanto tu quoq;in hac ſpelunca moraberis.Steti igitur, eo diſparente, ad crucem orans,& Chriſtum ſalutem meam contẽplabar.Omni autem euoluto die Angelorũ adfuere militię &me tam ſublimen in aera ſuſtulerunt,vt cæleſtes audiuerim reſonare melodias.Quod ab inde citra ſepties ſemper intra diem & noctẽ fecerunt.Frigus ac gelu,igne ſuccenſa iam non curabã, Cumq; meæ veſtes paulatim vetuſtate deciderent,paulatim quoq;diuina pietate mei creuere capilli,in ipſa verò cruce Chriſti myſteria cuncta videbantur.Ibi Annæ & Ioachim hiſtorias:ibi Mariã Ieſum meũ mihi parientem:ibi Crucifixi tetrum liuorem:ibi pium cruorẽ:ibi dura vulnera:ibi crucem ac mortẽ eius dabatur intueri:&eundem regredientẽ ab inferis,& cæli ſidera penetrantem Cumq; his cibata ferculis nocte diẽq; flerem, cum lauandi vulnus gratia fontem petiuiſſem,obuiũ mihi humana forma Ieſum meis verbis alloquentem vidi:Te propter Maria loca iſta conſtitui.Circumſtabant cæleſtes militiæ regẽ ſuum,florum ſerta geſtantes:& oliuarum palmarumq; ramos tenentes in manib. Et ecce reſplenduit ſubito aſſumpta humanitas, & ſe ipſum ad inſtar ſui,cum eſſet in monte Thabor,Saluator transfigurauit, adeo vt me oculos inflectere tãta maieſt.compulerit.Me quidem ad vultũ dilectũ oculos attollere dulcis amor inflãmabat,ſed mi

nimè valui. Cumq; mecum multa cõtuliſſet, illapſus eſt cælo, & quoad vixi, cẽties ac decies me in ſpelunca pro ſua pietate viſitauit. Itaq; tibi conſulo teque rogo, vt in hac rupe Chriſti laudes exoluas, quo te ad vitæ portũ tandẽ adducã. Sterilẽ locũ ſola ac nuda ego adiui, tu verò fratrũ habes ſolatia, & victui veſtituiq; abundatur opportuna. Igitur de perſeuerantia cogita. His dictis, ab oculis meis, inquit Elias, Magdalena euanuit, & ego in hanc vſq; horã omnes homines prædicta ecclaui. His dictis, poſt horulam beatus ille pater expirauit, ſtatimq; ipſæ cãpanulæ in ea rupe ſuſpẽſæ, nullo hominũ mouente, iubilarũt. Omnia hæc ex dicto libello fideliter aſſumpſit. Mirabitur autem forraſſis vir animalis, diuinã pietatẽ, peccatricẽ animã tãpræclaris donis extuliſſe? ſed ſi viderit, qui eiuſmodi eſt, prædicantẽ Chriſtũ, & Mariã ſubitò diuini ſermonis iaculo percuſſam, ſui pectoris arcana lacrymis & ſingultibus reſerare: ſi viderit repentè agitatam doloribus, & amore liquefactã, torques, armillas, dextralia, margaritasq; deponere, & effuſis comis lugubres aſſumere veſtes; ſi, inquã, viderit hac Ieſu Chriſti temuiſſe veſtigia, & hæc lacrymarũ flumine lota exſiccare capillis, & cordialibus oſculis, ac miſerãdis vocib⁹ miſericordiã ſuis ſceleribus implorare: ſi à maculis abſolutam, in pace Chriſti pietate remiſſam: ſi prædicantem vbiq; Chriſtum, & Mariã comitãtẽ hauriẽtẽquidẽ Chriſti doctrinã, ſed ſubſtantiam effundentẽ. Si hanc viderit, pauperem ac itinere fatigatũ Saluatorẽ mundi excipere domo, fouere vnguẽtis, dapibus recreare, & diſcipulorũ eius turbam ſuis facultatibus ſuſtentare: ſi propinquis, imò & diſcipulis fugientibus inter carnifices intrepidã cruci aſtitiſſe, cruentã ſanguine lacrymis infuſam: aërem eiulatibus adimplẽtem, ſi contẽplari ſepulchrũ & vnguenta parare; ſi mulierem fragilẽ ſexu, noctis tenebras, & arma cuſtodũ non extimuiſſe( ô vim amoris immẽſam) quin dilectũ extinctũ quæreret in ſepulchro, ſi poſtremò hanc viderit vacuo ſepulchro colligatã, & nulla iam præter lacrymas habere ſolatia, videbit pariter diuinã pietatẽ, hãc ab extremo in extremũ nõ niſi per opportuna media deduxiſſe. Quę enim crimina poſſent, tot gemitibus, tot lacrimis, tanto ardore non eſſe abolita? ſi animas ſceleſtiſſimas baptiſmalis vnda, ſanguinis Chriſti operante virtute, pulcherrimas, & in oculis Dei optimi maximi ſplendentes reſtituit: quid in Maria ſanguis Chriſti è cruce ſtillans effecit? Mirari igitur magis oportet ignauiã hominũ atque ſocordiã, qui in Maria Chriſti pietate perſpecta, ſubitò, quãuis atroces, quãuis ſceleſti & flagitioſi, non atteruntur, vt vbi ſuperabũdauit delictũ, ſuperabundet & gratia.

FRANCIS

Franciſcus Petrarcha, viſa Mariæ ſpelunca, & lapideo cubili, huius beatæ peccatricis conſiderans pœnitudinem, compunctus ait.

*Dulcis amica Dei, lachrymis inflectere noſtris.*
*Atque humiles attende preces, noſtræq; ſaluti*
*Conſule, námque potes. Nec enim tibi tangere fruſtrà*
*Permiſſum gemitúque pedes perfundere ſacros,*
*Et nitidis ſiccare comis, ferre oſcula plantis,*
*Inq; caput Domini precioſos ſpærgere odores.*
*Nec tibi congreſſus primos à morte reſurgens,*
*Et voces audire ſuas, & membra videre,*
*Immortale decus, lumenque habitura per æuum,*
*Nec quicquam dedit ætherei rex Chriſtus Olympi,*
*Viderat ille cruci hærentem, nec dira pauentem*
*Iudaicæ tormenta manus turbæq; furentis.*
*Iurgia, & inſultus, æquantes verbera linguas:*
*Sed mæſtam, intrepidámque ſimul, digitiſq; cruentos*
*Tractantem clauos: replentem vulnera fletu,*
*Pectora tundentem violentis candida pugnis,*
*Vellentem flauos manibus ſine more capillos.*
*Viderat hæc, inquam, dum pectora fida ſuorum*
*Diffugerent, pellente metu. Memor ergo reuiſit*
*Te primam ante alios tibi ſe prius obtulit vni.*
*Te quoque, digreſſus terris, & ad aſtra reuerſus,*
*Bis tria luſtra, cibi nunquam mortalis egentem*
*Rupe ſub hac aluit, tam longo in tempore ſolis*
*Diuinis contentam epulis, & rore ſalubri.*
*Hæc domus, antra tibi ſtillantibus humida ſaxis,*
*Horrifico tenebroſa ſitu, tecta aurea regum,*
*Deliciáſque omnes, ac ditia vicerat arua.*
*Hic incluſa libens, longis veſtita capillis,*
*Veſte carens alia, ter denos paſſa Decembres*
*Diceris, hic non fracta gelu, nec victa pauore.*
*Námque famem, frigus, durum quoque ſaxa cubile,*
*Dulcia fecit amor, ſpéſque alto pectore fixa.*
*Hæc hominum non viſa oculis, ſtipata cateruis*
*Angelicis ſeptémque die ſubuecta per horas,*
*Cœleſtes audire choros, alterna canentes*
*Carmina, corporeo de carcere digna fuiſti.*

## In eodem festo beatæ Mariæ Magdalenæ concio secunda, in qua lectio Euangelica explanatur.

*Thema. Lachrimis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Lucæ 7.

*Augusti.* INter omnia diuinæ pietatis & potestatis opera tantum D. Augustinus peccatoris iustificationi tribuit, vt maius esse dicat peccantem hominem ex iniusto iustum facere, quàm vniuersum mundum ex nihilo condere. Cuius rei duplicem
*S. Thom.* D. Thomas causam affert, alteram, quòd in rerum creatione nihil obstitit Deo, quo minus, quod voluisset, efficeret; cùm tamen in hominis iustificatione liberum eius arbitrium diuinæ operationi resistere queat: alteram verò, quòd rerum conditarum dignitas finibus suis ita circumscripta est vt rei creatæ dignitatem & pręcium non excedat; at cum hominis iustificatio sit quędam diuinæ naturæ participatio, quam in hac vita assequimur per gratiam, in futura verò per felicitatis diuinæ consortium, infinitũ quoddã bonũ est, quod nullo pretio æstimari, nullis terminis circũscribi potest. Est autẽ iustificatio spiritualis quidam motus,
*Concil. Trident.* quo ab iniustitia ad iustitiã proficiscimur: ipsaq; iustificatio (vt in Tridentina Synodo definitur) nõ est sola peccatorum remissio, sed etiã interni hominis renouatio atq; instauratio per virtutes, & Spiritus sancti dona, per quẽ charitas Dei cum cæteris virtutibus diffunditur in cordibus nostris quibus ad omnia virtutis officia, & aduersus omnes diaboli insidias instructi simus. Quo fit, vt his cęlestibus donis ornatus homo atq; adiutus (quẽ
1. *Reg. 10.* admodum olim Sauli in regem vncto dictum est) mutetur in virũ alium. Quæ quidẽ, vt ita dicã, metamorphosis, siue transformatio (si quis eam rectis oculis aspiciat) inter omnia diuinæ virtutis opera verè mirabilis esse deprehendetur. Mirũ enim est, hominẽ, qui paulò antè cum luxurioso filio sceleribus suis atque flagitiis pascebat porcos, hoc est, turpitudinis amatores dæmones, & porcorũ cibis, videlicet libidinibus atq; flagitiis ipse pascebatur, nec alia in re voluptatẽ capiebat, modò ad eam dignitatis celsitudinem perductũ esse, vt ex siliquiis porcorum ad mensam transierit Angelorũ. Mirum itẽ est, quòd is qui hactenus spreto rationis iudicio, & diuinæ legis imperio, pecudũ more cupiditatibus & affectibus seruiebat, & eorũ cæco impulsu vitã instituebat, modò proculcata cupiditate, & compressis carnis affectibus,

rationis

rationis consiliũ, & diuinæ legis imperiũ in omni actione sectetur: atq; ita velut ex pecude in hominem transformatus, imperium in se ipsum,(quod est totius mundi imperio glorioſius)diuino munere nactus sit. Hoc est enim quod meritò sancta illa fœmina in Cantico suo miratur,cùm ait; Suscitans à terra inopem,& de stercore erigens pauperem, vt sedeat cum principib. & soliũ gloriæ teneat. Quod enim solium glorioſius,quàm affectibus & libidinibus imperare,& carnẽ spiritui subiicere,& principatũ sui tenere:cupiditatis tyrãnidẽ atq; ferociã cõprimere,& secundũ diuinæ legis præscriptionẽ vitæ clauum moderari? Melior est enim (vt ait Salomon)patiens viro forti, & qui dominatur animo suo,expugnatore vrbium. Mirũ pręterea est eum qui corrupto ac deprauato iudicio(vt Prophetæ verbis vtar)dicebat malum bonũ,& bonũ malũ,appellabatq; lucem tenebras,& tenebras lucem,iudicabat dulce amarũ,& amarũ dulce,nunc iudicio per Dei gratiam illuminato,certissimã de rebus sententiã ferre, & suã vnicuiq; faciẽ & nomen reddere. Vnde etiam consequens est,vt cum iudicio palatum quoq; animæ ita permutetur, vt sic tandem affectus cum iudicio cohæreant,atq; consentiant,atque ita demum paupertas sit ei dulcis,crux amabilis,dedecus propter Deum glorioſum,pię lacrymę dulces,atq;(vt verbis vtar Hieronymi)oppidum ei carcer,solitudo paradisus sit;cõtrà verò opulentia illi sit onerosa,voluptates amaræ, honores molesti atque graues,ac demum cætera omnia quæ apud alios in prætio sunt, contẽnat atq; pro nihilo ducat Hoc quis nõ videat mirabile diuinæ potentię opus esse? Vidit hoc certè,quamuis ethnicus Seneca,qui ait:Si hominẽ videris intrepidũ periculis, intactũ cupiditatibus,inter aduersa felicẽ,in mediis tempestatibus placidũ, ex superiori loco homines videntẽ,ex æquo Deos, non subit te veneratio eius? Nõ dices:ista res maior est altiorq; quàm vt credi similis huic in quo est corpusculo possit? Vis istuc diuina descendit,animũ excellentem,moderatũ, omnia tanquam minora transeuntem,quidquid timemus optamusq; ridentẽ,cælestis potentia agitat. Nõ potest res tanta sine adminiculo nominis stare. Hæc ille. Deniq; mirum est, tertã desertã, inuiã & inaquosam (quæ nihil aliud nisi tribulos & spinas proferebat)in paradisum repentè mutarã,diuersis variarum virtutum plantis consitã esse. Hoc est enim mirabile illud opus quod per Esaiam Dñs se editurum pollicetur,cùm ait:Ponam desertũ in stagna aquarum,& terrã inuiam in riuos aquarum. Dabo in solitudine cedrum,& spinã,& myrtum,& ligniũ obliuæ,vt videãt,& sciant,& recogitẽt, & intelligant,quia manus Dñi fecit hæc. Quid igitur aliud his

*2. Reg. 2.*

*Prou. 16.*

*Isai. 5.*

*Hieron.*

*Seneca.*

*Esaiæ 41.*

metaphoris significate Dominus voluit quàm hanc animorum mutationẽ,cœlestis gratiæ beneficio fieri? Quod vt clarius inspiciamus,peccatricis huius animam in duplici statu,hoc est,ante pœnitentiã,& post pœnitentiã contẽplemur.Quid enim aliud anima illa ante conuersionẽ suã,nisi terra deserta, inuia & inaquosa erat,in qua nullũ siue cõpũctionis,siue gratiæ,siue pœnitẽtiæ,siue piarũ lacrymarũ vestigiũ inueniebatur? Quid,inquã, erat, nisi desertum sterile,quod nihil aliud nisi viperas,& feras & vitiorũ sentes ac tribulos proferebat? At vbi diuina lux affulsit,vbi cęlestis virtus mentẽ eius excitauit,quàm subitò ex squalẽti deserto in paradisum voluptatis cõmutata est:quàm copiosi salutaris aquæ fontes ex adulteris illis oculis eruperũt,qui deinde flores & fruges pro spinis & tribulis oriri cœperũt,hoc est quæ puritas,quæ pietas,quæ innocẽtia,quę cordis humilitas, quę corporis,& animæ castitas ibidẽ exorta sunt, vbi sola antè libido & impudicitia,& oẽs vitiorũ spinę mẽtẽ illã occupabant O cui ea mẽtis acies Dei beneficio cõtigisset,qua in intimos animæ illius recessus penetrãs,cordis eius faciẽ antequã ad gratiã perueniret,& vbi ad eam peruenit,intueri potuisset.Hic enim apertè vaticinij huius veritatẽ,hoc est desertũ in paradisum,& vitiorũ tribulos in odoras virtutũ plãtas commutata facilè cer-

*Esaiæ 55.* neret,quemadmodum idem Propheta alibi dicit,Pro saliũcula ascẽdet abies,& pro vrtica crescet myrtus.Vt autẽ apertè videremus,hoc nõ humanę facultatis,sed diuinę potestatis & miseri cordię opus esse,tot illa Dñi verba inculcauit vt videãt,& sciãt & recogitẽt,& intelligant,quia manus Dñi fecit hęc.Hac enim verborũ repetitione & gloriæ suę Dñs,& humilitati nostræ cõsuluit,vt nihil nobis in hac tanta vitæ mutatione arrogãter attribueremus,sed ad illius laudem & gloriã omnia cõferremus, illiusque immensam & infinitam potẽtiã, bonitatem & miseri cordiã in hoc opere agnosceremus.Quod vt apertè intelligeremus,sæpè Dominus homines vel aliud agentes,vel nihil min' cogitantes,aut etiam(quod est longè mirabilius)repugnantes, ad donorum suorum cõmunionẽ vocat.Moysem quidẽ Dominus elegit ex omni carne,at quid is agebat,cum ab eo ad tan-

*Exod.3.* tæ dignitatis gloriã est vocatus? Certè cum de pinguiori ouiũ pabulo solicitus,minaretur gregem ad interiora deserti,vt gregis populi sui pastor esset,nõ modo abeo vocatus,sed etiam renuens atq; reluctãs,multisq; se rationibus excusans,nõ tam vocatus;quàm quodammodo cõpulsus est.Cur igitur sic vocatus? Non dubium quin hac ratione Dñs gratiæ suæ magnificentiam hoc exemplo manifestare voluerit,vt hoc argumento intellige-

remus,

remus,omnia quidem illi deberi,quando hunc ſanctum virum vocauit,nõ modò ad hoc nihil per id temporis agentẽ:ſed etiã repugnantem. Hanc autẽ diuinę gratiæ liberalitatem atque virtutem non omnes agnoſcunt,agnoſcunt tamen illi quibus à Deo illuminantur,quique iuſti diuinorum operũ æſtimatores ſunt. Talis profecto inter alios D. Bernardus extitit,qui cùm in Gallia Belgica principem quendã virum,Arnulphũ nomine,aſſumpto ordinis ſui habitu ſeculo renunciare feciſſet hanc de eo in conuentu fratrum ſententiam protulit: In conuerſione fratris Arnulphi nec minus admirandum, nec minus glorificandum, quàm in quatriduani Lazari reſurrectione Chriſtum Dominũ fuiſſe,quippe qui totus in deliciis carnis,quaſi alter Lazarus in tumulo ſepultus,clauſuſque viuens mortuus iacebat,qui tamen omnipotentis virtute ab hoc deliciarum & vitiorum tumulo ad integerrimam vitam omnium deliciarum expertem, excitatus fuit. *Bernard.*

Sed cõmodiſſimum exemplũ in peccatricis huius cõuerſione hodie nobis proponitur,quę ex lebete in auream phialam,&ex vaſe cõtumeliæ in vas gloriæ tranſlata eſt. Vt enim Eccleſiaſticus ait; Omnis mulier fornicaria quaſi ſtercus in via ab omnibus prætereũtibus cõculcatur. Quid ergo mirabilius,quàm hoc viliſſimum ſtercus,lutumq; plateatũ in vas ornatũ omni lapide pretioſo transformari? Quam multa enim in hac vitæ mutatione cõmutata ſunt; Pro impudicitia enim caſtitas,pro impudẽtia pudor,pro deliciis lacrymæ,pro amore ſeculi cõtemptus ſeculi: pro voluptatibus carnis deliciæ ſpiritus,pro omni denique immunditate & flagitio,ſumma puritas& ſanctitas repẽtè cõſecuta eſt, Demirat Propheta rubri maris aquas ad imperiũ Dñi fugatas, & Iordanis vndas retro conuerſas,exclamat, Quid eſt tibi mare quod fugiſti;& tu Iordanis,quia conuerſus es retrorſum? Ego verò hanc tantam vitę mutationem attendens,ſimiliter exclamabo; Quò tam ſubito diſceſſiſti laſciuia? quò abiiſti impudentia? quò turpitudo diſceſſiſti? quò denique tot vitia imis huius fœminæ viſceribus infixa,& diuturna peccandi cõſuetudine confirmata diffugiſtis? quorum nullæ reliquiæ,nulla priſtina veſtigia in ea mente relicta ſunt? Nimirum illic à facie Domini retroceſſerũt aquæ,hic verò vitia cuncta ſubito fugata ſunt. Veriſſimè enim dictum eſt,facile eſſe in oculis Domini ſubitò honeſtare pauperem,& ex duris lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ. An nõ igitur manifeſtè in hoc opere diuinæ gratiæ potentia lucet quæ meretricem,hoc eſt,ſtercus & lutum platearum,aſtris puriorem & Sole ſplendidiorem effecit? *Ecclef. 9.* *Pſal. 113.* *Ecc. 11.*

Quòd si quæras, quibus tandem rebus ad hunc summũ puritatis & dignitatis gradũ hæc mulier à Domino perducta fuerit; non dubium quin humilitate, charitate, fide & pœnitentia instructa, hanc tantã gratiam fuerit consecuta. Fides enim fuit, quòd ad Dominum Iesum salutarem animarum medicum curanda venit: humanitas fuit, quòd non ausa est ante conspectũ eius apparere, sed stans retro sacris eius pedibus prouoluta est: pœnitentia fuit, quòd tantam vim lacrymarum effudit, quibus animæ suæ sordes lauit: charitas verò fuit: quòd pedibus Domini oscula fixit, quòd capillis tersit, quòd vnguento vnxit. Inter has autem virtutes humilitas potissimum illuxit.

I.

Publicanus ille ex Euangelio malè actæ vitæ conscientia territus, totusque ex diuinæ maiestatis præsentia omnes animæ latebras penetrantis pudore suffusus, nõ audebat, nec oculos quidem ad cœlũ leuare nec propius ad altare Domini accedere, sed
*Luc. 18.* à longè stans, percutiebat pectus suum, dicens; Deus propitius esto mihi peccatori. Sic igitur Maria nostra ab eodẽ spiritu edocta, horrendæ turpitudinis suæ maculas agnoscens, & se diuina præsentia indignam reputans, nõ ausa est illius se oculis præsentare, sed metu anxia, & pudore verecũda accedẽs retro ante facta Domini vestigia sese proiecit. Ab eodẽ quippe Spiritu instructa intellexit quantum humilitatis virtus, veráque animi seipsum introspicientis submissio ad diuinam iram auertendam haberet
*Eccles. 35* momenti: scriptum est enim; Oratio humiliantis se, nubes penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur & non discedet, donec altissimus aspiciat. Quod quidem Regius vates apertissimè intellexit, qui hac se virtute à Domino mundari poposcit, cùm dixit; Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis
*Psal. 50.* me, & super niuem dealbabor. Hyssopi namque nomine (vt D.
*Augusti.* Augustin. 2. De doctrina Christ. lib. docet) humilitatis virtutem designat. Nec enim hyssopus, aut vllum aliud herbarum genus conceptas animo sordes eluere potest à quibus mundari sanctè ille Rex postulabat. Hyssopi ergo nomine humilitatem intellexit, quę verè pœnitentis habitus est, qui sui ipsius demissione Deum, quem peccando contempsit, honorat, & sui ipsius deiectione placat, quem elatione atq; tumore ad iram cõcitauerat. Est enim hyssopus: herbula quædam exigua, quæ tamen ad pulmonis tumorem purgãdum maximè salutaris est; cuius radices durissimos etiam lapides penetrant, quæ omnia maximè humilitati conueniunt. Primum enim verè humilis paruulus est in
*Bernard.* oculis suis, qui etiam (vt D. Bernard. ait) non vult apparere humilis

milis,sed vilis.Deinde,sicut hyssopus pulmonis tumori & inflationi medetur;sic humilitas inter cętera laudũ suarum insignia hoc habet præcipuum,quod lugentes superbię spiritus, ventosamque iactantiam cum tota vitiorum,quę ab ea oriuntur,propagine,ab anima pellit;atque ita à seruitute diaboli hominem liberat.Vera est enim illa D. Augustſ.sententia; Quẽcumque superbum videris filium diaboli esse non dubites.Postremò,sicut hyssopus radicibus suis durissimos lapides penetrat, & frangit sic humilitas omnipotentis Dei iram in lenitatem vertit,& ad misericordiam flectit.Hac igitur virtute primum Maria instructa venit,cum retro stans se ad pedes Domini suppliciter abiecit;quam iram eius ita leniit,vt illum ex iracundo leone in mansuetissimum agnum verterit. *August.*

Post humilitatem autem veræ pœnitentiæ lacrymas profudit quibus Dominicos pedes rigauit.O cui mentis oculos in peccatricis huius pectus immittere liceret:quibus hanc tantam dolo ris vim quàm dilectionis magnitudo, & perfecta scelerum deformitas acuebat,cernere posset.Sanctus quidam pœnitẽs adeo acri dolore propter scelerũ conscientiam torquebatur,vt nullũ cruciatum hoc ipso acerbiorem esse credens,ad Dominum cõuersus dixerit;Domine? nullum supplicij genꝰ est quod ego ope tua adiutus ferre non possim;sola tamen peccati memoria adeò acriter mẽtẽ omnẽ dilacerat,vt vix illã sustinere queam. Quicunque igitur hac tanta diuini splendoris luce,& charitatis ardore à Deo donati sunt,nihil mirum si in hoc tam ingens odium ac detestationẽ peccati deueniãt.Ex huiusmodi autẽ detestatione dolor nascitur,ex doloris autem magnitudine flumina illa lacrymarum erumpunt,quibus pedes Domini Maria abluere potuit.Sed nõ mirum est,si Spiritus sanctus,qui charitatis ignẽ incorde eius accẽderat,intima eius omnia in fontes aquarũ eliquauerit,quibus & animæ eius sordes ablueret,& arentẽ atq;incultã terrã,quæ nihil nisi spinas & tribulos proferebat in voluptatis hortum commutaret.Qua de re sic in libro Iob scriptum legimus:Quis dedit vehemẽtissimo imbri cursum,vt impleret desertã & inuiam,& produceret herbas virentes?Per terram autem desertam & inuiam perditorũ hominũ corda,& ab omni iustitiæcultu aliena intelligẽda esse diximus.Super quæ tamen Dominus vehementissimum desuper lacrymarum & dolorum suorum imbrem,hoc est,superabundantem diuini Spiritus gratiam effundit,quo fit,vt terra illa arida & inculta,quæ antea spinas proferebat,virentes modo pietatis & iustitiæ germinet fructus,quod in hac femina apertissimè videre licet,quę *Iob.38.*

hoc

hoc cæleſti imbre irrigata,ex rudi incultóque dumeto paradiſus voluptatis effecta,dignos pœnitentiæ fructus protulit.

Vbi verò hunc lacrymarum imbrem ſupra beata illa veſtigia effudit,addit nouum tergendis pedibus inſtrumentum, nempe aureos capillos,quibus illa ineſcare ſtultorũ animas & illaqueare ſolebat,vt eorum miniſterio contracta per illos crimina diſſolueret. Capillis tot animas illaqueauit,& capillis ſuam ſoluit: Capillis innumera peccata conrtaxerat,& capillis rurſum eadem ipſa diſſoluit,capillis diabolo & mundo militauerat,capillis modo Chriſto deſeruit,capillis vitam ſuam corruperat,capillis modo vitam inſtaurat,capillis ſe ipſam perdiderat,capillis ſe modò perditam ſeruat. Quis hoc vnquam vidit,vt res eadem iuſtitiæ & iniuſtitiæ,vitæ & mortis inſtrumentum fieret? Hic apertè liquet,non tam res quam rerum vſum probari,vel improbari. Sic enim opes benè collocatæ ſalutẽ:malè autẽ collocatæ peſtẽ ſuis poſſeſſoribus afferunt. Ad hunc ergo modũ huius feminę capilli aliud effecerunt cum iniquitati,aliud cum pietati ſeruirent, hic enim conſecrantur ad vitã,illic deſtinabantur ad mortẽ. Hoc autem in loco videmus impletũ quod Eſaias Propheta futurum in aduentu Chriſti prænuntiauit. Et contaminabis,inquit laminas argenti tui,& ſculptiliũ tuorũ:egredere dices eis. Quæ ſunt autẽ ſculptilia,ſiue idola,niſi ea quę homines ſuper omnia diligunt & in quibus gloriantur? At impudicæ fœminæ quo amore capillos ſuos proſequuntur: quantum de eorum pulchritudine gloriantur? Hæc ergo ſculptilia hodie Maria contaminauit,dum capillos ad puluerem,& ſordes pedum tergendas demiſit. Tunc etiam abominationes Aegyptiorum Domino immolauit, quando capillos ſuos,quos illa ſibi Deos fecerat,Dño ſacrificauit.

*Eſai. 30.*

*Simile.* Mos eſt regiæ familiæ,vbi rex fato functus eſt vexilla regia per terram in mæroris ſignificationem raptare. Hoc ipſum Maria fecit,in cuius hodie pectore dęmon,cui illa tanquã regi ſuo militabat,mortuus fuit,ideoq; teterrimi regis vexillum, nempe capillos ſuos,quibus ipſa ceu vexillo quodam ſatellites diaboli ad ſe vocabat,ad pedes Chriſti demiſit,atque raptauit.

Nec hoc officio contenta,oſculabatur pedes eius,& vnguẽto vngebat. Vnguentum capiti præcipuè,non pedibus, qui luto & puluere fœdantur,adhiberi ſolet. At mulier indignam ſe eſſe reputans,quæ ſacrum illud caput impuris manibus contingeret, ſimul & illorum pedum dignitatem conſiderans, pedes non caput ad vngendum elegit,quibus etiam deuotiſſima oſcula fixit. Sed quæ tanto diuini amoris igne æſtuabat,quo affectu & ſuauitate ſacta illa veſtigia oſculabatur? Nondum illa legerat,quod

Eſaias

Esaias,de noui testamenti concionatoribus ait; Quàm speciosi pedes euangelizantium pacẽ,euangelizantiũ bona!sed iam tum animo præsentiebat,quàm speciosi essent illi pedes, qui toties quærendis vbiq3 peccatoribus lassati fuerant.Egóne(ait illa)non figam oscula pedibus his qui me errabundã ouem,& iam iam à feris deuorandam ad caulas iustitiæ adduxerunt?Ego nõ oscula bor pedes eius, qui me tamdiu patientissimè sustinuit, clementissimè expectauit,benignissimè vocauit,amantissimè excepit,& ex funesti draconis faucibus eripuit?Parum est pedes eius lacrymis abluere,& capillis tergere,sanguine( si liceret)abluere,& visceribus ipsis tergere voluissem. His ergò lacrymis, non verbis, causam suam apud iustum iudicẽ egit.Oratio enim (vt quidam sanctus ait)Deum lenit,lacryma cogit,hæc vngit,illa pũgit.Sunt enim apud diuinas aures maximè vocales pœnitentium lacrymæ, alias enim nequaquam Propheta dixisset, Auribus percipe lacrymas meas.Quid enim Ezechiæ lacrymæ non impetrauerunt:cùm is ad lectuli parietem conuersus fleuit fletu magno? His ergo lacrimis quibus Maria Dominicos pedes lauit,animæ suæ puritatem & ablutionem impetrauit. *Esaiæ 52.* *Psal. 38.*

Nemo tamen,fratres,existimet hoc summũ Christi Dñi beneficiũ ad vnã solam Mariam fuisse reseruatum.Latè patet diuinæ misericordiæ campus omnibus qui simili officio Dominum promerentur.Sed ais,Quí fieri potest,vt in cælo iam regnãtem Dominum,& ab humanis oculis sublatum,simili pietatis officio obsequi possim? Audi modũ.Quamquam is ascenderit in cælum, pedes tamen suos,quos hoc officio prosequeremur, reliquit in terra.Qui sunt autẽ pedes Domini,nisi ij qui infimi omnium videntur?nempe pauperes,quos & ipse Dñs minimos appellauit, eum dixit,Quod vni ex his minimis meis fecistis, mihi fecistis. Cùm ergo videris hos pauperes;& pietatis affectu erga illos cõmoueris,lacrymis sanè lauasti pedes Iesu.Expurga etiam sordes quæ à pædore & squalore paupertatis illitæ eis sunt?quod tũ maxime facies,cùm opibus,quę tibi superfunt,illorũ inopiã subleuas:tũc enim capillis Christi pedes absterseris. Nã per capillos,sine quibus viuere possumus, significãtur ea quę vltra necessitatẽ nobis suppetũt.Oscularis aũt pedes Iesu,cùm materno charitatis affectu suscipis pauperum curam,ac veluti proprios filios foues, ac nutris.Nam parentum proprium est,filios deosculari, præsertim tenellos adhuc & infantes. Eiusmodi autem pauperes sunt, qui veluti infantes nequeũt sibi opitulari, sed aliorum indigent ope.Hac igitur ratione pium beatæ huius peccatricis obsequiũ etiam nunc poterimus,imitari. *Mat. 25.*

II, *Videns*

II.

*Videns autem Phariſæus qui vocauerat eum, ait intra ſe, dicens:* Hic ſi
1.Reg.17. *eſſet Propheta &c.* Hic apertè videmus impletum quod Samueli Dominus dixit; Homo videt ea quæ foris patent; Dominus autem intuetur cor. Phariſæus enim vulgi iudicium ſequens, & anteactã peccatricis vitã, eam dãnabat: Chriſtus autẽ Dñs, de quo
Eſdr.11. longè antè prænunciatum fuerat; Non ſecundum viſionẽ oculorum iudicabit, neq; ſecundum auditum aurium arguet, ſed iudicabit in iuſtitia pauperes; cor illius charitate, humilitate, acerbiſſimoq; dolore contritum intuebatur, ideoq; quam mũdus accuſabat, ille, qui renum & cordis ſcrutator eſt, cõmendabat. Nec hoc ſolum nomine accuſandus eſt Phariſæus, ſed hoc etiam quòd ad veram ſanctitatem & iuſtitiam pertinere credebat, peccatorũ, ac præcipuè pœnitentium contactum refugere: quaſi huiuſmodi contactu puta mens inquinari poſſet. Sed tamen vana & ficta Phariſæorum religio in huiuſmodi nenias inciderat: quæ vt ad plauſum & oculos hominũ ſeruiebat, ita interna pietate neglecta ea ſolum quæ humanis oculis conſpicua erant, curabat. Videtur autem mihi Phariſæus hic quadã ex parte ſimilis illi fuiſſe, qui ſe ipſum publicani comparatione iactabat: ita enim hic eiuſdẽ ſuperbiæ & præſumptionis ſectator huius ſe peccatricis cõparatione efferebat. Cuius cogitationibus Dominus tã mirabili cõſilio & arte reſpondit, vt peccatricẽ illã longe ipſo iuſtiorẽ eſſe declararet: & is tamen hac reſponſione nihil offenderetur. Ait igitur: *Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait, Magiſter dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori. &c.* Delicatæ aures, niſi his ambagibus & parabolis, veritatem quæ illos perſtringit, audire recuſant. Sic enim Nathan Propheta ſcelus adulterij Dauidi Regi propoſuit, vt non à propheta reprehenſus, ſed à ſeipſo damnatus fuiſſe videretur. *Duo* inquit Dominus, *debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos, alius quinquaginta. Nõ habẽtibus illis vnde redderẽt, donauit vtriſque. Quis ergo eũ plus diligit?* Repondens Simon ait, *Aeſtimo quia is cui plus donatũ eſt. Ait illi Ieſus, Recte iudicaſti. Et cõuerſus ad mulierẽ, &c.* Animaduertite, quæſo fratres, Domini miſericordiã, & gratiã, mulier faciem Domini verita acceſſit retrò, at is qui humiles corde nõ auerſatur, terga petenti faciẽ reddidit Moyſi faciẽ Domini videre cupienti, poſteriora videnda tradũtur, at huic peccatrici retrò accedenti, facies Dñi videnda adhibetur Conuerſus enim ad illam, *dicit Simoni, Vides hanc mulierẽ, Intrauit in domum tuã, aquam pedibus meis nõ dedidiſti, hæc autẽ lacrymis rigauit pedes meos, & capillis ſuis terſit. Oſculũ mihi non dediſti, hæc autẽ ex quo intrauit non ceſſauit oſculari pedes meos. Oleo caput meum non vnxiſti*

hæc

*hæc autem vnguento vnxit pedes meos.* Mirã in hac officiorum ſupputatione conſolationẽ animus meus percipit. Hoc enim argumẽto facilè coniicio, quibus immenſa illa bonitas oculis piorum hominum rectè facta contemplatur quando omnes boni operis circumſtantias, atque (vt ita dixerim) particulas adeo vigilanter excutit, vt ſimplex officium minutatim in tot partes diuidat, quot circumſtantias habet, quo vnicuique ſuum pręmiũ tribuat. Simili modo miſericordiæ opera, quibus pauperum neceſſitatibus cõſulimus (quæ vnico nomine comprehendi poterant) ſingulatim in extremo iudicio diuidet: cum illis ſua præmia decernat. Eſuriui, ait, & dediſtis mihi manducare, ſitiui, & dediſtis mihi bibere, &c. Itaq; fratres, ſicut Apoſtolus ad bene operandi ſtudiũ ſpe futuræ reſurrectionis Corinthios adhortatur: ita vos ego ad idem ſtudiũ hortor, quod iuſtiſſimum veſtrorũ operum æſtimatorem in cœlo habituri ſitis, cui neceſſe oratorem adhibere, qui veſtra rectè facta amplificet, & rem ipſam cum partibus ante eius oculos ponat: ipſe enim & bonorum operum retributor, & idoneus amplificator eſt: quique non ſolum boni operis, ſed omnium etiam vel minimarum circunſtantiarum rationem habeat.

Quid igitur ſibi Saluator hac officiorum enumeratiõe voluit? Primum hinc apertè colligit, quã ille peccatricem damnabat, eſſe illo ſanctiorem: quòd videlicet maiori eſſet charitate prædita: quam rem maiora charitatis officia indicabant, cum ille pręter hoſpitij conuiuium nihil addidiſſet, hæc verò mulier omnia illa ardentiſſimæ charitatis officia præſtitiſſet. Itaq; ex operum præſtantia charitatis excellentiam: ex hac verò ſanctitatis præſtantiam non obſcurè intulit: quod ille fortaſſe minus intellexit.

Sed non leuis tamen dubitatio circa hãc Domini cõcluſionẽ oritur, qua is ꝓpoſita duorum debitorum parabola, quorum alter minus, alter plus deberet intulit: *Propter quod dico tibi dimiſſæ ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Videtur enim inuerſa cõcluſio. Si enim ex duob⁹ debitoribus plus diligit, cui plus dimiſſum eſt: ex hoc colligi videbatur, vt hæc mulier cui multa debita dimiſſa ſunt, multum diligeret. Itaq; maioris debiti remiſſio maioris dilectionis cauſa eſt. At hic cõtra Dñs maiorem dilectionem remiſſionis cauſam eſſe intulit, cum ait, *Dimiſſa ſunt ei peccata multa: quoniã dilexit multum.* Huic dubitationi faci è quidẽ (quãuis ad populum obſcurè) Theologi reſpondent: quòd quemadmodum diuina gratia, ita & charitas, quæ ex gratia manat, iuſtificationem hominis antegreditur, & conſequitur, quod in diuerſo cauſarum genere contingere poſſe non eſt ambiguum. Sed quoniam hæc philoſophi ſubtilior

tilior est: quàm vt à populo percipi possit, tentabo illam alia ratione, rudibus etiam, conspicuam facere. Ad hoc autem necesse est, vt ea quæ iustificationem hominis antecedunt, explicemus, cuius rei cognitio iis qui vel ad Deum conuersi sunt, vel cõuerti studeant, maximè vtilis & necessaria est. In homine igitur iustificãdo motus fidei primo loco ante omnia cõcurrit qui Deum homini tanquam iustum iudicem proponit, qui vnicuiq; secundum opera sua, siue præmia, siue supplicia redditurus sit, eundemque repræsentat, vt infensum improbis, ita contra propter Christi merita clementem & propitium verè pœnitentibus. Ex hac autẽ fide, Spiritu sancto excitante, & afflatu suo ad gratiam præparante, consequitur primum timor ex diuini iudicij & admissi criminis recordatione. Quem quidem metũ spes excipit & lenit, quæ ex diuinæ miserationis & meritorum Christi consideratione procedit: per quam sperat, peccata sua sibi condonanda & admissam Dei gratiam & amicitiam illius meritis & pretioso sanguine recuperandam. Ex qua re non modo spes veniæ propter Christũ, sed amor etiã in ipsum excitatur, vt qui immeritos nos tantoperè dilexerit, tantisque doloribus suis primam nobis gratiam promeruerit. Ex quo amore dolor cõtinuò nascitur, cùm cõsideramus quàm multis sceleribus illũ offendimus, à quo sic conditi, sic redempti, sic à diaboli tyrannide fuimus liberati. Cum dolore verò ac detestatione peccati propositum simul nascitur vitandæ eius rei quam super omnia detestamur, quæque tantum nobis dolorem incussit. Cùm verò ad hoc propositum ventum est, quo pristina mala detestantes, Deo deinde militare atque seruire toto pectore, toráque mẽte decernimus, ibi protinus cælestis gratia mẽtibus nostris illabitur, quæ nos ex iniustis iustos, & ex inimicis amicos Dei facit. Hęc igitur series earum rerum est, quæ animum ad iustificationem præparare solent. Redeo igitur ad spem, de qua paulò antè dixi. Hæc, quatenus ex natura sua est, amorem eius parit, per quẽ nobis sperata salus, & peccatorum venia contingit, qui non alius, quàm Christus salutis nostræ auctor est, agnus videlicet ille qui tollit peccata mundi. Quæ quidem spes quo vehemẽtius à diuino spiritu roboratur, eo maiorem in Christum amorẽ excitat. Ea verò in hac peccatrice tanta fuit, vt ardentissimum in eius pectore amoris ignẽ accenderet, per quem tantum sibi beneficium firmiter conferendum esse sperauit. Quo verò spes firmior & certior, eo charitas extitit ardẽtior. Quæ quidẽ charitas vt peccatorum remissionẽ consecuta est (dilexit enim multũ, quia multa ei debita cõdonata sunt) ita etiã præcessit, quoniã certissimè sibi ea remittenda

Ioan. 1.

mittenda esse sperauit. Firma enim alicuius boni potiundi spes non minus interim afficere animum quã ipsa possessio solet, vt non minus ferè gaudeat, qui certissimè bonum aliquod sperat, quàm qui in manib. habet. Itaq; Maria dilexit multũ, vbi illud à Domino letitiæ & exultationis verbum audiuit: Remittũtur tibi peccata tua, & ante hoc etiã verbum dilexit multũ, quia fit missima spe credidit esse sibi peccata multa remittenda. Hoc enim nõ obscurè Dominus indicauit, cum ait; *Fides tua te saluam fecit, vade in pace.* Hac enim fide & futuram per Christum remissionẽ credidit, & quia credidit; sperauit, & quia sperauit, auctorem tantæ salutis dilexit. Hoc est autẽ quod cæleſtis magister in hac parabola intulit quod erat videlicet obscurius, quod enĩ per se satis manifestum erat, iudicio reliquit auditorũ. Hæc autẽ ipsa quæ diximus, vno Dauidis versiculo apertissima faciam, is enim sic ait, Dilexi, quoniã exaudiuit Dominus vocem orationis meæ. Dilexi, ait. Quare diligis? quod à Deo beneficium percepisti vt eũ diligas? Quoniam, inquit, exaudiet Deus vocẽ orationis meę, hoc est, quoniã hanc spẽ firmiter animo cõcepit, in quacũque die ad Dominũ clamauero, exauditurum esse vocem meam, hæc futuri boni firma spes iã dudũ in animo meo amorem erga illũ accẽdit non minus quàm si hoc iam mihi beneficium præstitisset. Huius verò spei firmitatẽ alibi ostendit, cùm ait, Scitote quoniã mirificauit Dominus sanctũ suũ. Qua in re mirificauit? quibusopibus & beneficiis te conspicuũ & mirabilem reddidit? subdit protinus, i Dominus exaudiet me cum clamauero ad eũ. Quid enim maius quàm summũ illum rerũ omnium Dominũ habere adeò fauentem ac propitium, vt non semel aut iterum, sed quoties ad eum clamauero, eius mihi opẽ non defuturã certò sciam? An nõ igitur hunc Dominum toto pectore diligam, colã & perpetuis laudibus celebrabo. Hoc ipse adhuc alibi apertius profiteiur his verbis, Ab insurgentibus in me exaltabis me, à viro iniquo eripies me. Propterea confitebor tibi in nationibus, Domine, & nomini tuo Psalmum dicã. Videtis ergo futurorum beneficiorũ spem, laudandi atque diligẽdi Dominũ studium excitare? Ad hunc ergo modũ hæc sancta femina nõ modo Christum ardẽtissimè dilexit, cum peccata sibi dimissa cognouit, sed etiam quia dimittenda sperauit. Neque enim aut nouũ aut mirum est, spem boni futuri, amorẽ & gaudiũ in præsenti excitare. Ex qua quidẽ philosophia illud colligimus, fratres, dupilci nomine pios oẽs ad Christi dilectionẽ teneri, altero, ꝙ peccata illis dimissa sunt, quod tamen nemo certũ & exploratum habere potest, altero ꝙ si deinceps in peccata

*Gral.114*

*Psal.4*

*Psal.17.*

labantur( modò illos malorum ſuorum pœniteat)dimittenda
*Mat.18.* ſint. Qui enim homini remittere iuſſit ſeptuagies ſepties,mul
tò magis ipſe præſtabit quod aliis faciendum eſſe præſcripſit.
Ex hoc itē loco aliā rurs⁹ diligēdi Dominū cauſam colligim⁹,
*Auguſt.* nempe quòd is electos ſuos hoc pulcherrimo & maximo be-
neficioaffecerit, vt omnia illis vertantur in bonum, etiam ipſa
peccata,vt D.Auguſt.ait.Vbi enim ad Dominū cōuerſi præte-
rita crimina deſeruerunt,eorundem conſideratio humilitatem
gratitudinem, ſalutarem dolorem &ſolicitā ſui cuſtodiā parit,
ita fit,vt quod lætiferum & pernitioſum erat, virtutis &pietatis
occaſio fiat.Quod huie peccatrici eueniſſe videm⁹,cui peccato
rum multitudo multā etiam diligendi occaſionē prębuit.Quam
etiā omnes illi habent,qui poſt diuturna flagitia miſericorditer
à Domino vocati,& in gratia conſtituti,ad finem vſque incon-
cuſſam pietatis fidem ſeruauerunt. Nemo tamen huius ſpei
obtentu diutius in ſceleribus perſeuerandi occaſionem ſumat,
quandoquidem de huiuſmodi vocatione & ſuperabundanti di
uinę gratiæ auxilio incertus ſit,imò verò qui diutius in pecca-
*Auguſt.* to manet,eo magis ſibi ſalutis aditum pręcludit.

Sequiturdeinde altera quæſtio,quam diuus Auguſtinus lon-
ga orarione hoc in loco vehementer vrget.Cum enim Domi-
nus dicat,Mariā dilexiſſe multum,quią multa ei peccata dimiſ
ſa ſunt,&minus diligat,cui min⁹ dimittitur:aliquis hinc fortaſ-
ſe anſam arripiet plura peccandi,vt plus diligat,cui plus dimit
*Rom.3.* tendū ſit.Itaq; metuēdum eſt, ne his qui cupiditatibus ſuis in-
dulgēt,ſubrepat illa ſentētia quā Apoſtolus his verbis inſinuat,
ſicut quidam dicunt nos dicere,faciem⁹ mala,vt veniant bona.
Dicet enim aliquis; Si cui modicum dimittitur, modicum dili-
git:cui autem plus dimittitur, plus diligit , expedit autem plus
diligi, quàm minus diligi : oportebit ergo multùm peccare vt
multū debeamus, vt ita demum propter maiora debita dimiſſa,
Deum magis diligamus.Huic quæſtioni reſpōdet Auguſtinus,
vt cōtendat non minùs illum diligere debere , quem Deus ita
gratiæ ſuæ virtute præuenit,vt in multa ſcelera minimè labere-
tur,quàm is cui multa ſcelera condonata ſunt.Ait igitur,Acce-
dit ad eum ſupplex aliquis peccator coopertus ſpinis tanquā e-
*Pſal.103.* ricius,&nimis timidus tanquam lepus,ſed petra tamen,hoc eſt,
Chriſt⁹ Dominus (vt Pſalmus ait) huiuſmodi ericiis & lepori-
b⁹ refugium eſt.Alius gubernāteDeo nō multa cōmiſit.Cui de-
putat ille quod dimiſit,huic & iſte deputat quod nō cōmiſit. A-
dulter nō fuiſti in illa vita tua plena ignorātia.Hoc dicit tibi Do
minus Deus tuus,Regebam te mihi,ſeruabam te mihi vt adul-

terium

teriũ nõ cõmitteres ſuaſor defuit,& vt ſuaſor deeſſet,ego feci. Affuit ſuaſor,nõ defuit locus,nõ defuit tẽpus, vt nõ cõſentires ego terrui. Agnoſci ergo gratiã eius cui debes & quod non cõmiſiſti. Mihi debet iſte quod factum eſt, & dimiſſum eſt,mihi debes tu quod non feciſti. Nullum enim eſt peccatum quod faciat homo quod non poſſit facere alter homo; Extat locupletiſſimũ huius rei exemplum Abimelech Regis Palæſtinorum, quamuis ethnici, quem tamen Dominus cohibuit ne Abrahæ vxorem violaret. Cùm enim is vellet eam ſibi matrimonio copulare,Domino autem ipſum propter hoc caſtigante,& corripiente,ille ſe ſimplici corde hoc feciſſe teſtatus eſt, quod eam non vxorem,ſed ſororem Abrahę eſſe crederet. Cui Dominus, Et ego,inquit,ſcio quòd ſimplici corde feceris,ideoq; cuſtodiui te ne peccares in me. Videtis ergo Regem hunc quamuis ethnicus beneficio tamen Dñi à peccando cohibitum?; Non ergo min⁹ hic diuinæ miſericordiæ debet,quòd ab hoc crimine immunis fuerit,quàm ſi admiſſum crimen illi condonatũ eſſet Quamnis enim eximam laudem promereatur vera pœnitentia,maiorem tamen obtinet innocentia. Præſtat enim non peccaſſe,quàm poſt peccatum pœnituiſſe. Ergo,fratres, debitores ſumus Deo, ſiue quibus peccata dimiſſa ſunt, ſiue à quibus commiſſa non ſunt:illi,quoniam veniam à Domino p erceperunt:iſti quoniam eo gubernãte in peccata minimè incid erũt, Quare(vt idem Auguſtinus ad Virgines quaſdam ſcribit)exiſti mare debemus,nobis dimiſſum,quidquid non eſt illo donãte commiſſum: vt vtriqne ſummo Deum amore diligentes, ad charitatis plenitudinem,quæ in æterna patria viget peruenire mereamur,præſtante Domino Ieſu Chriſto, cui eſt honor & imperium in ſecula ſeculorum,Amen.

## In feſto beati Iabobi Apoſtoli concio prima:in qua lectio Euangelica,ac deinde verba in themate propoſita explanantur.

THEMA. *Calicem quidem meum bibetis. Matt.20.*

HOdie, fratres, beatiſſimi Apoſtoli Iacobi feſtum diem, maiori(vt arbitror)alacritate, quam aliorum Apoſtolorum feſta celebramus:vt pote qui de hoc tanto Hiſpanię noſtrę patrono meritò gloriamur. Is enim pręcipuè ex ſacro illo Apoſtolorum choro(qui Dominum Saluatorẽ,dum in hoc mundo verſarerur,comitari meruerunt)in Hiſpaniam venire, ibiq;

fidei ſemen iacere diuina diſpenſatione voluit. Nec in vita ſolum,ſed in morte etiam ſedem apud nos eligere dignatus eſt, vt quos cæleſti doctrina ad fidē erudierat,ſacri corporis ſui præſentia ab hoſte defenderet.Fuit certè diuinus hic Apoſtolus valdè nobis amicus, qui nec viuens,nec vita functus deſerere nos voluit:qui cùm patriam agnoſceret Iudæam, tumulo tamē atq; doctrina honorare atq; defendere voluit Hiſpaniā. Nec dubiū, quin plurimum poſſe in cœlo regnans, qui apud vnicum Dei
*Luc.9.* filium tantam meruit gratiā inuenire. Hunc enim cum Ioanne fratre,& Apoſtolorum principe Petro,glorioſæ trāsfigurationis ſuæ teſtem eſſe voluit. Eoſdem etiam ſecum ſolus ad Archiſy-
*Marc.5.* nagogi filiam ſuſcitādā ingredi voluit.Nec in proſperis ſolùm, ſed in aduerſis etiā eoſdem ſibi comites aſciuit : cùm ante paſſionis ſuę certamen cœpit contriſtari & mæſtus eſſe.Nec inſigni
*Marc.26.* gloria caret,ꝙ is primus inter Apoſtolos fuerit martyrij corona laureatus:primus ſe ipſum holocauſtum vinum Domino obtulerit,primus glorioſo propter illū cruore perfuſus fuerit:primus
*Acto.12.* morti,quàm Saluator dignatus eſt pro omnibus pati.morte ſua vicem rependerit,& pro vita vitam, pro ſanguine ſanguinem reddiderit.Hic igitur tantus Apoſtolus nunc quidem patronus eſt noſter:prouidendum autem ſummo ſtudio nobis eſt, ne qui modo eſt patronus, in extremo iudicio noſter fiat aduerſarius,. quemadmodū de legiſlatore Moyſe Dominusdixit.Eſt Moyſes
*Ioan.5.* qui accuſat vos,in quo vos ſperatis. Qui enim obſequentibus patroni ſunt,rebellibus atque immorigeris aduerſarij fiunt.

Cæterùm hodierna ſancti Euangelij lectio, quæ Iacobi & Ioannis fratris petitionem continet,nō omnino ad eorum laudem & gloriam pertinet.Habet enim aliquid quod meritò laudari,&quod etiam accuſari debeat:illud autem ad Dei gloriam, hoc verò ad humanæ naturæ ſpectat ignominiam. Vtraque igitur de re hodie dicturi,cœleſtem opem,ſacratiſſimæ Virginis interceſſione,ſuppliciter imploremus.

AVE MARIA.

*Mat.4.* Scitis iam,fratres, Petrū & Andream fratrem eius ante cæteros Apoſtolos fuiſſe à Domino vocatos.Cùm enim in mari Galilææ retia laxarent,à Domino ad aliam multo digniorem atq;
*Ibidem.* vberiorem piſcationem vocati ſunt.Vbi autem hos vocaſſet,procedens inde vidit alios duos fratres,Iacobum noſtrum,& Ioannem cum Zebedæo patre,reficientes retia ſua,& vocauit eos.At illi relictis retibus,& patre,ſecuti ſunt eum.Quid hac diuina vocatione mirabilius? Quid piſcatorum ſtatu,atque eorum præcipuè,qui reficiendis laceris retibus vacabant abiectius?quid verò

Apoſtolici

Apoſtolici muneris dignitate in Eccleſia ſublimius? Et tamen mirabili hac Saluatoris dignatione, abiectiſſimi piſcatores ad tantam celſitudinis gloriam vocati ſunt, vt appareat verum eſſe quod Sapiens ait: Facile eſt in oculis Domini ſubitò honeſtare pauperem. Et: Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem: vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui. Si huius vocationis cauſam quæris: cauſa eſt, diuina liberalitas atque voluntas, quemadmodum ipſe Dominus ait: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, &c. Ne quis habeat vnde meritò ex ſe gloriari poſſit. *Eccle.* 12. *Pſal.* 112. *Ioan.* 15.

Horum ergo duorum diſcipulorum mater, Zebedæi vxor, & beatiſſimæ Virginis ſoror, quæ Maria Salome, ſcilicet filia, appellabatur (illa, inquam, Salome, quæ cum Maria Magdalena, & Maria Iacobi matre, ſummo mane cum aromatibus ad Dominicum corpus vngendum venerat) cum videret filios ſuos inter primos Apoſtolorum à Domino vocatos, & ſanguinis coniunctione propinquos: petit, vt eos regni ſui (quod terrenũ ac temporale, Iudæorum more, futurum ſomniabat) ſummos principes faceret, eisque ad dexteram ſuam atque ſiniſtram conſeſſum præberet. Mater ergo à filiis ſubornata, & materno amore decepta, hunc tantum honorem filiis in Chriſti regno petebat, qui paulò antè cum Zebedeo patre lacera retia reficiebant. Vt autem huius petitionis cauſam & originẽ intelligamus, pauca mihi de honoris appetitione & cupiditate (à qua hæc petitio manauit, & qua vehementer omnes laboramus) prius dicẽda ſunt. *Marc.* 19. *Matt.* 4.

I

Satis conſtat, fratres, inter omnes humani cordis affectus, honoris & gloriæ cupiditatem latiſſimè patere. Nemo enim eſt neque tanta humanitate præditus, neque tam agreſtis & inhumanus, neque tantis honoribus inſignis, neq; tam obſcurus & ignarus, neque tot virtutis ornamentis excultus, neque tam multis flagitiis coopertus, qui non flagret infinita quẽdam gloriẽ cupiditate. Hoc autẽ vel ex eo patet, quod cùm nihil hominibus vita ipſa charius ſit, multi, ne honorem amitterent, aut vllum in ſe dedecus admitterent, vitam profundere maluerunt. Cumque Theologorum ſententia ſit, nullibi magis lapſæ naturæ morbum, quàm in carnalis commercij cupiditate deſæuiſſe: multæ tamen fœminæ magnam huius concupiſcentiæ vim maiori honoris & famæ cupiditate ſuperãt: adeò huic honoris cupiditati cęteræ vel potentiſſimæ cedunt. Quæ res non tam in agreſtibus ingeniis, quæ ferè voluptatem & vtilitatem honori anteferunt, quàm in ingenuis & cultioribus animis maximè locum habet.

Hic enim decus & gloriam vtilitati & voluptati, præferunt.
*Q. Curtius.* Quod Alexandro Magno, Scipioni, aliiſque nonnullis, ſcriptores hiſtoriarũ contigiſſe referunt: qui oblatas ingentes voluptates repudiarunt, ne nominis ſui gloriam aliqua infamiæ labe aſpergerent. Pompeius verò ille Magnus, cùm intra priuatos
*Plutarch.* parietes (vt Plutarchus in eius vita memorat) Libertini ſui vxore vteretur, ad bellum tamen Mithridaticum profectus fœminas inſigni forma atque decore oblatas contingere noluit, ſed eas vel parentibus, vel viris ſuis intactas honorificè tradidit.

Cùm igitur conſtet affectum hunc adeò eſſe vehementem, adeóque latè patere, inquiſitione dignum eſt, cur naturæ cõditor Deus hunc animis noſtris affectum ingenerauerit. Cui quæſtioni reſpondemus: id quidem ſingulari opificis cõſilio factum eſſe. Honoris enim apetitio, & (quod eſt conſequens) ignominiæ odium, vehementer nos ad virtutis ſtudium alliciunt, & à vitiorum turpitudine reuocant. Vidit enim ſapientiſſimus ille rerum fabricator, neque à virtute laborem & difficultatẽ (quam hominum natura refugit) neque à vitiis abeſſe voluptatem, quam eadem natura vehementer appetit. Vt eos igitur neque difficultas illa à virtute retrahere, neque rurſum ea voluptas ad inhoneſta & inconceſſa raperet, in virtute quidem honorem & gloriam collocauit (cuius flagrantiſſimum deſiderium animis noſtris inſeuit) in vitiis autem dedecus & ignominiam poſuit, à quibus nos pudoris & verecũdiæ freno arcere voluit. Vt enim
*Seneca.* ait Seneca: Plures homines pudore magis quàm bona volũtate prohibitis abſtinent. Iuſtiſſimum quidem erat, vt nos ſolus diuini numinis timor, & ad virtutis cultum induceret, & à flagitiis auocaret: at ſummus ille virtutis amator, & vitiorum hoſtis, non ſolùm muro, ſed etiã antemurali virtutem ſepire voluit, vt quos diuini numinis reſpectus ad virtutem minus incitabat, honoris ſaltem appetitus, & ignominiæ metus in officio contineret. Si-
*mile.* mili conſilio, quãuis in re lõgè diuerſa, princeps huius mundi dæmon vſus eſt; qui, quoniam homines ad idolorum cultum trahere volebat (in quo nulla erat illecebra voluptatis, quæ illos ad hoc alliceret) fœdiſſimas voluptates, & magnã vitiorum licentiam (qua homines maximè capiuntur) nefario illi cultui admiſcuit, vt hac voluptatis ſuauitate miſeri homines ineſcati, à vera religione ad impiam illã, voluptuoſam, & ſuperſtitioſam raperentur. Quod ergo generis humani hoſtis fecit, vt homines ad impietatẽ traheret, hoc ipſum diuerſa ratione amator hominũ Deus fecit, vt homines à vitiorum turpitudine ad honeſtatem traduceret: dum in illis dedecus & ignominiam, in hac decus &

gloriam

gloriã collocauit. Simile quidã Medici quoq; in officio ſuo facere ſolent: qui cũ viderint ægrotos ſalutares cibos faſtidire, & noxios appetere, ſalutaribus noxios adiũgũt; vt dũ auidè ſumũt quod noxiũ eſt, ſumãt etiã quod illis ſalutare futurũ eſt. Cęterũ virtuti honorem & gloriam deberi: non modo omnis philoſophorũ ſchola, ſed ipſe etiam communis naturæ ſenſus probat. Conſtat enim, honorem, & laudem, & gloriam, & reuerentiam rebus excellentiſſimis deberi. Nil autem in vita virtute clarius, nihi excellentius. Contrà verò vitia eſſe dedecore, ignominia contemptione digna, idẽ naturæ ſenſus apertè docet. Etenim ſicut rebus excellẽtiſſimis gloria ita fœdiſſimis (cuiuſmodi ſunt omnia vitia) dedecus debetur & ignominia. Qua ex re liquet, quàm ſapienti conſilio virtutis amator Dominus hos duos affectus, honoris & verecundiæ, mentibus noſtris impreſſerit.

Sed quid nos tandem facimus? quoniam modo his diuinis beneficiis vtimur? Nimirum eo modo, quo aliis eiuſdem conditoris muneribus, quæ vitio noſtro ſic inuertimus, vt virtutis & religionis inſtrumenta in vitiorum irritamẽta vertamus. Nihil enim animis noſtris impreſſum & iniuſtum eſt, in quo nõ diuinum beneficium agnoſcere valeamus: nos tamen illis naturę principiis, quæ nobis ad ſalutem tributa ſunt, peruerſè vtentes, noſtra dementia in perniciem incurrimus. Nam ira, cupiditas, ſpes, metus, dolor, voluptas, & reliqua generis eiuſdem, quibus animos vel incendi, vel reſtingui, vel incitari, vel remitti, vel efferri, vel contrahi, vel alio quouis pacto commoueri & agitari ſentimus, nobis donata ſunt, vt noxia repellentes, & ſalutaria aſciſcentes, naturæ ſtatim conſeruemus: nos verò ea plerumq; omnia ad flagitium atque vitę peſtem conferimus. Quo autem ſunt illa maiora & ampliora quę accepim⁹, eo ex illoſum abuſu grauioribus malis implicamur. Largitus eſt enim Deus nobis rationem, qua maximè à belluis diſtemus, & ad diuinam naturam proprius accedamus: nos autẽ eandem ſępenumero rationem huc & illuc verſantes: ea ſcelera cõcipimus, vt belluas etiã immanitate ſuperemus. Habemus etiam à natura animos imbutos religione, qua incitari, præcellentem illam naturam, diuinamque vim hominum generi cõſulentem ex operibus agnoſcẽtes, eam caſtiſſimo pietatiſque pleniſſimo cultu veneremur. At hominum amentia factum eſt, vt ab illo naturæ ſenſu duceretur omni ſcelere contaminata ſuperſtitio, quæ fuſa per omnes nationes multis ſeculis omnium ferè animos opprimeret, mortaleſque miſeriis infinitis implicatos & conſtrictos teneret. Nihil denique, ne plura perſequar, eſt nobis à natura inſitũ quod

Ex H. Ooſor. lib. 1. de gloria.

non sit vel ad corporis tutelam, vel ad animi cultum aptissimũ: sed nos plerunque diuinis muneribus ad nostrum exitium & deformitatem abutimur. His igitur exemplis apertè liquet, quid de honoris appetitu iudicandum sit. Vt enim scelerati & perditi homines, illam animi propensionem, qua ad religionis & veri Dei cultum naturæ beneficio incitabantur, ad falsa numina impiè transtulerunt: & quod erat pietatis incitamentum, totius impuritatis seminarium fecerunt: sic modò multi honoris desiderium, quod in virtute colenda impendi debebat, non in virtute, sed in opibus, in diuitiis, in potentia, in ampla familia, in ingenti patrimonio, in varia ac diuite supellectili posuerunt: eos, qui hisce rebus abundant, claros cum primis & illustres existimãtes, quãuis sint sceleratissimi: eos verò, qui paupertate & inopia premuntur, miseros arbitrantes, quamuis sint virtutũ omnium ornamẽtis exculti. Honorem igitur in diuitiis; pudorem autem & verecũdiam in paupertate collocarunt. Videtis igitur, fratres, humanæ mentis peruersionẽ, & diuinorum munerum abusum?

*Simile.* Vnde liquet, id hac in parte euenire, quod in multis quoque aliis rebus contingit: quarum aliæ quidem veræ, aliæ adulterinę sunt. Est enim verum aurum, est & adulterinum, quod auri speciem non veritatem refert. Sic etiam sunt gemmæ & margaritæ verè pretiosæ: sunt aliæ rursum, quæ fallaci specie gemmarũ & margaritarum pulchritudinem mentiuntur. Ad hunc ergo modum sunt veri honores, sunt & falsi atque adulterini. Veri sunt, qui hominibus ob virtutem & res præclarè gestas tribuũtur, falsi autem sunt, qui ob res futiles & interituras exibentur.

*Sallust.* Hinc insignis ille historiæ scriptor: Diuitiarum inquit, & formę gloria fluxa & fragilis est, virtus clara æternaque habetur. Diuitiæ namque scelestissimis sæpè hominibus contingunt, qui nõ ideò honore digni sunt, quamuis Crœsum diuitiarum opulentia superent, cùm sint sceleribus infinitis infames: contrà verò

*Lucæ 16.* pietatis & iustitiæ cultores, quamuis Lazaro mendico pauperiores sint, veris honoribus dignissimi sunt. Hac enim de causa Reges terræ, atq; adeò vniuersus Christianus orbis Iacobum Apostolum prędicat & honorat, & sacra eius limina magna religione frequentat: non quòd is terrenis opibus abundauerit (qui pauperis Christi discipulus & imitator extitit) sed quòd eximia sanctitate, omniũque virtutũ opibus locupletissimus fuerit. Hę sunt enim verę opes, quib⁹ ver⁹ honor summo iure debetur.

I I

Vt igitur ad institutum redeamus, discipuli adhuc in Christi schola rudes, qui veros honores à falsis discernere nesciebant, vulgique

vulgiq; tunc errorem ſequebãtur, hunc falſum honorem à Domino petebant, nempe conceſſum ad dexteram & ſiniſtram in regno eius, quod terrenum atque temporale eſſe arbitrabantur. Quibus Dominus, *Neſcitis*, ait, *quid petatis*. Verè enim quid peterent, neſciebant, qui veræ ſolidæq; dignitatis & gloriæ ignari, hanc vulgarem dignitatem & gloriam ambiebant. Quod autem illis à Domino reſponſum eſt, nobis quoque reſponſum putemus, qui ſimili morbo ſimiliq́ue errore laboramus. Omnes enim ferè veri honoris materia (quam in virtute ſitam eſſe diximus) neglecta, falſi honoris cupiditate flagramus; dum inania hæc fortunæ lenocinia omni ſtudio & auiditate captamus. Quodq́ue dolendum magis eſt, vſque adeò in hoc errore perſiſtimus, vt ſi Deus nobis optionem daret, vltra bona mallemus: an ea, quæ fallaci honori, an quæ honori vero materiam præbent; illa magis quàm hæc eligeremus, hoc eſt, terrenas & interituras opes magis quàm pietatem & virtutem, quæ ſunt immortales & ſempiternæ opes. Quid igitur indignius, quid magis præpoſterum quàm vt homines mentis compotes, gloriæ cupiditate incenſi, falſam & mendacem gloriam veræ gloriæ dignitati anteferant? Si nobis quiſquam referret, habitare ſub æquinoctiali linea barbaros & immanes quoſdã populos, qui pluris adulterinum aurum facerent, quàm verum; pluris adulterinas gemmas & margaritas, quàm veras, quis illorum barbariem & amentiam non rideret? At nos ipſos minimè ridemus, qui tantũ nobis religionis & prudentiæ nomine tribuimus, qui in ſimilem barbariem, atque adeo periculoſiorem incidimus, quãdo falſam atque fallacem gloriam, verę atq; ſolidæ, antepoonimus, maioriq́; ſtudio & contentione mendacium quærimus, quàm veritatem: quandoquidem nullum terræ marisque laborem, nullum vitæ periculum propter hæc falſa & fallentia bona recuſamus qui tamen propter virtutis & honeſtatis amorẽ vix loco moueri volumus. Miſer homo quid agis? quid quæris? quid tã anxiè deſideras? Ego, inquis, honoris & gloriæ deſiderio flagro. Intelige ergo, miſer, verum honorẽ eſſe qui virtuti & ſanctitati & religioni tribuitur: hoc enim te in hoc ſeculo, & in futuro, & corã Deo, & hominibus clarum in primis & illuſtrem reddet. At ingens patrimonium, ampla domus, magnus ſeruorum & equorum apparatus, culta veſtis & ſplendida menſa, cæteraq́ue huiuſmodi fortunæ ludibria, quæ per ſingula penè temporum momenta eunt & redeunt, nullo modo te vera laude atque honore dignum efficient. Fieri enim poteſt, vt omnibus his fortunæ externis muneribus ornatus, mentem habeas omnibus

flagitiis & ſceleribus inquinatam. Fieri poteſt, vt ſis impurus, adulter, auarus, mendax, impudicus, periurus, blaſphemus in Deum, impius in parentes, & in cæteros homines iniurius & contumelioſus. Quàm ergo tibi gloriam opes illæ omnes conciliabunt, cùm hæc teterrima vitia omnibus veræ gloriæ ornamentis ſpoliatum, ſumma te ignominia atque dedecore afficiãt? Hac enim de cauſa regius Propheta in hos mẽdacis gloriæ amatores inuehitur, cùm ait? Filij hominum vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatẽ, & quæritis mendaciũ? Vtrumq; enim in huiuſmodi gloriam cadit: quæ & inaniſeſt, cùm nihil veræ & ſolidæ felicitatis contineat: & mendax item: quæ, quam laudem & felicitatem externa ſpecie pollicetur, adeò non præſtat vt ingentem etiam curarum & laborum materitam ſecum afferat. Quam rem non obſcurè primus ille Iſraelitici populi ductor Moyſes declarauit: qui quamuis ad munus ſuum feliciter adminiſtirandũ diuino fultus eſſet præſidio, diuinoque in rebus agendis conſilio veteretur: curæ tamen paſtoralis pondere adeò premebatur, vt mortem etiam à Domino poſtularet, ne tantis afficeretur malis. Itaque ait, Cur afflixiſti ſeruum tuum? quare non inuenio gratiam coram te? & cur impoſuiſti põdus vniuerſi populi huius ſuper me? Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi: Porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum: & defer in terram pro qua iuraſti patribus eorum? Vnde mihi carnes, vt dem tantæ multitudini: flent contra me, dicentes: Da nobis carnes vt comedamus. Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hũc populum, quia grauis eſt mihi. Sin aliter tibi videtur, obſecro, vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis. Quę cùm ita ſint, meritò Dominus diſcipulos, qui felicitatem & quietem in principatu inueniri exiſtimabant, corripit his verbis, *Neſcitis quid petatis* quando humanæ felicitatis inuidi, curarum atque laborum materiam poſtulatis. *Neſcitis* etiam *quid petatis*: quoniam eodem errore decepti, veræ gloriæ dignitatem ignorantes, de falſa & inani eſtis ſoliciti. Nec hoc ſolum nomine erratis, ſed ob id etiam, quòd regnum meum temporarium atque terrenum, communi Iudæorum errore, fore putatis: ideoque primum huius terreni regni locum concupiſcitis. Regnum autem meum tot Prophetarũ vaticiniis & oraculis prænuntiatum non ad hæc falſa & fallentia bona, ſed ad vera & ſolida, cuiuſmodi cæleſtia & ſempiterna ſunt, referendum eſt. Tale enim regnum Meſſiæ gloria & maieſtate dignum eſt. *Neſcitis* ergo *quid petatis*, cùm ab auctore & largitore verorum bonorum falſa & inania bona exquiritis.

*Pſal. 4.*

*Num. 11.*

aiuO

Quia verò ſecunda ſolet eſſe ignorantia, & vuus inſigni eror multorum ſæpe errorum cauſa eſt: ideò in hoc etiam diſcipuli errebant, quòd temporum rationem & ordinem inuertebant: quãdo futurorum ſoliciti, præſentia non cogitabant, à quibus futurorum ſpes & ratio pendet. Quam rẽ Leo Papa expreſſit his verbis: Intelligamus inter tentationes huius vitæ prius tolerantiam poſtulandam eſſe, quàm gloriam. Ad hunc autem ordinem conſeruandum diſcipulos Dominus reuocare voluit, cùm dixit, *Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum?* quod perinde eſt, ac ſi diceret, De merito debetis eſſe ſoliciti, non de præmio, de labore: non de requie de ſeruitio, non de primatu: de humilitate obediendi, nõ de principatu dominandi: ac poſtremò de calice paſſionis, qui non in hac vita bibitur: non de calice dulcedinis, qui ad alteram reſeruatur. Verè ergo neſcitis quid petatis, qui officiorum atque temporum rationem & ordinem hac veſtra ratione permutatis. Erratis etiam toto cælo, cum exiſtimatis, me humanis rationibus moueri, vt quod virtuti & religioni meritisque debetur, iſtis rationibus tribuam. Nihil me iſta mouent, quæ nullius apud Patrem meriti ſunt: ſola me mouet inuicta fides atque conſtantia quæ malorum turbini non cedit, quæ neq; doloribus atque periculis frangitur, quæ acerbiſſimæ paſſionis calicem bibere parata eſt, priuſquam diuinæ maieſtatis oculos offendat. De hoc ergo calice bibendo ſoliciti eſſe debetis (hoc enim ad vos ſpectat) ſedium autem & dignitatum curam ſempiterno iudici relinquite, qui vnicuique reddet iuxta opera ſua. *Neſcitis* ergo *quid petatis.*

*Leo Pape.*

*Pſal. 61.*

*Eccle. 22.*

*Matt. 20*

In eo etiam grauiter erratis, quòd petitio veſtra intempeſtiua eſt. Vt enim muſica in luctu eſt importuna narratio, poſt tantam paſſionum mearum humilitatem & acerbitatem, quas modo vobis expoſui (cùm dixi me tradendum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendũ, vt vos exemplo meo ad humilitatis & patientiæ virtutes excitarem) vos cõtra vſque adeò magiſterij mei doctrinam inuertitis, vt hoc ipſo tempore honoris & dignitatis cathedras poſtuletis. Non igitur vno tantum ac ſimplici errore, ſed multis modis à veritatis tramite deuiatis. *Neſcitis enim neque quid petatis*, neq; à quo petatis, neq; quo nomine & ratione petatis, neq; tãdẽ quo tẽporis articulo petatis.

III.

Ab hac igitur inauium bonorum cupiditate ad vera bona traducere diſcipulos ſuos Dominus volens, ait illis, *Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum?* Animaduertite, quæſo, fratres, quàm latum inter carnis & ſpiritus philoſophiam diſcrimen ſit. Olim

diſci pu-

discipuli iter cum Domino facientes,ac inter se de primatu in
*Marc. 9.* Christi regno contendentes,à Domino quæsierunt; quisnam
*& Matt.* maior esset in regno cælorum. At sapientissimus magister, latẽs
*11.* in eorum pectore ambitionis virus agnoscens,ab hac dignitatis
& sublimitatis appetitione ad longè diuersam viam eos reuocat,
*Ibidem.* dicens. Amen dico vobis,nisi conuersi fueritis,& efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum:quod perinde est,ac si diceret: Video vos principem locum in regno cælorum appetere;tantum verò abest,vt hac vna cupiditate atque conatu magni in hoc regno efficiamini,vt nullum omnino in eo regno dignitatis locum habituri sitis,nisi contraria prorsus via in grediamini vosque ipsos ad huius paruuli humilitatem deiiciatis,& cum Propheta dicatis;Elegi abiectus esse in domo Dei mei magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Ad hũc ergo modũ cum in præsenti Euangelio Dominus duos hos discipulos animaduerteret, à dextris & sinistrs consessum,hoc est, requiem & placidam vitam (quæ sedis nomine designatur) appetere,eos à quiete ad laboris,& certamiuis, & contentionis studium reuocat, dicens:*Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* quasi diceret:Erratis discipuli mei,dum alienam curam suscipitis,& vestram omittitis. Ad patrem quidem meum spectat quas concupiscitis sedes distribuere:ad vos autem,variorum laborum tolerantia eas promereri. Hoc igitur curate,hoc agite,in hanc vnam curam incumbite,vt calicem meum bibatis,vt crucem meam feratis,vt aduersus carnis vestræ cupiditates continenter bellum geratis. Sic enim per pugnam venitur ad coronam,per labores ad requiem,per crucem ad regnum, & per calicem passionis ad calicem illum,de quo Propheta cecinit: Ca-
*Psal.22.* lix meus inebrians quàm præclarus est? Hac igitur de causa Saluator ait,*Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum.*

*Dicunt ei,Possumus.* Videtis hoc in loco præsumptionem ambitioni esse coniunctam. Quisquis enim honorem aut dignita-
*Psal.26.* tem vehementer ambit,hoc affectu ipse sibi imponit, dum ad eam dignitatem consequendam se idoneum putat. Mentitur
*Mat.26.* enim sæpe iniquitas sibi. Sed quantum inter boni operis propositum,& bonum opus interfit,hoc exemplo discimus. Cum enim ad calicem Dominicæ passionis ventum esset, qui se illud bibituros spoponderant,relicto magistro fugerunt. Ideoq;, fratres,nemo firmitati propositi sui nimium fidat, nemo in hac vita (quæ tota tentatio esse dicitur) securum se esse arbitretur: cùm hoc exemplo videatis ipsos Christi Apostolos & Apostolorum quoque principem, qui ea miracula viderat, quæ ferrea,

etiam

etiam corda ad fidei confeſſionem inducere potuiſſent, in primo periculi limine defeciſſe, & turpi fuga ſaluti ſuę conſuluiſſe. Quo circa vigilandū ſemper & orandum nobis eſt, & cum Propheta dicendum: Oculi mei ſemper ad Dominū: quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos. Ad hoc enim Saluator ipſe hortatur, cum ait? Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.

Cùm ergo diſcipuli ſe calicem Domini bibituros dixiſſent, ait ad illos Dominus: *calicem quidem meum bibetis: ſedere autem ad dexteram meam vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Verba ſunt Domini (vt diuus Auguſtinus ait) in forma ſerui loquentis. Nam ex perſona filij idem ipſe ait; Omnia mihi tradita ſunt à patre meo. Et, omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt. Et, Quæcumque Pater facit, hęc & Filius ſimiliter facit. Ad hanc autem diuinitatis Filij gloriam & prædeſtinatio, & cæleſtium ſedium diſtributio non minus quàm ad Patrem pertinet. Hactenus de Euāgelica lectione; nūc verba thematis breuiter excutiamus.

TRACTATIO THEMATIS.

IIII.

Hæc diſcipulorum petitio, & Dominica reſponſio non minus ad nos, fratres, quàm ad diſcipulos Domini pertinet. Illi namque præcipuas in Chriſti regno ſedes, (quod tamen terrenum eſſe arbitrabantur) ambiebant: nos verò ad ſempiternam felicitatem & beatitudinem aſpiramus. Ad hanc enim gloriam facti & informati à Deo ſumus, ad hoc nobis ſpiritus & vita datur, ad hoc nobis cælum, terræ, maria & creaturę omnes deſeruiunt: & (quod omnia ſuperat) ad hoc vnigenitus Dei filius, & rerum omnium conditor in carne venit, calicem paſſionis hauſit, vt nos ſempiternæ felicitatis calice potaret.

Quando igitur vos omnes bibendi ſuauiſſimi huius calicis deſiderio incenſi eſtis, ſcitote paſſionis calicem prius bibendum eſſe, vt per calicem ad calicem perueniatis. Quod ergo diſcipulis Dominus dixit, omnibus quoque nobis dictum putemus, qui hanc felicitatem deſideramus: ad quam niſi per calicem, hoc eſt, per varios labores atque certamina peruenire nō poſſumus. Hoc autem (ne quis laborem ſubterfugiat) & ſanctarum ſcripturarum teſtimonia, & Chriſti Domini, atq; Sanctorum omnium exempla apertiſſimè confirmant. Hinc cæleſtis magiſter, Contendite, inquit, intrare per anguſtam portam, quia lata porta & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem: & multi ſunt qui intrant per eam. Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inueniunt eam! Eos etiam qui

cæle-

cælestis verbi semine susceptо;bonis operibus vacant, fructum
*Lucæ 8.* ait afferre in patientia.Multa enim ferenda, multi labores tolerandi sunt,vt in pietatis & virtutis curriculo ad finem vsq; per-
*Matt.16.* seueremus.Quid verò illud?Si quis vult venire post me, abneget semetipsum,& tollat crucem suam,& sequatur me.Quid autem difficilius,quàm crucem tollere,& seipsum abnegare?hoc est, se ipsum non agnoscere,se ipsum non tanquam familiarem amicum,& notum,sed tanquam exterũ & alienum,& interdum etiã tanquam inimicum tractare.Ne quis verò hæc abnegationis, & crucis,& patientiæ documenta ad perfectioris vitæ studiosos tãtummodo pertinere putet,præmisit his Domini verbis sanctus Euangelista Marcus;Et conuocata turba cum discipulis ait. Si
*Marc. 8.* quis vult me sequi.&c.Huiusmodi loca passim in Euangelicis literis reperire licet,quæ crucem,& patientiam,& laborẽ,& paupertatem,& sui abnegationem commendant;& luxum,voluptа-
*Cantic.1.* tes atque delicias vehementer accusant:vt non immeritò in Cantic.Sponsa sponsum suum fasciculum myrrhæ appellauerit:quoniam si eius doctrinam omnem spectare velis,nihil frequentius quàm laboris,doloris,lacrymarum,patientiæ,inopiæ,& amaritudinis mirrham deprehendes.

Neque verò solam eius doctrinam,sed vitam quoque ipsam amaritudinis mirrha pleniſſimam fuisse calicis nomine declarat in hoc Euãgelio: cum ait; *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Vtroque igitur modo,verbis scilicet, & exemplis nos ad laborum tolerantiam inuitat.Si ergo rerum omnium Dominus,nullis nostris meritis prouocatus, sed sola misericordia,&
*Leo Papa* immensa bonitate & charitate inductus(vt enim Leo Papa ait. Miserendi nostri causam Deus nisi in sua bonitate non habuit) si,inquam,talis ac tantus Dominus non pro se, sed pro me calicem hausit passionis;cur ego tali exemplo excitatus,& tam gratuita misericordia præuentus,pro salute mea non faciam, quod
*Idem.* is pro aliena facere non dubitauit?Rectè enim idem Leo Papa Dominicam passionem sacrificium esse dicit,& exemplum,& sacrificio quidem infensum nobis Patrem placasse,exemplo autem homines ad sui imitationem allexisse.Cum autem vtrumq; in Christi Domini passione considerandum sit,hæretici solam sacrificij virtutem attendunt,vt salutem sibi otiantes alieno labore parent,virtutis autem exemplum minimè considerant, ne illum imitari compellantur.Nos igitur qui Catholicæ Ecclesiæ filij sumus,vtrumque in Christi calice considerare debemus, vt sacrificij eius merito spem concipiamus, & passionis exemplo ad charitatem & patientiam excitemur.Quid autem nos magis ad

harum

harum virtutum amorem quàm immortalis Dei mors inflammare debeat? Quis enim inter homines non miretur, cũ Deum mortuum propter homines audit? Ne verò quisquam minus se Redemptori suo debere putet, quòd is non ex diuina, sed ex humana natura calicem hauserit passionis, sciat, catholicè, & propriè dici, Deum mortuum, & passum atq; sepultum. Tam arcto quippe vinculo humanam naturam, diuinæ copulauit, tantaque inter vtramque naturam (personalis vinculi ratione, quo vtraq; subsistit) vnitas est, vt quæ sunt humanitatis, Deo: quæ verò diuinitatis propria sunt, homini conuenire dicantur. Quo fit, vt quamuis assumptæ naturæ ratione Deus mortuus esse dicatur, verè tamen & propriè Deum mortuum, passum, atque sepultum in fidei Symbolo confitemur. Quod ideo dixi, vt hac ratione intelligatis, fratres, quantum illi rerum omniũ Domino debeatis, qui nulla sua necessitate, sed sola vestri charitate sic altissimam illam & incomprehensibilem maiestatem ad ignominiosissimum & acerbissimum crucis supplicium demisit, vt non solum hoc sacrificio debita nostra expiaret, sed etiam vt nos hoc mirabili exemplo ad bibendum calicem passionum animaret.

Hoc autem exemplo nullum constat esse maius. Si præter hoc alia desideratis, habetis omnes Christi Domini discipulos, qui simili passionis sacrificio Dominum glorificauerunt. Habetis in præsenti Enaugelio duos fratres, Iacobum & Ioannem, qui hunc calicem biberunt, dicente Domino; *Calicem quidem meum bibetis.* Et quidem Iacobus hunc calicem bibit, quando primo Apostolorum iugulum lictori, propter fidei confessionem, præbuit. Quis autem verbis consequi possit, qua animi promptitudine & alacritate vir diuinus ad supplicij locum procedebat? Si Agatha virgo, quasi ad epulas inuitata lætissimè & glorianter ibat ad carcerem; quid de hoc sanctissimo Apostolo pietas Christiana credere debet, qui tanto maiori fide, spe & charitate plenus erat, vt pote qui plenitudinem Spiritus acceperat: qui tot magistri sui miracula viderat, tot ipse etiam eius inuocato nomine, ediderat, quique certissimè sciebat, transacta illa momentanea pœna, ipsius animam inter Angelorum choros esse collocandam, & sempiterna felicitate donandam?

*Actor. 12.*

*Actor. 2.*

Vnus tamen dolor piissima eius viscera sauciabat: nempe cæcitas & incredulitas eorum qui ipsum ad necem postularunt, ac præcipuè Iosiæ, qui iniecto ad collum fune vinctum ad Herodem traxerat, & tunc, lata iam mortis sententia, eodem func ligarum ad mortem ducebat. Huius enim vicem (qui omnes persecutores suos immanitate superabat) sanctus Apostolus vehementer

menter dolebat. At fidelis & pius Dominus, qui tum vel maximè ſuis adeſt, cum eos videt propter nominis ſui gloriam vehementius premi, hunc Apoſtolo ſuo mærorem adimere ita voluit, vt carnificem & lictorem: martyrij ſocium atque participẽ momento temporis faceret; vt tanto libentius Apoſtolus iugulum præberet, quàto magis de carnificis ſui ſalute atque glorin lætabatur. O beate Ioſia, cui nullis antecedentibus meritis, momento temporis datum eſt, quod multis viris ſanctiſſimis, qui hanc martyrij gloriam deſideraverant, non eſt cõceſſum! Certè beatiſſimus parer Dominicus auidiſſimè hanc coronã ſitiebat, qui tamen, poſt tot virtutum inſignia, vir beatus atque humilis corde ſe illa indignum iudicabat. Quanta ergo Apoſtoli gratia cuius meriti s tanta gloria Ioſiæ conceſſa eſt vt ex perſecutore fidei fidelis, ex carnifice martyr efficeretur, & qui eò venerat, vt Apoſtoli caput amputaret, ipſe caput ſuũ & iugulũ pro Chriſto lictori præberet? Quomodo autem res geſta ſit, exponã. Cũ Apoſtolus ad necis locum pergeret, oblatum in via paralyticũ Chriſti nomine inuocato, ſanauit, vt Clemens Alexandrinus (teſte Euſebio in hiſtoria Eccleſiaſtica) refert. Quo miraculo ſtupefactus Ioſias, & ſingulari quadam clementiſsimi Dei miſericordia & benignitate tactus, fune, quem Apoſtoli ceruicib⁹ iniecerat, extracto ſe ad illius pedes demiſit, magnis precibus petens vt & ſibi ignoſceret, & ſe ſacro lauacro expiaret. Iacobus, qui hæc illum diuino afflatu ductum dicere intelligeret, rogare eum cœpit, Ieſumne Chriſtũ, quem Iudæi in crucem egiſſent verum Dei filium eſſe crederet? quod cum ille ſe credere profiteretur, Abiatharus Pontifex eum ſtatim comprehẽdi iuſsit, eo démque mortis genere, quo Apoſtolum multatum iri dixit, niſi quamprimum & à Iacobo ſe diſiungeret, & nomini Chriſti maledíceret. Sed cùm maledictum illius nomen, Chriſti autem benedictum voce magna diceret, Abiathar os eius pugnis cædi, eumque cum Iacobo ſecuri feriri iuſſit. Cum autem ventum eſſet ad locum ſupplicij, lictorem Iacobus rogaſſe dicitur, vt ante quàm feriret, aquam iuberet afferri allata aqua quæſiuit à Ioſia Apoſtolus, num in Chriſtum Dei filium crederet? qui cùm ſe credere diceret, expiatus eſt ab Apoſtolo aqua ſalutari, oſculoque dato, cruce frons illius conſignata eſt. Quibus ritè perfectis, vterque eadem hora, eodémque loco morte multatus migrauit ad Chriſtum. Quis igitur cùm hoc audit immẽſas diuinę bonitatis & miſericordię opes nõ agnoſcit, quæ tantũ beneficium in eum ſubito cõtulit, cui ſempiternum gehennæ incendium debebatur? Principem quinquagenarium, & quiquaginta milites,

*Clemens Alex. Euſeb.*

milites, qui cum ipso ad capiẽdũ Eliam venerant, ignis è cælo lapsus combussit, rursusque alium simili comitatu ad idem faci nus venientem idem ignis absumpsit. Quid quæso, minus Iosias merebatur, qui Christi Apostolum iniussus ad Herodem traxit, & modo iussus ad necem ducebat? At verò tantum abest vt hoc modo in illum diuina cẽsura sæuierit, vt etiam Apostoli in possessione socium, & martyrij consortẽ effecerit. Quis autẽ negare audeat, hoc tantum munus Apostoli meritis & præcib. tributum fuisse? Qua enim Apostolus alacritate ad mortẽ propter Christi fidem pergeret, qui tali miraculo eius gloriam illustrasset, & talẽ in possessione sociũ nactus esset? Quæ fiducia, & inuicti animi fortitudine, jugulum propter Christi fidem Apostolus offerret, quam videbat infidelem hominem eodem sanguinis & passionis testimonio profiteri. Hac enim ratione multisque aliis, quas enumerare longum esset, pius Dominus labores leuare solet eorum qui variis calamitatibus propter eius gloriam premuntur. Verissimè enim dictum est; Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde & humiles spiritu saluabit. Et, Salus autem iustorum à Domino: & protector eorum in tempore tribulationis &c.

Hoc ergo modo Iacobus Apostolus calicem passionis securi percussus bibit, vt verax inueniatur, qui tanto antè ipsius atq; Ioannis fratris certamen prædixerat; *Calicem quidẽ meum bibetis.* At Ioannes quomodo calicem Domini bibit, de quo constat, quia nequaquam per mortem passionis de corpore exiuit? nisi quia duobus modis idem calix bibitur: vno videlicet, cum à persecutore illata mors patienter suscipitur: alio modo cum mens ad passionem prompta habetur, & vita martyrio digna geritur. Nam & Ioãnes ipse quam fuerit paratus ad potandum pro Domino mortis calicem, docuit quando cum cæteris Apostolis (sicut in actibus eorum legimus) carcerem, & verbera gaudendi animo tolerabat, quando propter verbum Dei, & testimonium Iesu in Pathmos insulam ex illo relegatus est, quando (sicut historia narrat Ecclesiastica) à Domino Principe missus est in feruentis olei dolium, de quo tamen propitio Domino tam sospes & mundus exiit quam fuerat ab omni carnis cõtagio alienus & in exilium ab eodem missus, quo magis humano solatio destitutus esse videbatur, eo ampliori supernorum ciuium meruit frequentia consolari. Vnde ipse quoque veraciter calicem Domini cũ fratre Iacobo, qui occisus est gladio, bibisse intelligitur, quia qui tanta pro veritate sustinuit quam prõptus etiã ipsam mortem, si offerretur, exciperet ostendit. Sed & nos fra-

tres chariſſimi,etiamſi nil tale perpetiamur,ſi non vincula,non verbera,non carceres,non ſupplicia corporis,non vllam hominum perſecutionem propter iuſtitiam toleramus,calicẽ tamen Saluatoris accipere poterimus,ſi caſtigare corpus noſtrum, & ſeruituti ſubiicere curamus,ſi in ſpiritu humilitatis,& animo cõtrito,Domino ſupplicare aſſueſcimus,ſi illatas à proximo contumelias placida mente ſuſcipere ſatagimus,ſi & eos qui nos odio habent,qui iniurias nobis inferũt,diligere,his benefacere pro horum vita & ſoſpitate gaudemus exorare; ſi cum virtute patientiæ,bonorum quoque operum fructibus adornari cõtendimus Sic enim conuerſantibus nobis,& corpora noſtra,iuxta Apoſtoli vocem hoſtiam viuentem,ſanctam, Deo placentem exhibentibus,Domino largiente dabitur,vt communi cum eis qui membra ſua in mortem pro Chriſto dederunt,gloria remuneremur:quia ſicut mors illorum,ſic & vita noſtra prætioſa ſit in conſpectu Domini,diſruptiſque vinculis carnis, & ipſi atria ſupernæ ciuitatis intrare, atque inter choros beatorum Martyrum,vota gratiarum Redemprori noſtro reddere merebimur, qui viuit & regnat per infinita ſeculorum ſecula,Amen.

## In eodem feſto B. Iacobi Apoſtoli concio Secunda, in qua lectio Euangelica explanatur.

THEMA. *Dic vt ſedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam,& vnus ad ſiniſtram in regno tuo.* Matth.20.

IN hodierna ſancti Euangelij lectione imago quædam humanæ infirmitatis in duobus Chriſti Domini Apoſtolis, Iacobo & Ioanne nobis ob oculos ponitur. Hi namque in Chriſti ſchola (quæ verę humilitatis magiſterium erat)enutriti,& diuinis eius præceptis imbuti,poſt hanc tantamverę ſapientiæ & humilitatis diſciplinam, modo, ſubornata matre dextras& ſiniſtras ſedes,hoc eſt,ſummũ in Chriſti regno(quod terrenum eſſe arbitrabantur)principatum petunt,qui paulo antè reficiendis retibus operam dabant.Hic planè non parua nobis timoris materia exhibetur.Si enim in his duobus fratribus qui toties ab inexhauſto illo veritatis & ſapientiæ fonte potati fuerant,honoris& principatus ſitis extincta nõ eſt,quid de nobis ſperandũ erit,quibus ea fœlicitas minimè contigit quorumq; tota ac deſideria ad hanc terrenæfœlicitatis gloriam continenter aſpirant?Hanc enim nobis,hanc amicis & conſanguineis optamus:hanc auida mater filiius quos ſinu geſtat, precatur:pro hac vota facit,&eos ſolos fœlices putat,qui huiusfœlicitatis

tatis compotes sunt. Quàm altè hæc honoris & principatus cupiditas visceribus nostris infixa sit (vt alia prætereamus exempla) declarat fratrum Ioseph inuidia, qui fratris somnium de principatu suo, adeò indignè tulerunt, vt de indignissima eius nece pessima consilia inierint. Vsque adeò enim ambitionis virus multorum pectora inficere solet, vt ne somniando quidem sibi præferri aliquem æquo animo patiantur. Quid verò duos gemelllos fratres, Iacob & Esau, referam, qui in ipsis materni uteri visceribus constituti, mutuo collidebantur, & de dignitatis primatu contendebant?

Hæc igitur humani cordis appetitio, quæ tantoperè honoris & gloriæ dignitatẽ ambit, dictu mirum est & quàm latè pateat, & quantas in vita variorum laborum & curarum tragœdias excitet; quæ tunc magus vexat, cùm homines simul & cum indigentia, & cum honoris cupiditate conflictantur ad quo mũdi huius princeps dæmon suos frequenter adigit. Quid enim acerbius, quàm cum inopia & paupertate premaris, terrenum honorẽ & dignitatem tueri; quæ nisi in magna rerum opulentia conseruari non potest? Hoc est enim grauissimum illud supplicium, quo crudelis Pharao filios Israel præmebat, cum paleas illis negari, & similem tamen laterum mensuram quam antea (cum paleæ ad opus præberentur) ab eis exigi præcipit. Quam quidem exactionem adeò indignè miseri tulerunt, vt ad Pharaonem dicerent, Paleę non dantur nobis, & eadem laterum mẽsura imperatur. En serui tui flagellis cedimur, & iniustè agitur contra seruos suos. Hic est igitur, fratres, crudelissimus principis huius mũdi, hoc est, diaboli dominatus, quo multis hominibus rerum suarum angustia laborantibus tantum ambitionis virus infundit, vt in illa sua mendiciate atque indigentia diuitum hominum apparatum & cultum simulare cogantur, & cũ vix in diem viuere valeant, splendorem tamen & opulentiam nobilium fallaciter ostendare nitũntur. Vtinam qui tales sunt principis sui vim atque tyrannidem agnoscentes, aduersus illũ indignantes dicerent, Quænam hæc tyrannis atque violentia est, vt cum paleas non præbeas, similem à nobis laterum mensuram exigas, hoc est, tantum à nobis cultum & vitæ splendorẽ reposcas, quantum ab his qui opibus atque diuitiis abundant; Hæc est enim fornax illa ferrea, quia Israelitæ quidem in Ægypto, & ambitiosi in hoc mundo premuntur.

Sed, vt ad institutum redeamus cũ hic terrenæ dignitatis & gloriæ affectus adeò altè visceribus nostris infixus sit, quærere aliquis meritò poterit, Cum homo carne simul & spiritu cõstet,

cur ſi corpus,quæ corporis ſunt,& ſapit,& quærit,dereriore animus conditione ſit,qui ſua quoque,hoc eſt,ſpirituali bona (quæ natutæ ſuæ cognata ſunt)nõ requirat? Ad hoc igitur cum Philoſophis reſpondemus, eam eſſe rerum omnium conditionem vt vnum quodq; eius rei naturam induat, in qua receptũ eſt. Si enim aut clariſſimã aquam in atramentũ aut puriſſimũ vinum in aceti dolium fuderis, claritatem aquæ in obſcurũ atrumque colorem,& vini puritatẽ in acerũ conuerteris. Ad hũc ergo modũ cùm ſpiritus noſter carni immerſus ſit,in carnis quodãmodo naturam degenerat:vdeoq; carnis naturam refert, vt interdum etiam ipſius carnis mancipiũ fiat: niſi diuini ſpiritus beneficio ab hac ſeruitute liberetur.Sicut enim qui adhæret Deo,vnus cũ eo ſpiritus fit,ita qui huic meretrici,hoc eſt,carni ſuæ adhæret, in eis quodãmodo naturam tranſit.Hinc multos paſſim videre licet,quorũ omnis cogitatio,omnis actio,omnis cupiditas in ſola earũ rerũ inquiſitione;quæ ad carnis voluptatem & vſum ſpectat,poſita eſt,ac ſi nulla alia bona niſi ſola hæc corporea eſſe putarent.Et quidẽ Stoici Philoſophi tria genera bonorũ ſtatuunt; quorũ alia ad animũ pertinent: cuiuſmodi ſunt ſapientia & virtutes,alia ad corpus: qualia ſunt vires,robur & bona valetudo; alia verò(quę ipſi externa appellãt)quę ad corporis obſequium referuntur?cuiuſmodi ſunt opes & facultates, cęteraq; his ſimilia:qui tamen ſola ea,quæ animum excolunt atque ornãt,in numero bonorũ ponunt?cętera verò nullo modo inter bona collocanda eſſe definiunt. At improbi homines eò ſtuporis adducti ſunt, vt prima illa bona,quę verè bona ſunt, prorſus negligentes,in poſterioribus illis,hoc eſt,in falſis bonis cõſectãdis omne vitæ ſtudiũ conſumãt.Quis autẽ hos finis, quę ſors in futurum maneat, Ieremias apertè expreſſit,cùm ait:Domine, omnes qui te derelinquunt,confundentur: recedentes à te in terra ſcribentur,quia derelinquerunt venam aquarum viuentium, Dominũ hoc eſt,quoniam terram ſolùm,terrenaq; bona,Deo neglecto, quæſierunt,hęc eis ſolùm obuenient, neque vllam in cęleſtis hæreditatis poſſeſſione patrem obtinebunt.Hoc eſt enim quod ait,In terra eos eſſe ſcribendos: quoniam de libro ſempiternę vitę delet ſunt. Hoc autem animo fuere olim Sadducęi, qui adeò craſſo hebetique ingenio erant:vt nihil in rebus conditis, niſi ea ſolùm quę corpore & materia conſtant, eſſe putarent, adeò vt neque Angelum, neque ſpiritum eſſe crederent, vnde conſequens erat, vt ſola terrena & corporea bona captanda eſſe ducerent.Hac eadẽ & mente fuerunt olim, & ſunt hodie Iudæi, qui Meſſiam quendam terrenis opibus, ſupra cunctos etiam

*Simile.*

*1.Cor.6.*

Romano

Romanorum Imperatores affluentem, suosq; his opibus cumulantem expectant. Hac item mente pro illius temporis ratione & Christi Domini discipuli, & Iacobus, & Ioannes fratres fuerunt, cùm principem in regno Christi locum, subornata mate, perierunt.

I.

Accessit ergo mater ad Dominũ *Iesum adorans & petens aliquid ab eo*. Quis huius orationis exordiũ audeat improbare? Adorare enim, & orare, vtrumq; ad religionis officium pertinet, quæ est omniũ moraliũ virtutũ præstantissima: ad quã post Theologicas virtutes, diuini numinis cultus præcipuè spectat. Et tamẽ si quis orationis huius mentẽ propositũq; cõsideret, inueniet eam vanitatis & ambitionis labe prorsus infectã. Ideò enim hæc mulier Christũ adorat, ideò se illi supplicẽ exhibet, vt terrenã dignitatẽ filiis impetret. Quo exẽplo monemur, fratres, vt solicitè in his operibus quæ cũ pietate suscipimus, maximã intẽtionis & finis, quẽ intuemur, rationẽ habeamus. Cùm enim homo carne & spiritu constet, adeò se caro piis etiam actionibus immiscet, vt ferè semper tributũ aliquod sibi impẽdi postulet, semper (nisi solicitè perspiciamus) vtilitatis, aut voluptatis suæ rationem habeat. Constat autẽ omnes actiones nostras ex fine, quẽ mente concipimus, esse diiudicandas. Non enim ex eo quòd extrà nitet, sed ex eo quod intus latet, æstimandæ sunt. Hinc D. Aug. Hoc inquit, affectu & desiderio colendus est Deus, vt sui cultus ipse sit merces. Nã qui Deũ ideo colit, vt aliud magis quàm ipsum promereatur, non Deũ colit, sed illud quod assequi cõcupiscit. Hactenus ille. Nõ ergo quid faciamus, sed qua mẽte atq; proposito faciamus, interest. Quod vt apertiùs intelligatis, sciendum est, quod quemadmodũ homo ipse corpore & anima cõstat, anima tamen corpori vitam tribuit, quam à se non habet, ita eiusdem hominis opera suum quoque corpus, suàmque animam habent. Et corpus quidem opus externum: animam verò, intentionem operis & finem, quem sibi quisque in hoc genere proponit, appellamus. Vt igitur corpus ab anima vitam ducit (sine qua putridum cadauer esset) ita externum opus quod molimur, ab animi destinatione ac fine nomen & dignitatem capit. *Simil.*

*Augusti.*

Hanc autẽ doctrinã nõ modò Christiana, sed secularis etiam Philosophia aperta profitetur. Negat Arist. verã & solidã fortitudinis rationẽ in Diomedẽ cecidisse, cùm Græcis omnibus in fugã cõuersis, ipse solus maneret, malletq; summo cũ periculo Hectoris impetũ sustinere, quàm ignominiosæ fugæ mãdare. Curita tandẽ? nũquid nõ fuit pulchrũ facinus omnibus metu & formidine

*Ex nsor. lib. de Nebil.*

midine pertesritis, Diomedē solū aut cū paucis extitisse, q turpi vitæ mortem præclarā anteponeret, maioremq; rationē gloriæ duceret quàm salutis? Pulchrū sanè, inquit, sed quia facinus illud egregiū nō ad debitū finē, sed ad popularis laudis ambitionem referebat, dicebat enim, vereri sese, ne Hector in suarū laudum cōmemorationē Diomedē à se fugatum prædicaret) verè virtutis fructum non tulit. In eodem etiam numero Hectora rēponit, ꝙ apertè fatetur formidare se rumores Troianorū & Troianarū, eáq; de causa pugnā sibi alacrius capessandā putabat. Hos igitur vir acutissimus propterea ꝙ non intuebātur solam ipsius honestatis pulchritudinem (quam potissimum vitæ finem constituit) virtutis ordine mouet, & in secundam classem coniicit, in qua collocauit eam virtutis imaginem, quæ gloriæ studio tuetur officium, & legibus, atque disciplina ciuili continetur. A fine igitur pendet (vt Aristoteli etiam videtur) omnis honestatis ratio. Eadem siquidē actio & honestissimè, & sine vlla dignitate suscipi potest, interdum etiā cum dedecore, & turpitudine, pro rei propositæ varietate. Ita fit, vt viri fortes ij demum appellādi sint, qui in verum virtutis finem respicientes præclarè mortem oppetunt, qui rumusculos intuentur, & ob id pericula subeunt, inanes & leues, qui verò nefaria libidine, & flagitiosa animi perturbatione ad rem strenuè gerendā impelluntur, improbissimi, Vnde id efficitur, illos minimè fortes fuisse, Hectora inquā & Diomedem, Achillem verò atque Paridē, non solùm parum fortes, sed etiam turpissimos. Hic enim vt nuptias perfidia & scelere partas tueretur, in aciem irruebat: ille verò vt immoderatā animi iracundiam expleret, immensas illas strages hostium faciebat. Cùm igitur tota operis nostri dignitas ex fine pendeat, sollicitè admodum, quid nos in pietatis operibus moueat, quò intentionis nostræ oculus tēdat, quid præcipuè captet, indagare
*Grego.* debemus, ne forte bonū opus quod molimur, aliqua inanis gloriæ labe polluatur. Ad hoc ipsum autem nos D. Greg. fatuarum virginum exemplo diligenter adhortatur, cùm ait, Sæpe vos, fratres charissimi, admoneo praua opera fugere, mundi huius inquinamenta deuitare: sed hodierna sancti Euangelij lectione compellor dicere, vt & bona quę agitis, cum magna cautela teneatis, ne per hoc, quod à vobis rectum geritur, fauor aut humana gratia requiratur: ne appetitus laudis subrepat, & quod rectum foris ostenditur, intus à mercede euacuetur. Ecce enim Redemptoris voce decē virgines, & omnes dicuntur virgines, & tamen intra beatitudinis ianuam non omnes receptæ sunt: quia earum quædam dum de virginitate sua gloriam foris expetunt, in vasis suis oleum habere noluerunt. Hactenus Greg.

Quiſquis igitur hac lege opera ſua ſollicitè exploraverit, fortaſſe multa in eis deprehẽdet, propter quę magis timere, quàm præſumere, magiſque ſe habere cur flere, & venia à Deo petere quàm virtutis mercedem exigere debeat. Amoris enim proprij vis & natura non ſolum potentiſſima, ſed etiam ſubtiliſſima eſt, quæ in piis etiam operibus viam ſibi aperit, qua aliquid ſibi cõmoditatis, nobis ſæpè ignorantibus, venetur. Cuius rei memorabile maximéque adnotandum exemplum in actis Apoſtolorum legimus. Cùm enim Paulus ante præſidem Felicem de extremi iudicij acerbitate ampliſſima quadã oratione diſputaret, tantum timorem præſidi incuſſit, vt totus præ horroris magnitudine tremefactus fuiſſe dicatur. Quid verò poſt hũc adeò vehementem affectum conſecutum putatis? Mira profectò res. Simul (ait Lucas) ſperabat ſe pecuniam accepturum à Paulo: propter quod frequenter eum accerſebat. Quis crederet, cum tam terrifica illa animi commutatione, iudiciique diuini formidine talem affectum, hoc eſt, turpis lucri cupiditatem, locum habere potuiſſe? Videtis ergo quàm ſit ſubtilis amoris proprij vis, & quomodo inter nobiles etiam affectus, & pręclara opera aliquid ſibi vtilitatis comparare ſtudeat? Quam rem quotidianis ferè exemplis cernere licet. Sic nobiles multi & principes viri rem quotidie diuinam magis dignitatis & auctoritatis cuiuſdã gratia, quàm veræ religionis amore inducti audiũt: multi prætereà curioſitatis magis quàm ædificationis obtentu ad cõciones audiendas veniunt, multi ad ſacrã Euchariſtiam frequentiùs percipiẽdam vel ſola cõſuetudine, ſine vllo deuotionis affectu permoti, vel neceſſitate cogente, vel ne aliis inferiores, minuſque religioſi videantur accedunt. Quidam eleemoſinas indigentib⁹ vel ob inanem mundi gloriam, vel mendicantium importunitate victi, vel verecundia & pudore petentium ducti, largiuntur. Sunt & alij qui ab omni maleficio abſtinent, & bona aliquot opera exequuntur; partim vt principum gratiam venentur, partim vt ad digniora officia, ſiue in Eccleſia, ſiue in republica promoueantur, partim etiam vt caſti & integri in populo habeantur, & ne ab illa exiſtimatione, quam homines de illis concepe runt, cadant. Quam multi ſiue viri ſiue fœminæ, corporis caſtitatem, nullo diuini timoris reſpectu, ſed ſolo humani, pudoris atque dedecoris metu conſeruant! Quàm multi quotannis ad confeſſionis ſacramentum accedũt, qui ſi excommunicationis fulmen & infamiæ notam timerent, nunquam ad illud accederent. Nam quos eiuſdem ſacramenti virtus atque neceſſitas toto anni tẽpore, tot ſacris feſtis intercedentibus, nun- Act. 24.

quam ad se traxit,nec illo quidem tmpore traxisset,nisi ad hoc eos infamiæ atque decoris metus adegisset. Videtis ergo, fratres,quàm multis in rebus vis amoris proprij sese operibus nostris adiungat, earumque puritatem labe aliqua aspergat,vt a-
*Psal.7.* pud æquissimum iudicem Deum (qui renes scrutatur & corda) vel nihil valeant,vel minus valeant vel interdum etiam eius offensionem incurrant?

Quocirca,quisquis salutis suæ curam habet,solicitam in operibus suis intentionis suæ rationem habeat,adeóque de illis nō efferatur,vt semper etiam timeat,ne fortè ignoranti sibi,aut minus aduertenti, terrenus aut humanus aliquis respectus obrepserit.Hanc autem sibi quisque ante oculos regulam statuat,vt quoties ex aliquo bono opere aut humana laus & commendatiō,aut aliqua siue vtilitas siue voluptas consequatur,semper timeat, & an horum aliquid mentem eius ad illud opus edendū induxerit,vereatur. Non enim vsque adeò amoris proprij effectus dormitat, vt his commoditatibus ante oculos propositis,
*Simile.* non illarum desiderio commoueatur. Vt enim accipiter visa præda,ita huius amoris vis, quauis commoditate ante oculos posita,vehementer excitatur.Qua de causa viri sanctissimi in iis etiam actionibus quas dum pietate suscipiebant, trepidi semper atq; pauidi subsistebant: hoc aurem innocentissimus Iob
*Iob.1.* (cui nemo similis erat in terra)de se ipso fatetur;verebar inquit,
*Iob.9.* omnia opera mea,sciens quòd non parceres delinquenti.Idēq;
*Ibidem.* rursus: Et si habuero,ait,quippiam iustum,non respondebo,sed meum iudicem deprecabor. Sciebat enim vir sanctus, aliter
*Iob.10.* Deum,aliter homines(vt idem ait)videre & aliter iudicare.Scie
*Hebr.4.* bat spiritu docente, quod Apostolus ait, nempe Deum esse discretorem cogitationum & intentionum cordis, nullamque creaturam esse inuisibilem in conspectu eius, sæpéque apud illum sordere,quod apud homines in pretio est. Huius ergo rei gratia timebat,nósque omnes exemplo suo ad huiusmodi salutarē timorem adhortatur:ne videlicet externa virtutis specie decipiamur.Quod huic fœminæ contigisse videmus,quæ Dominum Saluatorem suppliciter adorans, vanitatis & ignorantiæ plenissimam petitionem illi,suo & filiorum nomine proposuit, cùm ait: *Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram, & vnus ad sinistram in regno tuo.*

Sed quæritis, An non hi duo discipuli diuinæ gratiæ participes effecti erant?Erant planè,quod negari non potest. Quomodo ergo animus diuinæ gratiæ splendore illuminatus,hanc sibi principatus vanitatem proposuit? Certè,quia cum exigua gra-

tia (qualis tunc Apostolorum ante Spiritus-sancti aduentum erat) hæc occulta ambitionis fibra in eorum mentibus residere simul poterat. Vt enim subacta ab Hæbræis Chananæorum terra, nonnullæ indigenarum reliquiæ (Deo ita permittente) apud eos relictæ sunt: sic superatis maioribus vitiis, minutula quædã, vel ad humilitatis documentum, vel ad virtutis exercitium, vel ad solicitam nostri curam gerendam (Deo ita permittẽte) relinquuntur: quæ tamen, nisi diligenter nobis ab illis caueamus, nõ parua ex socordia nostra incrementa capient, atque ita nos de omni statu mentis deiicient. Sanguisuga enim transibit in colubrum, coluber in serpentem, serpens autẽ sæpe in draconem euadet, qui nos flatu suo interimat: non quòd ven. alia peccata immortifera transeant, sed quòd illis interdum aditum ex dormitantia nostra præbeant. An non fabulam illam legistis, quæ agricolam refert, paruulum in agro serpentem inuentum, domum attulisse, atque blandè nutriuisse, qui tamen vbi adoleuit, duos ei⁹ filios necauit? Hæc igitur siue fabula, siue similitudo nos admonet, vt cuiusuis ambitionis, aut superbiæ vel minimam etiã labeculam studiosè fugiamus: ne videlicet ea ex paruo serpente in draconem postea, hoc est, in ingentem superbiam (quæ peccatorum omnium initium est) erumpat.

*Simile.*

*Iudic. 1.*

*Simile.*

Quæ quidem cautio quamuis ad omnes in communi pertineat, tamen ad eos qui iam mundo renuntiarunt, & bonis operibus vacant, maximè necessaria est. Cuius rei imaginem sanctus ille Lot appositissimè exhibet: qui ab execrãdis Gomorrhæorũ finibus fugere, & ad montem conscendere præcipitur, vt ab imminenti incẽdio eriperetur. Quò tandem perueniens à duabus filiabus inebriatus, incestuoso cum eisdem congressu pollutus fuit. Hac igitur imagine Origenes eos admonet, qui mundi, & vitiorum incendia singulari Dei ope euaserunt, & montem cõscendere iubentur (montem videlicet vitæ perfectioris, mõtem Sion, ex quo cœlestium misteriorum abdita contemplentur) vt sibi à duabus sororibus diligenter caueant: quarum maior superbia, minor verò inanis gloria nuncupatur. Quas ideò filias hominis appellari ait, quoniam sæpè ex ipsis bonis operibus quæ molimur, occasionẽ nos impetẽdi sumunt. Sic enim dũ pius homo vel ieiuniis, vel cilicio, vel verberibus spontè susceptis carnem macerat, vel larga manu indigentibus succurrit, vel pias in oratione lacrymas fundit, vel spirituali interdum luce & suauitate perfunditur, tacitas intra se gloriandi, vel sibi ipsi blandiendi cogitationes excitari sentit. Vt enim sapiẽter Eucheri⁹ ait, hoc præcipuè superbia à cæteris vitiis distat, q̃ vitia quidẽ alia,

*Gene. 19.*

*Origen.*

*Eucher. in epi.*

vitiis aluntur & ſuſtentantur: ſuperbia autem, eiuſque filia ambitio,& inanis gloria,virtutibus interdum ipſis inſoleſcunt,atq; nutriuntur,cùm ſolis virtutibus laudem & gloriam tribui debere intelligant. In ipſo igitur porrò quodāmodo naufragium facimus,dum ex ipſis virtutū operibus ſuperbiæ atq; inanis glorię occaſionē arripimus. Vnde rectè quidam innanis gloriæ vitiū,

*Simile.* animi tineam eſſe dicunt. Tinea namque ex veſte naſcitur,quæ tamen veſtem ipſam,à qua nata eſt,exedit atque demolitur.

II.

Hactenus ambitioſam huius fœminæ petitionē expoſuimus: nunc huius tanti erroris cauſam excutiamus. Erraſſe enim illam patet,cùm Dominus & illi & filiis dixerit, *Neſcitis quid petatis.* Et quidem impromptu erroris huius cauſa eſt: vehemens quippe matris erga filios affectus eam in hunc tam apertum errorem compulit. Eſt enim affectus omnis velut nebula quædam,rationis lumini obiecta, quæ ingentes illi tenebras & caliginē offun-

*Simile.* dit. Vt enim nebula,cùm nimium denſa eſt, Solis, Lunæ, siderum,atque aliarum rerum aſpectum adimit, adeo vt interdum quæ homini proxima ſunt,minimè cernere ſinat: ſic omnis impotens affectus,cùm,in anima dominatur, totum penè rationis lumen extinguit,modò id aſſequatur,quod ardenter cōcupiſcit.

*Simile.* Itaque vt hi qui viride aut rubeum vitrum ante oculos ponunt, res omnes quas intuentur,eiuſmodi eſſe iudicant: ita qui aliquo vehementi affectu & cupiditate flagrant,res quas cupiunt, non pro eadem dignitate atque natura, ſed pro affectus ſui ratione æſtimare ſolent. Quocirca orādus nobis Deus ſemper eſt,vt nos ab impotēti affectuum dominatu eripiat: hoc enim dominante, homo rationis lumine &officio per id tēporis quodammodo ſpoliatur.& in pecudum naturam degenerat: quæ non ratione (qua

*Simile.* carent) ſed impetu & cupiditate feruntur. Atque vt in litibus decernendis ſuſpectus per leges eſt iudex, qui amore aut odio litigantis laborat;nosita nobis ſuſpecti eſſe debemus,qui nimium nosmetipſos diligimus,vbi vehementi aliquo affectu cōcitatur. Sed quæretis fortaſſan,Cùm hæ duæ animæ noſtræ vires,intellectus ſcilicet & voluntas,adeò inter ſe differant qui fieri poteſt,vt altera alteri has tenebras offundat? In cauſa eſt,quòd vtręq; iſtæ

*Simile.* animæ vires,germanæ filiæ ſint,ab eadem matre,hoc eſt,ab eadem anima noſtra prodeuntes,quæ ſę nimio amore complectuntur: niſi fortè velimus eas viro & vxori,viro dilectiſſimæ, comparare:cui vir(cùm illam anxiè aliquid concupiſcere videt) facilè conſenſum præbet, vt illam ab ea concupiſcentiæ moleſtia

*Gene.3.* liberet. Sic olim primus generis noſtri parens interdictę arboris fructum

fructum à dilectissima vxore oblatum comedit:non quòd diuinitatis scientiam eo cibo se adeptũrum speraret, sed (quemadmodum D.Augustinus ait)ne delicias suas,reiecto cibo,contristaret.Sic etiam mater febricitanti filio nocituram aquam anxiè petenti,inuita præbet ne illum hoc desiderio cruciari videat.Ad hunc ergo modum cùm intellectus voluntatem alicuius rei vehementer appetitæ desiderio flagrare animaduertit,non ratò & consensum illi præbet,& (quod est indignius ) rationes etiam excogitat,quibus id probet quod malè concupitũ est.Quisquis igitur ab hoc periculo tutus esse cupit , nullo modo affectibus, sed consilio atque rationi gubernacula vitæ committat. Sic Sapiens ille:Ante omnem,inquit,actum, consilium stabile. Quid enim indignius quàm neglecto rationis lumine,vitæ nostrę gubernacula affectibus committere? Omnia enim funditus interibunt , cùm huic cæco iudici vitæ nostræ ducatum commiserimus.Vt enim idem naturę conditor oculos homini contulit,vt pedes, cæteraque membra dirigeret:sic mentem homini dedit, vt affectus(qui pedes animæ esse dicuntur)gubernaret. Vt igitur monstri esset,oculos à pedibus dirigi:ita monstri genus est, mentem & rationem affectibus parere,& eorum ductum atque motum sequi.Huiusmodi autẽ monstris hodie plenus est mundus.Rari enim homines sunt qui affectibus dominentur , quique,vbi ij aliò vocant,non illos, sed rationis iudicium sequantur,& consilio , non affectibus vitam moderentur. Hos autem Propheta dicit transisse in affectum cordis:quod perinde est ac si diceret,eos in pecudum naturam degenerasse:vtpote qui non rationis iudicio,sed cupiditatis imperu,pecudum ritu, in rebus gerendis vtantur.Vt enim frequenter vinum transit in acetum, ita isti vitio suo à rationis præstantia deiecti , in bestiarum naturam transierunt.

*Augusti. simil.*

*Eccles.37.*

*Simil.*

*Psal.72.*

*Simile.*

Qua quidem ex re liquet,hoc potissimum inter probos & improbos,sapientes & stultos discrimen esse,quod sapientissimus Salomon paucis descripsit,cùm dixit , Et cognoui quòd tãtum præcederet sapientia stultitiam:quantum differt lux à tenebris. Sapiẽtis oculi in capite ipsius:stultus in tenebris ambulat.Quid hoc sibi vult?an non omnes homines,siue sapientes siue stulti, oculos in capite gestant?Gestant planè oculos carnis, non tamen oculos mentis,nisi soli sapientes. Voluit igitur Salomon hac loquendi forma significare, quòd quemadmodum naturæ conditor oculos in capite,hoc est,in sublimi corporis parte collocauit,vt ibidem tanquã in edito loco constituti cæteris membris lucem præferrent,vt agenda cognoscerent: sic sapiẽs mentis

*Ecclę.2.*

tis oculos velut in capite, hoc est, in specula quadam gestat, vt inde vitam omnem, hoc est, expetenda & fugienda discernat: vt inde affectus, inde linguam, inde cogitationes & opera sua ita dirigat & regat, vt nihil extra præscriptum ordinemque rationis agat. Quod contra stultus facit, qui in rebus gerendis (vt paulo antè diximus) non lege aut iudicio, sed cæco impetu & impulsu agitatur, atque ita demum velut qui in tenebris ambulat passim offendit & ruit: & hic quidem castitatem ibi charitatem: hic patientiam, illic obedientiam, cæterasque virtutes amittit. Ideoque rectè pium quemque idem Sapiens admonet, cum ait: Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Præcedat ergo rationis iudicium, & affectus deinde consequatur. Quem ordinem in summa illa ac beatissima Trinitate animaduertere suo modo licet: in qua ordine originis, prior est cognitio quàm amor: & ita pater prius hoc ordine filium cognoscit, & cognitum infinito amore complectitur. Sic ergo nos prius quidem iudicemus, deinde diligamus: iudicium amorem, non amor iudicium præcedat. Hac autem de causa pia hęc Zebedæi vxor errauit, quia amoris impatientia superata, quid peteret, non aduertit.

*Prou. 4.*

*Simile.*

## III.

Sed iam quid Dominus huic ambitiosæ petitioni respõderit videamus. *Nescitis*, ait, *quid petatis*. Acrius sanè Dominus respondere poterat: verum solita vsus benignitate, ignorantiæ tribuit quod ambitionis & insignis vanitatis erat: quam tamen non minor ignorantia præcedebat. Verè enim qui honores, qui seculi dignitates, qui excelsas sedes postulabant, nesciebant quid peterent: quando pacem, tranquillitatem & felicitatem in iis rebus esse credebant, quæ non modo curis & laboribus, sed etiam animarum periculis & præcipitiis plenæ sunt. Est enim ambitio (vt D. Bern ait) subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parens, vitiorum origo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, ex medicina languorem generans. Hactenus Bernardus. Est autem ambitio superbiæ filia, auaritiæ mater, humilitatis nouerca, virtutum mors, ruinarum, atq; multorum malorum initiũ. Ambitio æquales contemnit, minores fastidit, superioribus inuidet, nulli subiicitur, nullius consilio regitur, sibi tantum fidit, & maiora sępe suis viribus audet. Sic enim duo isti discipuli, qui hoc morbo laborabãt, vt ambitiosi in dignitatib⁹ petẽdis, ita & p̃sumptuosi seipsos ad bibendum Domini calicem exhibuerũt: qui tamen

*Bernard.*

*Mat. 26.*

Dominum

Dominum(vbi ad passionem ventum est) turpi fuga deseruerunt. Hæc, & his similia mala ambitionis pestis secum affert.

Nec minus periculi in honoribus & sedibus, quam in ipsa ambitione est. Ampli siquidem honores instar vini meri sunt, qui sæpe homines de mente deducunt,& sui ipsorum cognitionem adimunt,perficiuntque vt tales se esse credant,quales dignitas ea,quam assecuti sunt,requirit,qualemque adulator populus quotidianis vocibus prędicat. Vt autem sui ipsius cognitio veræ sapientiæ initiũ;ita contra sui ignoratio stultitiæ,atque periculorum,& ruinarum omnium origo est. Hinc sereniſſimã illam Catharinam Anglię reginam dicere solitam memorant, se quidem æqualem in vita(si liceret)fortunam optare: quòd si hoc minimè contingeret aduersam se malle quàm secundam: aduersitate enim iactatis aiebat nunquam defuisse solatium,nimium autem secunda fortuna vsis, mentem ferè ac iudicium defuisse. Ex qua quidem prudentissima sententia illud sane colligimus,quòd quamuis vtriusq; fortunæ inæqualitas periculosa sit, periculosior tamẽ secunda sit quàm aduersa. Quã rem insignis quidam Philosophus apertissima ratione confirmat: cuius sententiam(quoniam obseruatione dignissima est) hoc in loco attexere libuit. Sic igitur ait: Difficilius prosperæ fortunæ regionẽ puto quã aduersæ aliquantoq; formidolosior & (quod constat)insidiosior est fortuna blanda quàm minax. Quod vt sic opiner,non me scribentium fama,non verborum laquei,nodiq; sophismatum,sed rerũ experimenta,vitæq; huius adigunt exempla,& magnu mdifficultatis argumentũ,raritas. Nã qui dãna,qui pauperiem,qui exilium,qui carcerẽ,qui supplicium,qui mortẽ,& peiores morte,graues morbos,æquo animo tulerunt, multos vidi: qui diuitias,qui honores,qui potentiam,nullum. Ita sępenumero me spectante contra omnẽ fortunæ violentiam inuictos,ludo facili prosperior strauit, humaniq; robur animi, quod minæ nõ fregerant,inflexere blanditiæ. Nescio enim quo modo mox vt miror esse cœperit fortuna,incipit mens emollita tumidior fieri,& suæ sortis oblitionem adiuncta prosperitate concipere. Neq; de nihilo dictum est,iamq; apud nostros homines in prouerbium venit; Magni laboris esse ferre prosperitatem. Neque temerè Flaccus ait: Benè ferre magnam disce fortunam. Difficilem nempe censebat artem,quæ nisi studio adhibito nesciretur. Hactenus ille.

*Simile.*

*Patrarcha de prosperа & aduersa fortuna.*

*Flaccus.*

Iam vero clarissimus apud mortales Philosophos Seneca quãtum ad virtutẽ aduersa fortuna cõferat,quãtumq; laboris & periculi in secunda sit,variis in locis luculẽter ostẽdit. Alibi. n. ait:

*Seneca.*

ait;Marcer ſine aduerſario virtus.Tunc apparet quãta ſit,cũ quid poſſit patientia oſtendit.Et mox:Non fert, inquit, vllum ictum illiſa felicitas.At vbi aſſidua fuit cum inc ōmodis ſuis rixa, callũ per iniurias duxit.Alibi verò:Magis inquit,vtgent ſæua inexpertos.Graue eſt non aſſuetis ferre ceruicibus iugum. Quamlibet viam iumenta patiũtur,quorũ dura in aſpero vngula eſt;in molli paluſtriq; loco ſaginata citò ſubteruntur.Deniq; ait.Cũ omnia quę exceſſerũt modũ noceãt,periculoſiſſima eſt felicitatis intemperantia.Vina Annibalẽ Falerna ſoluerũt, & indomitũ illũ niuibus atq; Alpibus virũ eneruauerũt fométa Campaniæ. Armis vicit,vitiis victus eſt.Hæc omnia ex Seneca:qui quidẽ hanc ſententiã ſuã Annibalis exẽplo confirmat.Nos verò inter alios Alexandrũ illũ Magnũ,orbis domitorem,proferre poſſumus; qui in mediis laboribus &periculis præclariſſima virtutũ exẽpla edidit, qui tamẽ periculis omnibus defunctus,& ſecunda fortuna vſus, tot vitiis inquinatus fuit,vt omnibus anteactæ vitæ virtutibus obſcuritatem attulerit.Quòd ſi minus nos ethnicorũ exẽpla mouent,Dauidẽ regẽ ſanctiſſimũ in medium proferemus; qui cum profugus vagã atq; inopẽ vitã in deſertis ageret,ſic pietatem colebat,vt veré dicere potuerit;In terra deſerta,inuia, & inaquoſa ſicut in ſancto apparui tibi:hoc eſt,ita me tibi,Domine, ſupplicem atq; deuotũ in hac vaſta & inculta ſolitudine exhibeo,ac ſi in ſanctuario tuo corã arca fœderis eſſem: quę virtus & gloria tua nuncupatur.Idẽ tamen conſtituto regno,cũ pace & otio fruetetur,in grauiſſima crimina lapſus eſt.Proferã item Salomonẽ eius filium quem D.Hiero.ideò putat corruiſſe, quoniam ſecunda ſemper fortuna vſus in deliciis vitam egerit. Minutiſſimum autẽ exemplum eſt(ſi inter iſta referatur)quod in vita beatiſſimi Præſulis Antonini memoratur,quod tamen ſilentio prætereundum non eſt.Ambroſiana forte via ſolemni die de more iter faciens,in pauperis tecti culmine adeſſe Angelos contemplatur,Rei admiratione perculſus cùm domum introiſſet viduã ac tres vnà filias reperit,nudis omnes pedibus & laceras:quæ vt paupertatis iniuriam propulſarent,lanificio,ſeu textrinæ incumbebant.Antoninus,qui totus miſericordia redundabat,ne celebri die in operam lanificio cogeretur dare,ſimul ex proximè cõmorantibus edoctus,eſſe probis moribus & ingenuis,ſtatim iuber quantum ſat eſſet non modò ad inopiam fugandam,ſed ad commodos quoque vſus erogari. Labente tempore cum illac rurſus iter faceret,iam non Angelos,ſed dæmonem videt faſtigio domus inſtare,ac tum ſubeſſe mali aliquid ſuſpicatur, quærit quid id eſſet,num prolapſæ in ſcelus aliquod,florem virgineum

*Pſal. 62.*

*Hieron. in epiſt.*

gineum delibaſſent,aut dedecoroſum quippiam admiſiſſent? Cognito,quod refertæ eleemoſynis iam cum inopia non pugnarent,quod lanificio non intenderent, quod multum à religioſo illo viuendi more conſidiſſent,quòd delicias demum in veſtibus,tũ reliquos ornatus corporis adamarent, ingratitudinis maximæ coarguit,quòd in mulieres luxus, quæ ad fugandam inopiam dederat, conuertiſſent: tum quod Angelos primum,mox dæmonem vidiſſet,explicuit:malam eſſe rerum conuerſionem factam:nempe,quòd ſimplici cultu,amico Angelis, antea vixiſſent,nunc inſolentiores factæ, ad luxus & illecebras dæmoni aures præberent.Redirent itaque ad ſe,antiqua viuendi inſtituta reſumerent,& nullum otio,nullum dæmoni locum darent.Ex illo peritus artifex,tametſi nunquam non inopiam ſubleuauit,non commiſit tamen vt alerentur pinguius,& veſtirentur cultius quam par eſſet.Vidiſtis hoc etiam exemplo fratres,quid ſecũda fortuna mali,quid aduerſa boni ſecũ attulerit.

Quid?quòd non terrena opulentia modo,ſed cæleſtia quoq; & ſpiritualia dona animos interdum piorum hominum efferunt?D.Greg.in tertio libro Dialogorum ſanctiſſimum quendam virum memorat,qui variis à Domino miraculorum ſignis fuerat honeſtatus:is cùm ad præces Sanctimonialium quarundam dæmonem ab obſeſſu pueri corpore expulſſet, hoc miraculo tantiſper elatus,facultatem dæmoni iterum inuadẽdi pueri præbuit:nec ipſe ſolus,ſed ſanctorum quorundam monachorum precibus adiutus, dæmonem iterum profugauit. Seuerus quoq; Sulpicius in dialogo anachoritam refert mira ſigna edẽtem,dæmonesq́ue ab obſeſſis coporibus expellentem:cuius rei gratia à multis opem ab eo petentibus frequentabatur. Interea ſancto viro vt ex virtute honor,ita ex honore vanitas cœpit obrepere:quod malum vbi ille primum potuit in ſe agnoſcere,diu diſcutere conatus eſt,ſed repelli penitus non potuit:vbique nomen eius dæmones fatebantur:excludere à ſe confluentem populum non valebat.Virus interium latens ſerpebat in pectore: & cuius nutu ex aliorum corporibus dæmones fugabant,ſe ipſum occultis cogitationibus vanitatis purgare non poterat. Totis igitur precibus conuerſis ad Dominum orauit,vt permiſſa in ſe diaboli poteſtate ſimilis illis fieret,quos ipſe curauerat.Quid multis?ille præpotens,ille ſignis atque virtutibus toto Oriente vulgatus,ille,ad cuius limina populi antè cõfluxerat, correptus à dæmone eſt,ac retentus in vinculis,omnia illa quæ in energumeno ſolent fieri,perpeſſus.Quinto demum menſe purgatus eſt,non tantum dæmone,ſed quod illi erat vtilius atque optabilius

*Gregor. lib.1, Dial.*

*Seuerus. Sulpicius.*

tius,vanitate.Hactenus Sulpicius Si ergo tot secum pericula sublimitatis dignitas,atque ipsa etiam spiritualis prosperitas affert,an non iure motitoque ad illam nimis auidè aspirantibus dicere Dominus potuit, *Nescitis quid petatis?* Verè enim nesciebant quid peterent,cùm sub obtentu felicitatis&securitatis,periculorum atque curarum sibi materiam postularent.

IIII.

Adiecitque deinde Dominus: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Quorsum hęc? Viam illis certè regiam ost ēdit,qua non ad temporariam & inanem, sed ad veram dignitatem & gloriam peruenitur:quæ non alia quàm variorum laborum patientia est.Hoc enim passim diuina volumina prædicant atque
*Luc.9.* decantant.Si quis,ait Domin⁹,vult venire post me,abneget semetipsum,& tollat crucem suam,& sequatur me.Idemque alibi;
*Matt.10.* Qui non accipit,inquit,crucem suam& sequitur me,non est
*Galat.5.* me dignus Et Apostolus Paulus: Qui Christi,inquit sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Itaque non satis est & vitiis,& vitiorum cupiditatibus obsistere,easq; cruci affigere,sed ipsam quoque carnem,quæ & vitiorum & cupiditatum seminarium est,eiusdem Apostoli exemplo castigare monemur,dicentis,Castigo corpus meum,& in seruitutem re-
*1.Cor.9.* digo,ne cùm aliis prædicauero ipse reprobus efficiar.

Nec Paulus modo ,sed cæteri quoque Apostoli hac eadem
*Acto.12.* via ingressi sunt.Atq; ij etiā duo fratres, quibus nunc Domin⁹ calicem suum proponit,alacriter illum biberunt. Alter enim in feruētis olei dolio missus,&exilio multatus:alter verò ante omnes alios Apostolos martyrio fuit laureatus. Ita qui principem inter alios locum petebat, meliori conditione principatum adeptus est:dum enim primus omnium calicem bibit, clarissimum fidei & constantiæ suæ exemplum reliquit.

Quid igitur ex his consequitur,fratres? Illud certè quod Apostolus enumeratis veterum Patrum laboribus adiecit,Hebentes
*Hecr. 12.* igitur tantā nubem testium,per patientiam curramus ad propositum nobis certamen aspicientes in auctorē fidei,& cōsummatorē Iesum,qui proposito sibi gaudio(videlicet de salute nostra
*Ibidem.* per mortem suam constituenda)sustinuit crucē,confusione cōtempta Additque deinde Recogitate eum,qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt non fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis,aduersus peccatum repugnantes.

Nunc ad nos ipsos veniamus fratres.Si tot sanctarum litterarum testimonia,tot oracula diuina,tot sanctorum Propheta-

rum

rum,Apoſtolorum,Martyrum,& Confeſſorũ exempla,&(quod caput eſt)ipſius ducis ac principis noſtri crux claui ludibria,verbera,& ignominioſiſſimum mortis ſupplicium nos ad laborũ tolerantiam,ad calicẽ paſſionis hauriendũ,ad crucẽ ſenſibus & cupiditatibus noſtris affigendã,inuitant,qua,quæſo,fronte qui vitã omnẽ in otio,ludoq;& carnis indulgentia conſumũt,æternæ vitæ mercedem ſe conſecuturos ſperant? Nemo noſtrũ eſt qui non intelligat,ſummũ & infinitũ bonum eſſe quod piis in cœlo propoſitum eſt extremúmque malorum omniũ(poſt lethale peccatum)apud inferos conſtitutũ, nemo qui nõ cupiat beatiſſima illa fœlicitate frui,& ab illa ſempiterna miſeria liberari. At vidiſtis hactenus omnia diuina oracula omniaq; Sãctorum exempla,per varios labores atq; certamina æternam illam palmam fuiſſe conſecutos,illorumq; omniũ vocem eſſe,Trãſiuimus per ignẽ & aquam,&deduxiſti nos in refrigerium. *Pſal. 65.* Cum hæc igitur ita ſint,nequeo ſatis mirari,quonam modo ſibi cohæreant,ſibiq́ue ipſis cõſentiãt,qui huius fœlicitatis deſiderio flagrant,nullis tamen pietatis operibus vacant,nullam cupiditatibus ſuis cohibendis curam adhibent,non lingnæ frenũ,nõ oculis cuſtodiam,non cogitationibus ſuis terminũ vllum præfigãt,nõ vllum propter virtutis amorem ſubire laborem cupiãt, ſed omnis eorum vita in honoribus conſectandis in patrimoniis cumulandis,in ſola carne curanda,nutrienda,oblectanda, &modis omnibus reficienda conſumitur. Qualis autem horum ſors futura ſit,non mea,ſed veridica iudicis ipſius ſententia per Iſaiam tremendis his verbis declaratur. Et vocabit Dñs Deus exercituum in die illa ad fletum,& ad plãctum,ad caluitium,& ad ſingulum ſacci:& ecce gaudium,& lætitia occidere vitulos, & iugulare arietes,comedere carnes,& bibere vinum. Comedamus,& bibebamus; cras enim moriemur. Et reuelata eſt in auribus meis vox Domini exercituum: Si dimittetur iniquitas hęc vobis,donec moriamini,dicit Dñs exercituum. Quid his,quęſo verbis formidabilius? quid terribilius? Si ergo credimus hãc eſſe Dei vocem atq; ſententiam,quomodo non metu concutiũtur, qui vitam omnẽ carnis obſequio manciparunt? qui vno,qui epulis,qui locis,& luſibus,&ſcurrilibus verbis,ne dicam turpibus,& aliorũ exiſtimationi nocentibus,perpetuò vacãtes,& ſine vllo virtutis aut benignitatis fructu vitam omnẽ Epicureorum more in voluptãtibus trãſigentes,ſempiternam ſibi fœlicitatem promiſerunt,quàm ſancti omnes per crucem,& calicem,& ſanguinem adepti ſunt? Num ergo alia tibi in cœlum via ſternenda,alię leges præfigende,aliud Euangelium denuò condendũ,

*Eſaiæ 22.*

quod aditum tibi in cœlũ ſine vllo labore patefaciat? At clamat
*Matt.24.* contra te illa Domini ſententia, Cœlum & tetra tranſibunt: ver-
*Matth.5.* ba autem mea non præteribunt. Et, Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Expergiſcimini, quæſo, fratres, quicunq; ſalutem veſtram charam habetis, & à letargico iſto ſomno, qui vos oppreſſos tenet, excitamini, alia via incedite, alios mores induite, ad bibendũ calicẽ Domini præparamini, ad portandam crucem accingimini, eam cupiditatibus veſtris, eam cogitationibus, eam oculis, eã auribus, eam poſtremò linguæ intemperantiæ affigentes, vt ſic tandem per crucem ad regnum, per labores ad requiem, per pugnam ad ſempiternam palmam peruenire mereamini & coronam.

## In feſto beatiſsimi patris noſtri Dominici concio prima, in qua lectio Euangelica explanatur.

THEMA. *Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Matth. 5.

HVnc ordinem videmus à diuina prouidentia in rebus quæ natura cõſtant inſtitutum, vt quædã præcipiendi, & mouendi, quædã verò obtẽperandi, & eorum moribus obſequẽdi munus exequãtur. Superiora enim, hoc eſt cęleſtia corpora, Sol, Luna, cæteráque aſtra; atque illa in primis quæ errantia appellamus, agendi atque mouendi principatum obtinent: inferiora verò, quibus corporeus hic mundus refertus eſt, illorum actionibus & motibus mira obedientia obſequuntur. Quam rem in Sole præcipuè ac Luna quotidie cernere licet, quæ magnam vim habent ad hæc inferiora corpora variè pro ratione lucis, qua illa contingunt, immutanda. Quia ergo idem eſt gratiæ & naturæ conditor, qua ratione naturam omnem adminiſtrat, eadem Eccleſiam ſuam regit, & moderatur. Gratiarum enim & verbi ſui miniſtros velut clariſſima quædam ſidera in Eccleſiæ ſuæ firmamento collocauit, quæ ſplendore vitę atq; doctrinæ aliis præluceret: eorumque mentes cœleſtium rerum amo
*Dan.12.* re incenderent. Ne verò cuidam inepta hæc comparatio videatur, hocipſum Dominus Danielis voce inſinuaſſe videtur, cum verbi ſui miniſtros ſtellis & cœlo comparauit. ſic enim ait, Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti; & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellę in perpetuas ęternitates. Quibus verbis & prædicatorum officium, & dignitatem, & ſempiternæ fœlicitatis præmiũ, quod illos poſt hanc vitam manet,

non

non obſcurè ſignificauit. Quoniam autem variis modis hoc pietatis officium exequuntur, variis quoque nominibus in hodierna ſancti Euangelij lectione à Domino deſignantur. Eos quippe ſal terræ, lucem mundi, ciuitatem in monte ſitam, & lucernam ſupra candelabrum poſitam appellat: quarum appellationum rationem in eadem lectione declarat, quam in hodierna concione elucidare aſpirante diuina gratia, debemus. Quod vt ſalubriter & religiosè præſtare poſſimus, cœleſtem opem, ſacratiſſimæ Virginis interceſſione, ſuppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Cùm cœleſtis Magiſter diſcipulos ſuos ad prædicationis officium inſtituere, eoſque idoneos Euangelij ſui miniſtros creare vellet, his verbis officij huius fructum, dignitatem & periculũ etiam aperire exorſus eſt: *Vos* inquit, *eſtis ſal terræ.* Hoc autem ſalis nomen ad Apoſtolos, & Apoſtolorum ſucceſſores, hoc eſt, Epiſcopos & verbi Dei miniſtros præcipuè dirigitur. Ad eos enim ſpectat mores hominum cõdire, & à peccati corruptione ſanctis pro ſapientia atque doctrina accipitur, quæ præcipuè humana vita conditur. Qua quidem appellatione verbi Dei acrimoniam adnotare licebit: non enim aut mel, aut vnguentum, ſiue quid aliud molle, ſed ſal nuncupatur, quod nõnihil acrimoniæ & mordacitatis habet. Qua de cauſa & ignis & gladius, & malleus conterens petras, in literis ſanctis appellatur. Quocirca, fratres, neque mirari, neque ſuccenſere nobis debetis, ſi quando cõcionatores acriter in corruptos hominum mores inuehuntur, & medicandis animæ vlceribus dolorem incutiunt. Quid enim aliud à ſale, igne, gladio & malleo expectari poteſt? Sal enim mordet, ignis vrit, gladius vulnerat malleus petras, hoc eſt, dura & lapidea pectora conterit. Hoc igitur facit, quiſquis ſincerè ac legitimè verbum Dei prædicat, qui iuxta Apoſtolum, exhibet ſe operarium inconfuſibilem, rectè tractantem verbum veritatis. Contrà, de iis qui populärem auram, & imperitæ multitudinis plauſum captare ſtudent, ſcriptum eſt, Væ qui conſuunt puluillos & cernicalia ſub omni cubito manus (vt videlicet blandius homines in flagitiis ſuis dormiant) & liniũt parietem luto abſque paleis (ne videlicet peccati turpitudo atq; deformitas appareat. Hi ſunt qui ſe corruptis hominum deſideriis accõmodant, & diuinæ legis acrimoniam blandis interpretationibus molliunt & eneruant: de quibus per Iſaiam Dominus, Vinum, inquit, tuum miſtum eſt aqua. Quod faciunt, qui diuinarum legum auſteritatem, terrenæ prudentiæ aqua in-

*Ierem. 23*
*Hebr. 4.*
*2. Tim. 2.*
*Ezec. 13.*
*Iſa. 1.*

dulcare,& carnalium hominum moribus aptare nituntur ; de
*Isaiæ 3.* quibus Dominus per eundem Prophetam,Populе,inquit,meus
qui te beatum dicunt,ipsi te decipiunt,& semitas pedum tuo-
*Hieron.* rum dissipant.Quo in loco diuus Hieronymus: Ille,inquit,est
Doctor ecclesiasticus,qui lachrymas,non risum mouet,qui cor
ripit peccatores,qui nullum beatum,nullum dicit esse fœlicem.
Hoc enim proprium eorum munus est,qui salis officio fungun
tur.Subditq; Dominus:

*Quòd si sal euanuerit*,hoc est,si vniuersum sal acrimoniá suam & saliendi vim amiserit,*in quo salietur*? hoc est,qua re alia pristinam vim atque saporem suum recipiet? Quod perinde est,ac si diceret:Si vnus tantum in vrbe sit medicus,qui ægrotis omnibus medeatur,is autem infatuatus fuerit ,quis illum curare poterit.Quis enim medebitur incantatori à serpente percusso? Ad hunc igitur modũ si priuatus homo infatuatus fuerit, sale cõdiri poterit:at sale ipso ifatuato, qua re alia pristina illa vis restitui &reparari queat? Hinc diuus Hieronymus: Si monachus,
*Hieron.* inquit , ceciderit, rogabit pro eo sacerdos , pro sacerdotis lapsu quis rogaturus est ? *Ad nihilum valet vltrà nisi vt mittatur foràs,& conculcetur ab hominibus.*Cum autem sal præter eam saliẽdi vim quam habet,ad alia nihil conferat(neque enim in sterquilinijũ,quo arua fecundantur atque pinguescunt , vtilis est: quin potius immodica siccitate sua agros steriles efficit)consequens est,vt tanquã res prorsus inutilis abiiciatur, & conculcetur ab hominibus. Cum enim omnia alia munera,siue militaria,siue ciuilia per ecclesiasticas leges sacerdotibus interdicta sint quo diuinarũ rerum studio,condiendisque hominum moribus vacare liberè possint,si hoc vnum munus, quòd illis iniunctum est,negligãt,in quem vsum Christianæ reipu. ciuibusque suis esse poterunt?Rectè ergo de his Dominus:*Ad nihilum*,inquit *valet vltrà,nisi vt mittatur foras,& conculcetur ab hominibus*.Quià enim Ecclesię ministri,dum malè viuunt,Deum honore debito fraudant,iusto Dei iudicio ipsi quoquè suo honore fraudantur.
Quod autem infœlici nostro seculo impletum cernimus, ante
*Malac.* multa annorum centenaria per Malachiam Dominus prænuntiauit,cùm dixit:Vos autem recessistis de via , & scandalizastis plurimos in lege.Irritum fecistis pactum.Leui, dicit Dominus. Propter quod ego dedi vos cõtemptibiles & humiles omnibus populis;sicut non seruastis vias meas& accepistis faciẽ in lege. Quid igitur his verbis insinuatur,nisi quod hoc in loco Saluator ait:*Si sal euanuerit,in quo salietur? Ad nihilũ valet vltrà,nisi vt mittatur foras,& conculcetur ab hominibus*.Sed ad alia ministrorum Euangeli.

uangelij nomina veniamus.

Non contentus enim Dominus ſal terræ eos appellaſſe, vocat etiam lucem mundi. Magna profectò prædicatorũ dignitas qui voce veritatis eodem nomine deſignantur, quo ſeipſam veritas nuncupauit, quæ ait; Ego ſum lux mundi. Hæc igitur primaria lux, hac ſecunda luce (quæ ab illa deriuatur) velut inſtrumento quodam vtitur ad hominũ mentes illuminandas, & diuini amoris igne inflammandas. Vt enim ſolis & ſtellarũ lux quæ ad nos vſque pertingit, inſtrumentum eſt quo hæc cæleſtia corpora in hæc inferiora vim ſuam influũt, & omnia quæ terra marique naſcuntur, producunt, & nutriunt, ſic diuina prouidentia Prophetis primùm, deinde Apoſtolis, tũ verbi ſui miniſtris, ceu viuis quibuſdam inſtrumentis ad animarum ſalutem vtitur. Ita que cum concionatoris vox pium aliquem motũ in animo tuo excitat, Deꝰ eius rei primus auctor eſt, qui prædicatoris organo ad ſalutem tuã vtitur. Quare illi vocanti, atque interius te hoc inſtrumento mouẽti, gratias cum primis agere debes. Nemo enim api, quæ fauum conficit, ſed ei qui apẽ mellificare in vſum hominum docuit, gratias agit.

*Ioan. 8.*

*Simile.*

*Simile.*

Addit & aliud nomen Dominus non minus illuſtre, nempe, ciuitatem ſupra montem poſitam; ad quam omnes non ſolum belli tempore confugiunt, vt eius præſidio ſalutem ſuam tueantur, ſed etiam ex finitimis locis ad eam confluunt, vt ibidem quæ ad vitæ vſum neceſſaria ſunt, quærant. Tales igitur eſſe Eccleſię paſtores decet, videlicet more Pauli omnibus omnia fiãt, vt in eis æger curationem, meſtus lætitiam, deſperatus fiduciã, imperitus doctrinam, dubius conſilium, pœnitens veniam atque ſolatium, & quidquid tandem ad ſalutem neceſſarium ſit, omnes inueniant.

*2. Cor. 9.*

Poſtremo, nomen aliud ſupra poſitis adiungit, nempè lucernam ſuper candelabrum poſitam. Lucerna autem ardet & lucet. Quid enim ſuprà dixerat, Eccleſiæ Doctores lucem eſſe mundi, ne quis huic muneri ſe ſatisfeciſſe putaret, ſi doctrinę ſuæ ſplendore aliis præluceret, eaque doceret, quæ non opere, ſed meditatione didiciſſet, addidit lucernæ nomen, quæ non modo lucet, ſed etiam ardet, qualis beatus Chriſti præcurſor extitit: quem Dominus lucernam ardentem & lucentem appellauit, qui videlicet doctrinę luce homines erudiebat, & charitatis ſuæ exemplo alios ad Dei amorem incendebat. Sequitur deinde:

*Ioan. 5.*

I.

*Nolite putare quoniam veni ſoluere legem, aut Prophetas.* His verbis Dominus tacitè quidem diſcipulorum quæſtioni reſpondere

videtur. Dicere si quidem poterant; Prædicatores nos, Domine, Euangelij instituis, scimus autem ex Hieremiæ vaticinio, in ad-
*Hieron. 31.* uentu Messiæ aliud testamentum nouum, veteri longè dissimile, esse condendum; num ergo aliquid contra legem, aut Prophetas docere debemus? Huic dominus quæstioni respondet; *Nolite putare quoniam veni soluere legem, aut Prophetas: non veni soluere sed adimplere*. Quid enim ad inculpatæ vitæ mores in lege & Prophetis continentur adeo non dissoluam, vt multis etiam accessionibus perfectiora reddam. Quod statim facere incipit, cùm pro
*Exo. 20.* eo quod lex præcipit non occidendum, ipse addit etiam non i-
*Matth. 5.* rascendum; pro eo quod amicos diligere iubet, ipse etiam inimi-
*Leui. 29.* cos diligendos, & beneficijs prosequendos consulit: atque item
*Matth. 2.* de cæteris. Ea etiam quæ vetus lex & prophetæ siue promittunt obsequentibus, siue inobedientibus minantur, sic implenda sunt, vt ne vnum quidem iota, aut apex à lege præterire debeat, donec omnia fiant. Iota, inter omnes alphabeti literas mini ma est; apex autem adhuc minor quam iota. Significat ergo hac asseueratione, nihil ex his quæ diuinis oraculis continentur quamlibet exiguum aut minimum sit, non ad vnguem implendum quamuis hoc ipsum modo ab hominum conspectu longè positum esse videatur. Itaque si piis diuinæ fœlicitatis communio (quæ in aperta immensæ illis pulchritudinis visione consistit) promissa est, non dubium, quin ij, promissionis huius aliquando
*Psal. 47.* participes effecti, dicant; Sicut audiuimus sic vidimus in ciuitate Domini virtutum. His autem verbis quidam valde religiosus Pater, postquam è viuis excessit, D. Thomam Aquinatem magna affecit lætitia, cuius rei historiam (quoniam non ingratam vobis futuram spero) paucis exponam. Oranti quodam tempore S. Thomæ Neapoli in templo Dominicanorum apparuit frater Romanus S. Theologiæ Doctor, quem ille sibi Parisiis in prælectionibus relinquerat successorem, qui non ita pridem obierat, D. Thoma ignorante. Vt ergo illum vidit iuxta se stantem, Gratulor, inquit, te huc aduenisse, sed quando, oro, venisti? Respondit ille, Ego iam excessi è corpore, permissum autem mihi est pro tuo merito tibi apparere. Territus eo responso nonnihil sanctus vir, cum se collegisset, ait, Adiuro te per Dominum vt indices mihi, num placeant Deo opera mea. Respondit Romanus, Perseuera in hoc statu, nec dubites grata esse Deo quæ facis. Et Thomas, Tecũ verò, inquit, vt agitur? Respondit; Ego vita fruor sempiterna, attamen ob negligentius curatum testamentum à Parisiensi Episcopo mihi traditum, pœnas lui in locis purgatorijs ad dies quindecim. Et Thomas, Scis, inquit, crebrònos in disputationem

disputationem illam adduxisse quæstionem, an præmaneant in animo scientiæ in hac vita acquisitæ, quæso vt eam mihi expedias. Respondit Romanus: Ego Deum intueor, noli hac de re ex me scisciatari. Et Thomas, Vides ne, inquit, Deū sine medio, aut aliqua re interposita? Tum ille, Sicut audiuimus ait, sic videmus in ciuitate Domini virtutum, moxque disparuit, & S. Thomas magna reliquit consolatione perfusum.

Nec minus vera sunt quæ de damnatorum suppliciis in eisdem sacris litteris prodita sunt.. Si enim ignis æternus, si immortalis vermis, si tenebræ exteriores, si fletus & stridor dentium in gehenna esse dicuntur, erit certè quando hæc supplicia perditis hominibus subeunda sint. In eisdem etiam futurum in fine mundi iudicium legimus, in quo de otioso etiam verbo reddituri rationem sumus, in quo oues ab hædis separatæ amabilem illam Domini vocem audient, Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi, hædi verò horribilem illam atque tremendam; Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius. Quo diuinæ vocis fulmine icti, incipient dicere montibus: Cadite super nos, & collibus, operite nos. Hęc omnia sine dubio improbis hominibus experienda seruantur, ita vt ne iota vnum, aut vnus apex ex iis omnibus prętermittendus sit. Cùm igitur hæc omnia (vt Petrus Apostolus ait) dissoluenda sint, quales oportet nos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus, expectantes & properantes in aduentum diei Domini, per quem cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent. Inter has autem pœnas, maximam esse constat, illius summæ & infinitæ pulchritudinis conspectu perpetuò abdicari. Hæc enim pœna bis infinita est, quod ea videlicet & infinito bono priuat & per infinita tempora, hoc est, per nunquam finienda spatia durat. Sed hanc tantam pœnam scelerati homines minus formidant, quia quale illud bonum sit, ne cogitatione quidem attingere possunt. At cùm ignis pœnam quotidie experiantur, qui fieri potest, vt æternum ignis incendium non exhorreant? Non horrent autem illum, qui sese vitiorum omnium turpitudini addixerunt, quos videlicet superbia inflat, auaritia vrit, luxuria inquinat, ira dilaniat, inuidia consumit, voluptates dissoluunt, cæteraq; vitiorum monstra obsessos tenent., qui postremò ita viuunt, quasi nulla prorsus eos pœna maneret. Qualis verò hæc pœna sit, hoc indicio coniecturam aliquam facere potestis. Adrianus Imperator, ira atque furore ebrius, hoc crudelissimo martyrij genere beatum Eustachium (vt Nicephorus in

*Matt. 25.* *Esa. 66.* *Mat. 8.* *Mat. 22.* *Mat. 12.* *Mat. 15.* *Mat. 25.* *Oseæ 10.* *2. Pet. 3.* *Niceph.*

Ecclesiastica historia refert)cruciari præcepit. Iussit enim & illum,& coniugem & duos simul filios in tauro æneo includi, & igne suppositο ibidem concremari.Nunc expendite, quæso fratres,cum sancti viri in exiguo illo cadentis ferri sinu, in horrendis illis tenebris,in angustissimo illo spatio, vbi nullum esset corporibus voluendi atque se gyrandi locus,torquerentur,quando pius pater coniungem & liberos,& hi rursum parentem tam crudeli mortis genere torqueri cernerent,quo dolore afficerentur,quas voces, quos gemitus, quos clamores in horrendo illo tauri vtero emitterent? Horret animus hæc meminisse, & cor ipsum, dum hæc recolit, pauet & contremiscit. Quid autem hic adeo formidabilis cruciatus, si cum sempiterno illo gehennæ cruciatu comparetur, nisi fumus & vmbra est? Nam in illo sanctorum supplicio duo maxima illos solatia sustentabant,alterum, quòd breuissimo temporis spatio erat pœna illa duratura: alterum, quòd post breuem illam morulam,momentanea pœna esset æterna felicitate commutanda. Neutrum autem horum eos qui in gehenna cruciantur, consolatur,neque enim spes vlla aut præmij percipiendi,aut doloris finiendi eorum tormenta leuare aliqua ratione potest? cùm & pœna sit æterna, & frustra sine vllo emolumento subeunda. Hæc qui cum animo suo cogitat,etiam si innocentiam colat,(quia tamen dum in vita est,à via deflectere potest)quomodo non totus corde & corpore contremiscat? quomodo dies noctesque in perpetuo luctu & squalore non agat? quomodo præ timoris magnitudine non totus obrigeat? Quod si innocentes hoc metu carere non debẽt (qui sanctissimos sæpè viros solicitabat)quantum,quæso, ij formidare debent,qui in eo statu manent,in quo secundum diuinę iustitiæ leges,si mors illos subito intercipiat, (quod euenire non raro solet)fulmine ocyus ad inferos exturbabuntur? Miror, fratres, miror cùm hæc ipsa dico, quo modo non etiam cum his verbis animam simul cum sanguine fundo. Euigilate,quæso,fratres,euigilate,& ab hoc lethali sommo,qui vos tenet oppressos, expergiscimini, atque hoc tempore,dum vita manet, dum pœnitentiæ locus est, dum iudex ipse nos & patienter expectat, & clementer vocat, hos tantos cruciatus redimere studeamus, quandoquidem hæc vitæ spatia non ad ludum & fastum, non ad luxum & crapulam,sed ad pœnitentiam nobis data sunt. Sed ad sequentia veniamus,subdit enim Dominus.

II.

*Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit, &c.*

Minima hoc in loco diuus Augustinus mandata illa appellat,

Non

Non occides:Non mœchaberis, Non furtum facies,Non falsum testimonium dices,& quę sunt his similia,quòd hæc mandata plerique etiam vel non Christiani seruare studeant.Cuius reiṁ grauabor vnicum saltē exemplū ex multis commemorare.Cum Themistocles populo Athenienſi dixisset,se daturum consilium quod maximam esset reip.vtilitatem allaturum, esse tamen eiusmodi, vt nullo modo esset vulgandum. præcepit populus vt illud vni Aristidi denunciaret.Quo cum ille fecisset,Aristides ait, Themistoclis quidem consilio nihil vtilius, sed nihil tamen iniustius. Quo audito populus ab eo consilio Themistoclem supersedere iussit.Itaque quamuis gens illa esset veræ religionis & pietatis expers,omnem tamen vtilitatem quæ esset cum iniustitia coniuncta,repudiandam censuit. Hęc igitur iure mandata minima nuncupantur, quæ ciuiles etiam leges præcipiunt,earumq; violatores legitimis pœnis cohęrēt. Sunt verò alia maiora, quæ ad Euangelicæ vitæ perfectionem spectant,per quę ad summum illud diuinę dilectionis mandatū peruenitur, quod Saluator mandatorum omnium maximū & primum esse ait.Itaque fingere animis debetis,iter in cælum esse instar confragosi & ardui montis ascensus, ad cuius radices sunt mandata hæc quæ minima esse diximus, Non occides,Non mœchaberis,Non furtum facies, Non oderis proximum tuum,nec vxorem eius:aut quidquam aliud, quod ad illum pertinet,concupisces.Post hæc verò in aduersum scandentibus maiora illa occurrunt non modo non habere odio inimicos, sed eos etiam beneficiis afficere:non solum alienam vxorem non concupiscere,sed omnes etiam impudici amoris occasiones deuitare: non solum aliena non appetere,sed propria etiam largiri.Huc enim diuinę legis mens atque sententia tendit,vt ita se quisque à cæde contineat,vt odium quoque & iracundiam frenet:ita libidini obsistat,vt oculorum etiam petulantiam coerceat,ita manus ab alienis rebus abstineat, vt sua potius in aliorum vtilitatem conferat.Itaque qua lege prohibetur crudelitas, eadem humanitas & clementia præscribitur, qua verò iubetur obuiam ire libidini,castitas & puritas sancitur,qua deterremur à furto & latrocinio,eadem ad liberalitatē & beneficentiam incitamur.Cùm verò lex vetat,ne l.bem aliorum nomini falso testimonio inferamus,id etiam præcipit, vt quantū possimus hominum famæ & dignitati consulamus.

*Matt.22.*

*Exod.20.*

*Mat.5.*

*Ibidem.*

His autem gradibus paulatim ad summum huius mōtis verticem peruenitur,in quo perfecta charitas est,quæ indissolubili nos amoris vinculo Deo copulat,in quo summa hominis fœ

licitas, & perfectio vitæ huius posita est. Cæterùm immensa
1. Tim. 2. illa bonitas, quæ vult omnes homines saluos fieri, quamuis perfectionis viam prouectioribus ostendat, non eos tamen abiicit neque à cælestis patrimonij hæreditate arcet, qui vel minora illa mandata seruauerint. Qua in re mira Dei nostri benignitas elucet, quæ (infirmitatis humanæ habita ratione) tam exiguo pretio tantam tribuit mercedem. Hinc Apostolus, Humanum, ait, dico propter infirmitatem carnis vestræ; sicut enim
Rom. 6. exhibuistis membra vestra seruire iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete ea seruire iustitiæ in sanctificationem. Constat planè longè maiori studio iustitiæ & sanctitati, quàm iniquitati seruiendum esse: Apostolus tamen carnis nostræ infirmitatem considerans, hoc saltem à nobis exigit, vt quo studio iniquitati olim seruiebamus, eodem iustitiâ colamus, eiusque
Prou. 2. obsequio sensus & membra nostra abdicemus. Sic etiam Salomon, Si sapientiam, ait, quæsieris quasi pecuniam, & quasi thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies. Quis ambigit, tanto maiori studio sapientiam, quàm pecuniam esse quærendam, tanto est sapientia quàm pecunia ipsa præstantior? At vel hoc solùm à nobis requirit Dominus, vt pulcherrima sapientiæ suæ munera hominibus largiatur. Idem quoque in cælestis mercedis rettibu-
Psal. 55. tione facit, quam minimorum etiam mandatorum obseruationi tribuit, vt Prophetícum illud implere videatur, Pro nihilo saluos facies illos. Nunc ad vos, fratres; Si tam exiguo labore & pretio largitur Deus, quòd ipse non sibi, sed vobis sanguinis sui pretio mercatus est, quid in supremo illo examine respondere poteritis, quid prætexere, quam defensionem parare, cùm ne gratis quidem oblatam regni cælestis hereditatem accipere volueritis? Iá verò qui se ob neglectam hanc adeo leuem sarcinam à cælesti hereditate expulsos, æternisque supplicijs addictos videant, quo angore cruciabuntur? quo furore aduersum seipsos insanient, cùm ista duo animis perpetuò
Marc. 9. voluant atque reuoluant, quid videlicet amiserint, & cuius rei gratia amiserint? Audistis frequenter, inter gehennæ supplicia immortalem vermem numerari, qui viscera damnatorum æterno morsu dilaceret atque exedat. Nolite putare hunc vermem corporeum, similemque nostris esse. Vermis hic est harum rerum perpetua consideratio, quas velut in bilance quadam perpetuò appendunt, in quarum altera summum illud & infinitum bonum quod amiserunt, in altera verò cuius rei gratia illud amiserunt, appendentes, nunquam satis stuporem &

amentiam

amentiam ſuam furibundi & attoniti demirari queunt, præſertim cùm tot Eccleſiæ vocibus hac de re admoniti fuerint, ipſi tamen obſtinatis animis hanc tantam ſalutem gratis penè oblatam neglexerunt, cuius recuperandæ ſpem omnem prorſus amiſerunt. Hic igitur eſt vermis ille, qui eos in furorem agitat, qui illorum rabiem aduerſum ſeipſos, atque adeò aduerſus ipſum iudicem Deũ accendit, & ad horrendas blaſphemias impellit. Vos igitur, fratres, qui hæc modò auditis, qui hæc indubitata fide creditis, qui tempus nunc & ſpatium pœnitendi habetis, quod illi mille gehennis (ſi eis liceret) redimerẽt, cur hanc tantam tuendę ſalutis veſtræ opportunitatem negligitis? Quid hic agit fides veſtra? quomodo vos non ſtimulis ſuis pungit & vrget? quomodo vos lucis ſuæ radiis non in vitam reuocat atque deducit. Nempe quia iſtam verę fidei lucernam non ſuper candelabrum, ſed ſub modio poſuiſtis, ideò nihil mirum ſi vos luce ſua minimè illuſtrat. Ipſa quidem vera lux eſt, ſed his tamen integumentis impedita nihil apud vos agit. Modius autem eſt immodicus terrenarum rerum atque veſtri amor, qui ita mentem occupat & replet, vt ſub hoc pondere incluſa, & quodammodo ſepulta iaceat fides, nullamq; ſui ſignificationem det Denique ſubdit Dominus.

*Qui autẽ fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum:*

Quæ quidem verba beatiſſimo Patri Dominico maximè conueniunt, qui non ſolùm cõtinuò doctrinæ miniſterio, ſed multo magis eximiæ ſanctitatis exemplo, & conſequentibus ignis Dei Eccleſiam illuminauit. Qui autem hoc faciunt, Dominicę vocis teſtimonio in regno cælorum, hoc eſt, in vtraque Eccleſia, in ea videlicet quæ modo militat, & in ea quæ poſt militiæ agonem in cælis coronata triumphat, magni & habentur, & appellantur. De huius ergo beatiſſimi Patris ſpirituali magnitudine pauca nobis modò dicenda ſunt. Quia verò magnitudo hęc non armis, aut terrena potentia (qualis Alexandri Magni, aut Pompeij Magni extitit) ſed maximarum virtutum meritis conſtat (qualis Ioannis Baptiſtę fuit, qui magnus coram Domino dictus eſt) harum virtutum magnitudinem, in quibus beatus Pater maximè excelluit, breuiter expendamus. *Mat. 16.* *Luc. 1.*

Principiò igitur illud conſtat, Chriſtianæ vitæ perfectionẽ in diuini amoris perfectione ſitam eſſe. Huic autem amori immodicus amor ſui (quo quis carnem ſuam, & ea omnia quæ ad carnis indulgentiam pertinent, auidiſſimè conquirit) ita repugnat, vt in eodem pectore vterque ſimul amor habitare non poſſit.

possit. Quocirca prima eorum cura, qui ad diuini amoris perfectionem aspirant, in eo posita est, vt hunc immoderatum sui amorẽ à se expellant, immo eò peruenire contendant, vt pro hoc sui amore sanctum sui odium in animam inducant. Meminerunt enim à Domino Saluatore dictum esse: Qui amat ani-
*Ioan.* 12. mam suam, hoc est, corporis sui vitam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Hoc igitur primum studium, primaque, vt dixi, cura eorum esse debet, qui ad charitatis fastigium niuntur. Hanc autem curam beatissimus Pater Dominicus, à diuina gratia præuentus in infantilli etiam ætate non tam arripuisse, quàm præsagisse visus est In hac enim ætatis teneritudine deprehensus sæpè fuit lectulum relinquere, mollitiemque strati declinare, & in nuda humo infantilia membra reponere: quod postea in maturiori ætate constitutus infatigabiliter obseruauit. Quia verò opus hoc non naturæ erat, sed gratiæ, facilè Dominus hoc argumento declarare voluit, non minus gratuita dona esse quæ sancti viri in matura ætate gesserunt, quàm quæ in infantia præcesserunt. Omni enim ratione in hoc Dominus præcipuè contẽdit, vt bona omnia nostra vni illi accepta referamus, nihilque nobis, præter nihilum, ex quo facti sumus, & peccatum, quod ipsi fecimus, ascribamus, quo ab omni superbiæ tumore liberati, fida humilitatis virtute stabiliamur. Hæc igitur prima virtutis rudimenta futurorum laborum præsagia erant. Carnem quippe suam vir sanctus, vbi pueriles annos excessit, ieiuniis, vigiliis, vilitate ciborum ac vestium, & rebus omnibus quæ ad corporis vsum spectant, fatigabili studio macerauit. Nec his contentus, catena ferrea lumbos cingebat, quam (quòd maximè mirumest) nec in ipsa quidem extrema ægritudine, qua cælo animam reddidit, à se abstulit. Itaque cùm fratres sacrum eius corpus ad sepeliendum inuoluerent, catenam hanc lumbis inhærentem inuenerunt, quàm F. Rudolphus reuerenter adseruans, postea Magistro Ordinis pro magno munere dedit. Quid verò illud? quàm nouum & mirabile! quod hac ipsa catena vir sanctus ter singulis noctibus innocentissimum corpus ad sanguinis vsque effusionem acriter verberabat, eumque sanguinem primùm quidem pro debitis suis (quæ tam exigua erant) deinde pro animabus quæ purgatorio igne expiantur, tum pro his qui flagitiosè viuerent, suppliciter Domino offerebat. Quid nos ad hæc dicemus fratres, qui tot irretiti sceleribus, tot peccatorum debitis astricti, vsque adeo ab hoc macerandæ carnis studio abhorremus, vt omnia quæ ad illius indulgentiam & voluptatem pertinent,

tinent, auidissimè conquiramus? cùm vir ille sanctissimus innocentissimam carnem suam affligeret, qui tamen nullius sibi lethalis criminis concius erat! O quàm difficiles sunt sanctorum viæ a viis nostris, & studia eorum à studiis nostris! Hæc igitur sanctissimi Patris magnitudo prima fuit, qua magno & ingenti animo perpetuum carni suæ, hoc est, domestico & familiari hosti bellum indixit. Meminerat enim scriptum esse: Qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum, postea inueniet eum contumacem.

Huic autem virtuti comes individuus esse debet oratio. Quis enim carnem suam, arctissimo sibi naturæ fœdere copulatam, odio habere poterit, nisi cœlesti virtute roboratus: se supra naturam quodammodo attollat, seque ipso maior atque superior fiat? Nisi enim hac virtute fulciatur, quî fieri poterit, vt carnis suæ amorem, hoc est, affectionum cunctarum potentissimam expugnare valeat? Ad orationis autem officium spectat, hanc cælestem vim non solùm promereri, sed etiam impetrare, eademque, dum spirituali suauitate orantis animam oblectat, omnes carnis molestias libenter perferre facit. Huius autem virtutis beatissimus Pater adeò fuit studiosus, vt tota eius vita, perpetua quædam oratio extitisse videatur: adeò, vt nec itineris lassitudine & fatigatione pressus, orandi officium intermitteret. Itaque ad socios iter faciens, aiebat: Præcedite, cogitemus de Saluatore nostro. Dabat igitur vir sanctus operam, vt neque domi quiescens, neque foris iter faciens, hoc studium intermitteret. Quin & morti proximus, inter tria documenta, quæ velut testamento legata fratribus reliquit, hoc primum extitit, vt omni tempore vel cùm Deo, vel de Deo loquerentur. Ex hac enim familiari cum Deo consuetudine vir sanctus illud consequi intelligebat, vt homines paulatim humanitatis infirmitate deposita cùm Deo semper agentes, diuini quodammodo fierent, iuxta illud, Qui adhæret Domino, vnus spiritus est. Hæc est autē maxima illa dignitas & fœlicitas, quam diuus Augustinus, cum Deo loquens, expressit his verbis? Beati quorum spes tu solus es, & omne opus eorum oratio. In hoc autem officio beatus Pater totas penè noctes ducebat insomnes, propheticum illud implens, In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum. Ne verò tam longo temporis spatio fatigaretur, atque vt varietate aliqua deuotionis affectum excitaret, varias quoque (quoad corporis figuram attinet) orandi formas habebat. Aliquando enim toto corpore humi pronus ante diuinæ maiestatis conspectum prosternebatur: aliquando

*2. Cor. 6.*
*August.*
*Psal. 133*

stans

ſtans erectis in cœlum oculis orabat, aliquando manibus in crucis modum expanſis, quandoque verò ſurſum erectis, interdum verò vulgari modo genibus flexis preces ad Dominum fundebat. His enim mutationibus & corporis laborem leuabat, & varios item deuotionis motus hac viciſſitudine excitabat. Sæpè etiam vſque adeo mente in Deũ rapiebatur, vt graue corpus & ponderoſum cum ſpiritu ſimul ſurſum ageretur, atque in ſublime pendulum maneret. Quæ res in hoc ſanctiſſimo Patre coextitit mirabilior, quod is non in ſolitudine (vt anachoritæ olim) ſed in media hominum frequentia vitam ageret; vtpote qui ſe totum lucris animarum, & benignitatis atque miſericordiæ operibus addixerat. Quæ tamen duo officia adeo inter ſe diſtantia vir ſanctus ita diuina aſpirante gratia coniunxerat, vt neutrum alteri impedimento eſſet: hoc eſt: nec actio contemplationis quietem interturbaret, neque rurſum contemplationis quies actionis exercitia impediret. Itaque ſicut ſancta illa Ezechielis animantia ibant, & reuertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis, ita vir ſanctus ſumma alacritate foràs ad proximos ibat, & intrò ad contemplationis intimæ ſecretum celerrimè reuertebatur. Quo nomine meritò in illum quadrat quod de huiuſmodi Apoſtolicis viris Eccleſia canit, quos & oliuæ, ſpecioſæ in campis, & cupreſſo in altitudine ſeſe attollenti comparat. Conſtat enim has duas arbores plurimum inter ſe differre, cùm altera humilis ſit atque fecunda, altera ſterilis atque procera. Vtrumque autem in eos meritò quadrat, qui ſic mentis altitudine ad cœleſtia rapiuntur, vt tamen ad proximorum miſerias ſubleuandas ſe miſericorditer inclinent, & contemplationis quidem ſublimitate inter Angelos verſentur, miſericordiæ tamen & benignitatis officiis inter homines agant. Hos autem D. Gregorius per illum Iſraëlitici populi ducem Aod figurari ait, qui viraque manu pro dextera vtebatur, quos idem ſanctus pater hac de cauſa Ambidextros appellat, vt pote qui non minori dexteritate ſeſe in contemplationis officio, quam in miſericordiæ operibus exerceant. Quod quidem raræ cuiuſdam virtutis eſſe idem ſanctus affirmat, quàm in beatiſſimo Patre noſtro perfectiſſimam fuiſſe, tota eius vita loquitur.

*Ezech. 1.*

*D. Greg. Iudic. 3.*

IIII.

Cæterùm cùm inter virtutes omnes, tres illæ quæ Theologicæ dicuntur, principem locum teneant, quales hæ in beatiſſimo Patre noſtro fuerint, expendamus. Harum autem prima eſt fides. Qualis autem illa viri ſanctiſſimi fides extitit, quæ tot miracula patrabat? quæ dæmonibus imperabat? quæ morbos omnis. ge-

nis generis sanabat? quæ toties alimenta esurientibus ministrabat? quæ peregrinis linguis eloquia Domini personabat? quæ defunctorum etiam corpora ad vitam reuocabat? Ex multis autem ob temporis angustiam, pauca referam, & ea solùm referam, quæ singulare aliquid in miraculorum operatione habent. Præerat vir sanctus monasterio sororũ S. Sixti, de salute autem filiarum solicitus, accessit ad locum, & è sorore Cõstantia Rotularia (sic enim vocant eam, quæ reddit responsa aduentantibus) sciscitatus est, num rectè valerent, sorores Theodora & Thedramia. Respondente Constantia febribus illas vexari, & Theodoram iam ex paroxysmo decumbere, vir misericors ait ad eam, Abi, & dic eis, me iussisse ne deinceps febricitent. Fecit illa vt iussa erat, & mox omni morbo expeditæ sorores, incolumnes extitere, aliis sororibus videntibus, & ad tantum miraculum stupentibus. Reuersa ad virũ Dei Constãtia (expectabat enim eam) indicauit rem torã Ille gratias agens Deo abscessit. Hoc exẽplo animaduertere licet, quanta sit obedientiæ vis atque potentia. Vt enim cætera sileamus, hoc ab illo iustissimo virtutũ remuneratore singulare præmium accipit, vt quoniam verus obediens Deo plenissimè obtemperat, ipsæ quoq; Dei creaturæ, quamuis sensus & rationis expertes, eius imperio obedientes sint. Qualis enim virtus atque potentia est, vt mortalis homo morbis imperet, & obediant ei? Quid verò pluuias & imbres commemorem, quæ simili modo eius mandato parebant? Ipso namq; cum socioiter faciente, magnaque è cœlo pluuia cadente, socij laborem miseratus, crucis signo aëri impresso, pluuia virum Dei ac eius socium reuerita, quocumque pergerent locum ingredientibus dabat, neque eorum vestes attingere potuit. Hic ego non tam miraculi magnitudinem & nouitatem nusquam antea visam miror, sed multo magis singularem illam, quam vir sanctus de Domini benignitate conceperat fiduciam, quæ hanc tãtam rem sibi de immensa eius bonitate pollicebatur, quam concipere nullo modo poterat, nisi eius erga se charitatem & familiarem amicitiam mille argumentis cognitam & exploratam haberet. Quam quidem hoc exemplo Dominus non obscurè declarauit, qui illud itineris propter se suscepti incommodum miseratus, hunc affectum in viri sancti mentem immisit, vt signo crucis edito, à se, socioque cadentem pluuiam arceret. Quis enim hunc affectum, quis hanc fiduciam, nisi Deo inspirante, habere potuisset?

Ceterùm si sancti Patris nostri miracula omnia (quæ clarissimum fidei eius testimonium ferunt) commemorare vellem,

dies

dies me antequàm sermo deficeret. Vnum tamen silentio præterire non possum, cui vix simile aliud inter sanctorum hominum miracula reperitur. Cùm enim inter miracula omnia præstantissimum esse videatur, mortuos vitæ reddere, hic vir diuinus non vnum aliquem, sed quadraginta mortuos vna ad Deum oratione fusa ad vitam reuocauit. Quomodo autem hoc factum sit, exponam. Viro Christianissimo Comite Montisfortis cum cruce signatis obsidente Tolosam, venerunt peregrini ex Anglia D. Iacobi limina visitaturi. Ij propter excommunicationem aduersus Tolosanos hæreticos latam, vitantes Tolosam, in nauiculam se contulerunt, vt fluuium transirent. Præ multitudine verò hominum, qui erant ferè quadr aginta, depressa est nauis, & omnes submersi sunt, ita vt nec capita ab aquis extarent. Orabat tum in vicina Ecclesia S. Dominicus, clamoreque pereuntium, & circumstantis exercitus permotus, festinus eò accurrit, cernénsque præsentissimum periculum, commiserationis affectu sauciatus, toto corpore prosternitur, expansis in crucis formam manibus, flénsque acerbissimè clamat ad Dominum, vt suos peregrinos seruet à morte. Paulo pòst surgens ab oratione, conuersus ad fluuium, cum multa in Deum fiducia ita ait: Præcipio vobis, vt omnes ad littus euadatis. Mira res, sed ab illo
*Psal. 135* facta, qui facit mirabilia magna solus. Confestim ad eam vocem omnes, qui tandiu sub aquis pressi latuerant, cunctis cernentibus qui ad illud triste spectaculum confluxerant, super vndas emerserunt. Mox vndique accurrentes, porrigentéque eis lanceas, & hastas, vniuersos è fluctibus incolumnes eduxerunt, clementiam Saluatoris, & almi eius confessoris Dominici meritis laude & prædicatione efferentes. Quis igitur hoc argumento viri sanctissimi fidem, & miserationis viscera, à quibus hoc tantum opus manauit, non agnoscat? Quis verò maius ab ho-
*Rom. 4.* mine mortali potuit expectari? Hoc enim opus illius tantum esse videtur, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Hic autem beatus Pater obedientiæ præcepto impositio, eos qui vitam amiserant, ad vitam reuocauit. Quia enim amicorũ omnia sunt communia, fidissimus ille Sanctorum amicus Dominus, quod sibi vni debebatur, in amicos etiam contulit.

Hæc de viri sanctissimi fide dicta sint. Fidem autem sequitur spes: quæ tanto est firmior, quanto fides viuidior, & charitas ardentior est. Huius autem virtutis vir beatus non in vita solùm, sed in morte quoque (vbi innocentissimi viri trepidare solent) clarissimum specimen dedit. Beatus pater Arsenius in hoc agone constitutus, tanto timore correptus fuit, vt discipuli (qui in-

nocentiæ

nocentiæ & ſanctitatis eius teſtes erant) admirati,ad illum dicerent;Et tu quoque nunc pater trepidas?Quibus ille,Non eſt, inquit,ô filij nouus hic meus timor, ſemper enim quamdiu vixi,hunc diem timui. Beatus autem Agothon, inter illos antiquos monachos inſignis,cum ſimili modo,morti iam proxim⁹ trepidaret,à diſcipulis rogatus,cur qui innocentiſſimè vixerat tantoperè in morte timeret?Quoniam,inquit,ô filij, alia ſunt Dei, alia hominum iudicia. At beatus hic Pater in ipſo mortis aditu poſitus,adeò de ſalute ſua ſecurus erat,vt aliis quoque ſalutē ope ſua polliceretur.Filiis enim trāſitum eius & ſolitudinē atque orbitatem ſuam lamentantibus,Nolite,ait timere filioli; in eo enim loco ad quem pergo,vtilior vobis ero.Quid igitur hac ſpe firmius? quid mirabilius?Quàm fœlix illa mors, quæ hoc tantum ſpei ſolatium habebat?Quo nos eius filij tanto ſalutis pignore percepto,his quotidie vocibus datam ab eo fidē poſtulamus?O ſpem miram quam dediſti mortis horate flentibus,&c.

Supereſt virtutum omnium regina, charitas. Quis autem hāc in viro ſanctiſſimo pro meritis non dico amplificare, ſed vel explicate valeat?Eius tamen mirabilem vim declarant ardentiſſima martirij ſitis,continuus prædicationis labor,diſtractio librorum,& rerum omnium quas habebat,vt eſurientibus ſubueniret..Quibus omnibus diuenditis, cum nihil ſupereſſet quod erogare indigentibus poſſet,ſeipſum venalem exhibuit. Cùm enim inops quædam vidua auxilium ab eo peteret,vt captiuum ab hoſtibus filium redimeret, nec pauper Chriſti aurum aut argentum haberet, tanto erga illam charitatis affectu eius viſcera commota ſunt,vt ſe ipſum vēditioni exponere voluerit,quo eius pretio captiuum filium redimeret. Quod & feciſſet,niſi illum Dominus ad maiora ſeruaſſet.Quid igitur hoc charitatis & miſerationis affectu ardentius?Iā verò illa ignominiarum ſitis,vnde niſi ex eodem charitatis fonte prodibat? Cū enim Toloſana vrbe relicta,frequētius atq; libentius apud Carcaſonam agere vellet,cur id faceret rogatus; Quoniam, inquit apud Toloſam magn⁹ mihi honor ab omnib⁹ exhibetur,apud Carcaſonam autē magnis contumeliis & iniuriis afficior.Hic enim affectus non ſolū veræ humilitatis, ſed ardentiſſimæ etiā charitatis erat.quæ vt variorumlaborum auida eſt,ita etiā ignominiarum propter Dei gloriā magno deſiderio flagrat.Conſtat autem perfectam charitatem cum perfecta obedientia cōiunctam eſſe.Idem enim velle,idemqúe nolle,ea demum firma amicitia eſſe dicitur.Hinc Saluator alibi quidem ait,Si quis dili

 git me,ſermonem

*Ioan.*14. git me,ſermonem meum ſeruabit,alibi verò, Qui habet man-
*Ibid.* data mea,& ſeruat ea,ille eſt qui diligit me. Quantum autem vtraq;hæc virtus in beatiſſimo Patre enituerit, inſigni quadam reuelatione Dñs beatiſſimæ Virgini Catharinæ Senenſi (quæ ſub eius ſignis militauit,quæq;ſingulari erga illum deuotione affecta erat)demonſtrare dignatus eſt,quã ſancta Virgo cõfeſſario ſuo fideli narratione declarauit. Aſſerebat igitur ſancta virgo,ſe aliquando imaginaria viſione aſpicere, quemadmodum æternus Pater ex ore ſuo coæternum ſibi vnigenitum filiũ producebat,qui ſeilli in aſſumpta natura tanquam verus homo repræſentabat. Deinde verò videbat beatiſſimum patrem dominicum ſplendidiſſima luce circũfuſum non ex ore,ſed ex patris pectore manantem,ſimulque Patris vocem audiebat,hęc verba dicentem,Ego dilectiſſima filia,quemadmodum vidiſti, duos hos filios protuli,quorum alter natura, alter adoptionis gratia filius meus eſt. Cũque ſancta virgo huius cõparationis ſublimitatẽ miraretur,eiuſdem patris vocem:hanc cõparationẽ explicatem,audiuit his verbis, Quemadmodum dilectiſſimus filius meus in aſſumpta natura ad mortem vſque mihi obtemperauit: ita alter adoptionis filius ab infantia ſua ad extremum vſque vitę diẽ voluntati meæ perfectiſſima obedientia paruit,idemq; eam corporis & animæ puritatem,quã per baptiſmi gratiã percepit,illibata innocentia retinuit& conſeruauit. Et quemadmodum qui mihi natura filius eſt, palam locutus eſt mundo, clariſſimumque veritati teſtimonium perhibuit,quam ego illi prędicandam commiſi;ſic alter adoptionis filius contra catholicæ fidei hoſtes apertiſſima oratione prædicauit. Et quemadmodum prior ille filius diſcipulos ſuos ad prædicationis officiũ miſit;ita poſterior hic fratres ſuos,qui tum cũ ipſo erant,quiq;deinceps ſub eius diſciplina victuri eſſent,ad hoc idẽ munus deſtinauit. Et quemadmodũ naturalis filius meus vitam ſuam,& opera ſua omnia,& quicquid in hoc mũdo ſiue factis expreſſit,ſeu verbis docuit, ad animarum ſalutem inſtituit,ſic alter adoptionis filius omne ſtudium ſuum omnéſque curas & cogitationes ſuas in hoc præcipuè locauit,vt animas à diaboli laqueis ereptas,ſuo reſtitueret creatori. Hic autem ardor,hoc fraternæ ſalutis deſiderium eius mentem impulit; vt nouum ordinem in Eccleſia conderet, ſelectiſque & fructuoſis illum plantis conſereret, quæ fructum ſuum daret in tempore ſuo. Hæc igitur omnia
*Pſalm.*1. ſancta virgo Catharina ad beatiſſimi patris ſui gloriam, & filiorum qui ſub eius diſciplina militant, ſolatium fideliter narrauit.

Ex his

Ex his ergo, quę de beatiſſimi Patris noſtri virtutibus, & prædicationis ſtudio dicta ſunt, apertè liquet, illum verè magnum eſſe in regno cœlorum, vt pote qui ſalutari doctrina Chriſti Eccleſiam illuſtrauit, & ea quæ fideliter docuit, clariſſimis virtutum exemplis confirmauit. Quocirca non dubium, quin ipſius Domino teſtimonii magni, titulum mereatur, dicentis, *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Fuit enim magnus in corporis caſtigatione, magnus in orationis aſſiduitate, magnus in fide, magnus in ſpe, magnus autẽ & verè mirabilis in charitate, atque ideò in cunctis virtutum operibus magnus, quandoquidem omnes ex charitatis radice deriuantur, Apoſtolo teſtante. qui ait, Charitas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non cogitat mala, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati, omnia credit, omnia ſuſtinet, omnia ſperat. Quicunque igitur in charitate magnus eſt, in his quoque virtutibus, quæ ab ea pullulant, magnus ſine dubio eſt. O verè optanda & votis omnibus expetenda magnitudo! ſi enim tanta mortales auiditate in hoc mundo eſſe magni cupiunt (cuius magnitudo vitro fragilior, ventis inſtabilior, ſtipula vilior eſt, quæque exiguo temporis ſpatio definita, in vermes tãdem & puluerem deſinit) quanto ardentioribus votis magnitudo illa expetenda erit, quæ vera, ſolida, ſtabilis, nullis incommodis agitata, nullis caſibus obnoxia, nulloque fine circumſcripta? Quiſquis igitur ad hanc veram & ſolidam magnitudinem aſpirat, habet vtique in beatiſſimo patre noſtro exemplum quod intueri, quodque imitari poſsit. Caſtiget corpus ſuum, & in ſeruitutem ſpiritus redigat, aures diuinas aſſiduis precibus pulſare non ceſſet inconcuſſam retineat fidem, ſalutarique ſpe fultus, in omni calamitate ad opem Domini fidenter confugiat, charitate verò incenſus, omnes homines materno pietatis ſinu complectatur, nemini noceat, nemini detrahat, neminem oderit: nemini malè precetur, omnesque quantũ facultas permiſerit, benignitatis officiis, ſi poterit, ſi nõ poterit, orationis ſaltem & miſerationis affectu proſequatur. His enim virtutum meritis verè magnus erit in regno cælorum, ad quod nos perducere dignetur Chriſtus Dominus, qui cum Patre & Spiritu ſancto regnat in ſecula ſeculorum, Amen. *1. Cor. 13.* *1. Cor. 9.*

## In eodẽ festo beatissimi patris nostri Domini, concio secunda, in qua verba thematis explanantur.

THE. *Sic luceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera vestra bona, &c.* Matth. 5.

*Genes. 30.*

LEGIMVS in libro Geneseos, sanctum Iacob qui Laban soceri sui greges pascebat, hac conuẽtione se ad hoc officium addixisse, vt quęcunque oues varios & maculosos fœtus parerent, in sortem suam celerent; quæ verò vnius essent coloris, siue albi, siue nigri, ad socerum pertinerent. Iacob igitur, vt oues varia & maculosa parerent, subiiciebat in canalibus virgas populeas ex parte decorticatas, vt oues in earum contemplatione cõcipientes, varios quoque fœtus parerẽt. Hæc, & multa his similia, Spiritus sanctus, scripturarum sanctarum auctor, nequaquam sacris litteris mandari voluisset, nisi vel mysterium aliquod insigne, vel salutarem aliquem doctrinam fidelibus profuturum continerent. Hanc igitur historiam ab ouibus ad animas traducentes, inueniemus, gregem hunc esse Ecclesiam oues, fideles, pastorem, prædicatorem Dei: fœtus verò onium, fructum esse bonorum operum. Debet ergo prudens prædicator variorum virgas colorum, hoc est, varias virtutes & exempla Sanctorum ante rationalium ouium conspectum ponere, vt mentis oculis in harum virtutum contemplatione defixis, & earum amore & admiratione perculsis, similia intra se opera concipere, eademque tanquam pietatis & iustitiæ fœtus parere valeant. Hac enim de causa Dominus voluit Sanctorum dies festos in Ecclesia celebrari, & clarissima eorum gesta fidelibus proponi, vt haberent quos intueri, quos suspicere, quorum opera imitari, quorum contemplatione socordiam atque negligentiam suam accusare, & ad eorum imitationem incendi possent. Et quamuis Christus Dominus absolutissimũ virtutum omnium exemplar sit, propter imbecillitatẽ tamẽ nostram voluit nobis humiliora Sanctorum exempla proponi, vt ea, tanquam fragilitati nostræ propiora, minori negotio amplecti & imitari possemus. Cum enim Christus Dominus nõ modo verus homo, sed etiam verus Deus sit, potuisset vtique infirmitas nostra ab eius imitatione retardari & excusatione propriæ fragilitatis obtundere: at in sanctis nihil est quod prætexere merito possit cùm eadem sit vbique natura, eadem, in qua omnes con-

concepti fuimus,culpa,eademque(quæ nulli defutura eſt) diuina gratia. Quare nihil eſt quod nos ab eorum imitatione deterreat,& multa ſunt quæ prouocẽt & alliciãt. Facilè enim homines quæ ſunt ſibi cognata atque vicina, arripere & ad ſe traducere poſſunt. Hinc D. Bernardus in Canticis de ſe ipſo quæritur, quod audiens aliquando præclara Sanctorum geſta atque virtutes, miro modo afficeretur & oblectaretur,& in lacrymas etiam prorumperet: quod illi Saluatoris Domini geſta contemplanti non ſemper accideret. Hac ergo de cauſa, poſt perfectiſſimum illud totius ſanctitatis exemplar,hæc nobis humiliora Sanctorum exempla neceſſaria fuerunt. Et quamuis vnius ſancti viri vita ad imitationem nobis ſufficeret.nihilominus tamen varias eorum virtutes & exempla nobis ob oculos Eccleſia ponit,quoniam licet omnes in omnium virtutum officiis enituerint,ſinguli tamen in quibuſdam alios excelluerunt. Hoc ipſum enim de beatis illis mentibus confitemur, quòd quamuis omnes omnia gratiarum & virtutum dona perceperint,alia tamen aliis largius tributa ſunt. Hinc ſupremi illi & Deo coniunctiſſimi ſpiritus, quos Seraphinos appellamus,cæteros omnes charitate;Cherubini verò ſapientiæ lumine antecellunt, & ſic item alij alios. Ad hunc ergo modum quamuis ſancti viri virtutibus cunctis fuerint ornati,ſinguli tamen in ſingulis virtutibus maximè claruerunt.Sic enim commendamus obedientiam Abrahæ, patientiam Iob,caſtitatem Ioſeph,manſuetudinem Moyſis,deuotionem Dauidis,zelum Eliæ,fidem Patri, charitatem Pauli, virginitatem Ioãnis,paupertatem Franciſci,atque ita de aliis.Hanc igitur virtutum & exemplorum varietatem ſpiritualis Eccleſiæ paſtor ſpirituali ib⁹ quotidie ouib⁹ ante oculos ponere debet,vt ſimiles virtutum formas animo concipientes,ſimiles bonorum operum fetus pariant. Hoc autem magnum illum Antonium monachum feciſſe ſcribit in eius vita Athanaſius,quod videlicet ſingulorum monachorum,ad quos dicendi ſtudio pergebat, virtutes hauriret,cuius continentiam,illius alacritatem ſectabatur,iſtius leuitatem, illius vigilias,alterius legendi emulabatur induſtriam. iſtum ieiunantem,illum humi quieſcentem mirabatur. Quibus exemplis animatus,& ad ſedem ſuam reuerſus,omnia ibi ſecum animo voluens,omnium in ſe bona nitebatur exprimere. At ſi in qua potiſſimum virtute beatus pater noſter Dominicus excelluerit,à me requiratis,audebo planè dicere, non in vna aliqua virtute,ſed in omnibus ita excelluiſſe,vt diſcernere nequeas,quę cui anteferenda ſit, adeo in illo ſumma reperiuntur omnia. Quam rẽ facilè animaduerteret,quiſquis ſingulas eius virtutes

*Bernard. in Cant.*

*Athanaſ.*

fuerit contemplatus; nempe charitatem, humilitatē, voluntariam paupertatem, fidei ardorem, laborū tolerantiam, abstinentiam, sacras vigilias, eelemosynas, orandi & prędicandi studium, carnis macerationem, fraternitatis amorem, martyrij sitim, cæteraſque virtutes, quæ omnes in illo summæ fuerunt. Sed vt insignius aliquid ex tot virtutis floribus delibemus charitatis ardor, & ex ea profluēs animarum zelus, hoc est, fraternæ salutis vehementissimus ardor in eo potissimum eluxit. Ideoque non immeritò hodierna sancti Euangelij lectio in eius festo legitur; quæ tota de virtutis huius officiis & muneribus disserit. Esse enim sal terræ, lucem mundi, lucernam super candelabrum, & ciuitatem supra montem positam, ac demum facere & docere, eorum sanè est, qui zelo & ardore flagrant salutis animarum. Hæc igitur omnia præsens sancti Euangelij lectio continet. Sed quia singula hæc vnica concione persequi nimis operosum esset: ideò quemadmodūm in superiore concione de sale, ita in præsenti de luminis natura & officio disseremus: de quo in propositis verbis thematis mentio fit, cum dicitur. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona,*

*Diuisio.* *&c.* Sicut enim sal, ita lucis officium perfectissimè huic beatissimo Patri conuenit. Primùm igitur, quàm multiplex hoc lumen sit indicabimus; deinde, qua ratione hoc lumē potissimum eluceat, aperiemus; ac postremò, quomodo beatus Pater noster verum Ecclesiæ lumen fuerit explicabimus.

I.

Principio igitur sciendum est, Christum Dominum, quē Ioannes lucem veram esse ait; quæ illuminat omnem hominem venientem in hūc mundum; triplici potissimum ratione homines ad

*Ioan. 1.* salutem animæ consequendam illuminasse. Primum enim mirabili huius mundi fabrica, & rerum ordine; pulchritudine, varietate, vtilitate ad conditoris omnipotentiam, sapientiam & prouidentiam cognoscendam mortalium mentes mirabiliter illuminauit, dum omnia in numero pondere & mensura, hoc est, exactissimè & perfectissimè fabricatus est. Hinc Salomon breuissimè paucis quidem, sed grauissimis verbis hoc ipsum docet, cùm ait; Non est addere vel minuere quicquam operibus quæ fecit Deus vt timeatur. Est hæc res profectò admiratione dignissima, quod

*Eccles. 8.* in tam multiplici rerum omnium varietate, quæ in terra marique visuntur siue in stirpibus, siue in animantibus, siue in reptilibus, siue in piscibus, siue in auibus nihil prorsus deprehendi possit, quod ad vitam conseruandam vel desit, vel redunder. Quæ res immensam diuinę mentis solertiam, potentiam

atque

atque prouidentiam apertissimè declarat, humanásque mentes sic ad diuini numinis cultum & venerationem excitat, vt Apo- *Rom.1.*
stolus inexcusabiles gentium nationes dicat, quæ cùm hac tam aperta creaturarum voce summum illum rerum omnium conditorem ignorare non potuerint, non tamen illum vt Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed diuinitatis gloriam ad lapides & ligna trãstulerunt. Atque hac de causa Theologi asse- *3. Sente.*
runt, in lege quoque naturæ implicitam de Christo fidem ad salutem fuisse necessariam, quoniam cùm rerum conditarum cõspectu facilè homines Dei prouidentiam, qua singulis quibusque rebus, quæ ad vitam & incolumitatem spectant, plenissimè prouidet, agnoscerent, non difficile ad intelligendum erat, non defuturum hominibus ad salutem, qui cæteris rebus omnibus non defuisset, quæ propter, vnius hominis obsequium conditæ essent. In qua quidem cognitione (infusa tamen fides implicita de mediatore & seruatore nostro claudebatur, qui salutis humanæ parens & vindex est.

Sed maius tamen certiusque humanæ salutis lumen, diuinæ legis puritas, sanctitas & maiestas est, de qua idem Propheta, exposita in eodem Psalmo prioris luminis ratione, quæ ex creaturarum contemplatione proficiscitur, protinus subdit? Lex Do- *Psal.18.*
mini immaculata conuertens animas &c. Quæ enim orationis vis mirabilem diuinæ legis dignitatem, æquitatem & elegantiam poterit explicare? Quàm videlicet magnificè ea de diuina maiestate sentiat? quàm sanctis legibus hominũ vitã informet? quàm magna præmia virtuti proponat, quàm horrendis suppliciis homines à sceleribus deterreat? quanta æquitate, ea quæ variis personarũ conditionibus debentur? persoluere iubeat? quãto opere cum rationis lumine à Deo mentibus nostris impresso cõsentiat? quàm spiritualibus rebus amica? quàm carni carnisque cupiditatibus aduersa? cum qua continenter irreconciliabile bellum gerit, dum pro spirituali vita tuenda, omnes carnis delicias respuat, eamque vigiliis, ieiuniis, piisque laboribus spiritui non imperare vt dominã, sed seruire vt ancillã cogat? Hoc autẽ quid aliud est, quàm hominem exuta humanitatis corruptione, in Deum quodammodo transire? Quis autem nõ videat hanc tantam diuinæ legis puritatem & sanctitatem, non ab hominibus impuris, sed à solo puritatis auctore manasse?

Est tamen adhuc tertium longè clarius, pulchrius & iucundius veritatis diuinæ lumen, nempe eadem ipsa lex, non tabulis incisa, sed mentibus insculpta, purissimisque atque candidissimis moribus expressa. Quemadmodum enim pretiosæ vestes *Simile.*

venuſtatem & elegantiam ſuam,dum in artificis domo viſuntur,oſtendunt,elegantiores tamen apparent,cum decentiſſimo corpori applicantur(tunc enim finẽ ſuum quodammodo consequuntur) ideóque duplici nomine delectant , ſuo videlicet, corporiſque decore,quorum alterum altero augetur , ita planè lex diuina pulchra quidẽ apparet in libris cũ legitur,pulchrior tamen in hominibus pijs,hoc eſt,pulchra quidẽ cum legitur, pulchrior autem cum opere exercetur. Cuius pulchritudinis vis tanta fuit,vt initio naſcentis Eccleſiæ,cum religio & innocentiæ puritas in Chriſtianis maximè vigeret, multiue Gentiliũ ſacrilegio furore perciti,omni ſupplicíorum genere fideles perſequerentur,tamẽ lucis huius ſplẽdore illuſtrati,nõ poterãt hanc tantam vitæ puritatem & candorem non vehementer admirari,ac penè fateri,eam religionẽm eſſe diuinam,in qua homines diuinam quodammodo vitam ducerent.Hoc autem Apoſtolus Petrus inſinuauit,cum de infidelibus loquens ait, In quo admirantur,non concurrentibus vobis in eãdem luxuriæ confuſionem. Diuus verò Atanaſius eoſdem ipſos idolorum cultores,& nominis Chriſtiani hoſtes puritatẽ virginum Deo dicatarum ita demiratos fuiſſe ait,vt vel inuiti fateri cogerẽtur eas viuum Dei templum eſſe , ſolumque apud noſtros verum Dei cultum ac religionem inueniri. Quo factum eſt,vt multi hoc diuino ſplendore illuminati,relicta idolorum ſacrilega ſuperſtitione ſe noſtræ religioni adiũxerint His enim clariſſimis virtutum exemplis Eccleſia creuit & granum illud ſinapis , inter olera omnia minimum,in ingentem arborem euaſit. Certè Iuſtinus,inclytus Chriſti martir , & philoſophus inſignis ( vt ipſe in Apologia ad Imperatorem Adrianum ſcribit:hoc argumento conuictus religionem noſtram & probauit , & coluit. Cùm enim,vt ipſe ait,probatiſſimorum Chriſtianorum vitam ac præcipuè martyrum conſtantiam miraretur,qui alacri,&inuicto animo pro tuenda fide omnia tormentorum genera ſubibãt,intellexit vir ſapientiſſimus conſtantiam illam & alacritatem non ab hominis natura,quæ vt deliciarum & voluptatum auida,ita mortis & cruciatus inimica eſt, ſed aliundè,hoc eſt,à Deo,totius virtutis & conſtantiæ auctore,prodire,quare hanc vnam eſſe veram religionem credidit:& ita credidit,vt glorioſiſſimam pro ea mortẽ oppetierit. Aliud quoque huius rei memorabile exẽplum Rufinus ac Theodoretus referunt,nempè apud Iberos:qui magno ſtudio idolorum ſuperſtitioni ſeruiebant,fuiſſe captiuam quandã fœminam in paruo tuguriolo habitantem,quæ tamen innocentiſſimam & ſanctiſſimam vitam duceret.

*1.Pet.4.*

*Athanaſ.*

*Matth.13*

*Iuſtinus martyr.*

*Rufinus. Theod.*

duceret.Hoc autem in cauſa fuit,vt qui eius vitam propiùs con templabantur,vehemẽter hanc tantam puritatem admirati, inquirere cœperint,quam hæc mulier religionem profiteretur,aut quem Deum coleret,qui tales faceret cultores ſuos.Atque hæc res primum in ea regione abolendæ impiæ ſuperſtitionis,& veræ religionis colendæ initium fuit. Iam verò conſtat,D.Auguſtinum,audita beati Antonij vita, vitam ſuam commutaſſe, & exclamando verba illa protuliſſe, Surgunt indocti, & rapiunt nobis paradiſum,&c. Videtis ergo,fratres,meritò quidem Dominum pios homines lucem mundi appellaſſe:vtpote quorum pietas & innocentia homines ad Dei patris gloriam prædicandam excitarent:Videtis,quanto ſit ſplendidius atque potentius innocentis vitæ, quàm ſplendidæ doctrinæ lumen: Doctrina quidem velut lex mortua, vita verò inculpata ceu lex viua eſt, quæ ſine verborum ſtrepitu mentes hominum potenter excitat atque afficit. *Auguſt.*

Hoc eſt autemquod Apoſtolus ad Corinth.ait:Epiſtola noſtra vos eſtis,quæ ſcitur & legitur ab omnibus, manifeſtati ꝙ epiſtola eſtis Chriſti miniſtrata à nobis & ſcripta non atramento,ſed ſpiritu Dei viui,non in tabulis lapideis,ſed in tabulis cordis. Videtis hic duplicem legem Chriſti,alteram atramento in codicibus ſcriptam, alteram ſpiritu Dei viui in tabulis cordis exaratam:quarum diſparitas facilè ex ipſa collatione perſpicitur.Hanc verò epiſtolam ait eſſe inculpatam fidelium vitam quæ ſplendore & pulchritudine ſua oculos in ſe omnium conuertit & trahit:hoc eſt enim quod ait, Quæ ſcitur & legitur ab omnibus.Scripta quippe lex in arca latet,poſſeſſori ſuo nota:at vitæ ſplendor,omnibus conſpicuus, omnium perſtringit oculos.Hoc ipſum etiam Apoſtolus ſub alia ſimilitudine inſinuauit,cùm dixit, Chriſti bonus odor ſumus Deo,aliis quidem odor vitæ in vitam,aliis odor mortis in mortem. Quo boni odoris verbo Chriſtianæ vitæ ſuauitatem, lenitatem, & morum venuſtatem omnibus gratam &iucundam deſignauit,quæ ſuauiſſimi odoris ſui fragrãtia humana ad ſe corda allicit,atque ita illis vitæ cauſa exiſtit. Idem autem abſque vllis verborum inuolucris ad Timotheum diſcipulũ ſcribit his verbis:Exemplum eſto fidelium in verbo,in conuerſatione,in charitate,in fide, in caſtitate.Titum quoq; ſimili modo hortatur,vt ſe ipſum exemplum præbeat bonorum operum, vt is, inquit, qui ex aduerſo eſt,vereatur,nihil habens malum dicere de nobis.Hoc igitur vbique captat Paulus,vt fideles omnes, ac potiſſimùm Eccleſiæ miniſtri,magis exemplo vitæ quàm miniſterio doctrinæ, fidei *2.Cor.5.* *2.Cor.2.* *1.Tim.4.* *Tit.2.*

veritatem aſtruant. Quod Pauli conſilium quia fideles eo tempore ſecuti ſunt, Chriſtiana religio maxima cepit incrementa; modo autem cum in diuerſum commutata res ſit, & Eccleſię miniſtri magis ſplendore doctrinæ quã probitate vitæ hoc negotium vrgeant, adeò nihil partis adiecimus, vt etiã quæ parta ſunt, ſeruare non potuerimus, cùm noſtro infeliciſſimo ſeculo tam magna orthodoxę fidei ruina facta ſit. Cæteri verò fideles ita viuunt, vt non modo bonorum operum exẽplo Dei gloriã non illuſtrent, ſed eius etiam nomen per eos blaſphemetur in gentibus. Quid verò cogitari indignius poteſt, quàm vt qui tãquam ſidera in firmamento poſita, & lumen mundi aliis præ lucere deberemus, in carbones redacti, tenebras magis mortalium oculis offundamus. Notiſſimo autem exemplo, quod dixi, confirmabo. In indigenas Indiæ, qui in hoc Nouo orbe noſtra ferè ętate inuẽti ſunt, ita à militibus ſæuitum eſt, tantaq; in eos crudelitate bacchatum, vt illis (ſupra quàm credi poteſt) Chriſtianum nomen propter hanc facinorum atrocitatem inuiſum ſit. Vnde cum ad eos Euangelij prædicandi gratia monachi veniunt, ne ipſi ob Chriſtianum nomẽ eos exhorreant & fugiant, admonet eos familiaris quidã amicus, illos nõ eſſe Chriſtianos; ſed Patres, qui ad eos fouendos, & infide in ſtituendos veniant. Quare quid cogitari luctuoſius, aut indignius poteſt? Sicut igitur ſanctus Patriarcha Iacob grauiter querebatur, quòd filij, crudelitate ſua, inuiſum ſe Chananæis reddidiſſent, ita modo Chriſtus Dominus queri meritò poterit, quòd noſtra immanitate ac feritate odibilem eum omnibus fecerimus. Síccine igitur gloriam Seruatoris noſtri illuſtramus? ſic eius doctrinam bonis moribus exornamus? ſic hoc eius mandatum implemus?

*Genes. 34*

*Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in celis eſt.*

II.

Sed hac tamen iuſtiſſima querela prætermiſſa, ſecundo loco quęrendum eſt, qua ratione lumẽ hoc, de quo nobis eſt ſermi hominibus potiſſimùm eluceat. Hoc appoſitiſſimè adumbrat i Iuſtris illa victoria qua Gedeonis exercitus caſtra Medianitarũ fugauit. Fractis enim lagenis incluſum intra eas lumen effulſit; quo territi hoſtes, præcipites ſe in fugam dederunt. Sic igitur dum Sancti viri corpora ſua variis propter Chriſtum cruciatibus & laboribus obtulerunt, fidei & virtutis eorũ ita lumen effulſit, vt mũdus, qui immanis antea Chriſti hoſtis erat, depoſita hoſtili inimicitia, eius ſe iugo ſubdiderit.

*Iudi. 7.*

Quòd ſi hac præcipuè ratione, cùm corpus atteritur, virtutis ſplendor elucet; quantum in Eccleſia beatus pater Dominicus

effulsit,qui tam multis modis sacri corporis sui lagenã attriuit? Quis enim ei⁹ labores,quis ieiunia,quis vigilias,quis orationũ instantiam,quis lacrymarum flumina,quis tot hæreticorũ persecutiones& insidias,quis eorundẽ probra & cõtumelias verbis consequi possit? Quis non miretur virum innocentissimum, (qui cũ beato Iob dicere poterat,Nec reprehẽdit me cor meum in omni vita mea,quia nulli⁹ sibi lethalis criminis cõscius erat) ter singulis noctibus catena quadam ferrea innocentissimũ,nihilque cõmeritum corpus adeò acriter verberare,vt riui sanguinis ad terram vsque defluerunt? Quid itinera nudis pedibus cõfecta memorem? qui tamen dum oppida ingrederetur,calceos induebat,vt facilè appareat,illum non quidẽ apparere,sed esse sanctum voluisse? Quid lectum eius, quid parcissimũ somnum referam,qui in orationibus pernoctans,vbi repugnantem somnus imminens oppressisset,fatigatũ corpus sæpissimè super humum vel nudam tabulam reclinabat? Itineris verò labore confectus,& ægrotare incipiens ea ægritudine qua diem clausit extremum,nullis precibus adduci potuit,vt vel carnibus vesceretur,vel ea nocte matutinis laudibus deesset, tanta erat eius in virtutis studio, & corporis castigatione constantia. *Iob.27.*

Si quis autẽ quærat,cur hic sanctissimus Pater,atque omnes item Sancti adeò acres in corporum suorum castigatione fuerint,ad hoc respondemus flagrãtissimam in Deum charitatem huius tantæ seueritatis causam extitisse. Hæ namque tres virtutes,amor Dei,peccati odium,& carnis maceratio; pari prope mensura se inuicem consequuntur. Ex Dei quippe amore exitiale aduersus peccatum odium nascitur. Quia verò caro nostra originis peccato infecta, omnium ferè peccatorum ministra atque seminarium est,ideò qui tanto contra peccatum odio inflammantur,pari propè odio carnem suam,quo peccatum,prosequuntur. Sicut igitur ex amore Dei,peccati odiũ, ita ex eodẽ fonte maceratio carnis oritur. Tunc ergo pius homo maximè Deum diligere comprobatur,cùm dilectissimam sibi atque germanam carnem proterit atque cõculcat, & hostili quodã odio insectatur. Summum enim amoris argumentum est, quas res charissimas habemus,propter maiorem in Deum charitatem contemnere,& pro nihilo ducere. Quod fecit omnium credentium pater Abraham,quando propter imperium Domini,dilectissimum filiũ manibus suis immolare paratus fuit. Cùm ergo sua cuiq; caro dilectissima sit,quisquis eam propter Dei gloriã. mactat,is vtiq; velut suum Isaac in sacrificiũ Domino immolat. *Genes.22.*

Est & alia macerationis huius causa maximè notãda,quæ ab eodem

eodem charitatis fonte dimanat. Cùm enim varij in charitatis virtute gradus & merita sint, summus ille putatur, qui acerbissimos propter Dei gloriam dolores libenter sustinet: quem gradum in sanctis Martyribus cernere licet. Quisquis igitur magno erga Deum amore flagrat: si illi subeundi martyrij facultas

*Bernard.* desit, ad hoc spirituale martyrij genus cõuertatur, quo desiderij sui sitim expleat. Est enim hoc martyrij genus (vt D. Bernar. ait) passionis quidem acerbitate leuius, sed temporis diurnitate grauius. Hac ergo de causa beatissimus Pater noster, qui ardentissimo martyrij desiderio flagrabat, quique aliquando barbam crescere sinebat vt ad terras infidelium pergens sitim hãc sanguine suo expleret, hac occasione sublata, ad hoc se carnis suæ spiritale martyrum conuertit, quam incredibili austeritate attriuit, spirituiq; seruire coëgit. Quæ res in eo quidem mirabilior quàm in sanctis illis Anachoritis extitit, quòd illi quidem in solitudine vni Deo vacabant, hic autem in media hominum turba constitutus, prædicationis & exhortationis officio sine intermissione incumbebat, multaque itinera nudis pedibus conficiebat, cuius rei gratia corpori suo parcere, atque illud paulò indulgentius fouere potuisset. Quem tamen naturalem affectum ingenti erga Deum charitatis feruore superauit.

Quid nos ad hæc dicemus, fratres, quorum omne ferè studiũ in oblectatione atque indulgentia carnis nostræ positum est? In hoc semper incumbimus, in hoc opes omnes exhaurimus, & ad hoc, quas non habemus, ardenter exquirimus, vt habeamus quo carnem diuite mensa, molli lecto, & splendida veste ornare atq; fouere possimus Nec nos illud mouet, quòd cùm hoc facimus, hostem nostrum aduersum nos crudeliter armamus. Nec peccatorum nostrorum debita nos terrent, quæ quoniam carnis instigatione patrata sunt, eiusdem carnis maceratione expianda erant. Si enim beatissimus pater Dominicus, qui nullius sibi lethalis criminis conscius erat, tam multis modis innocentissimam carnem suam macerabat, quomodo nos, qui peccauimus super numerum arenæ maris, non modo nullam ei molestiam inferimus, sed omni studio eam oblectare atque recreare contendimus. Quòd si nos sanctorum exempla minus mouent, moueat saltem miserandum illud diuitis epulonis exemplum: qui quoniam deliciis corporis tota vita seruiebat, aquæ guttã inter tormentorum suorum incendia constitutus petiit, nec impetrauit. Sic enim eam petenti sanctus Patriarcha respondit, Filj, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Quis igitur hoc

tanto

tanto fulmine non terreatur ? Sed nos miseri sic viuimus, vt hęc Euangelij fulmina, fabulas esse credamus. Erit tamen cum periculo suo improbi discant, verissimum esse quod a cælesti magistro in sacra huius diei lectione dicitur, *Amen dico vobis, donec præseat cœlum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Qua oratione non inanes fabulas, sed certissima Dei oracula, ipsaque veritate veriora diuina eloquia esse pronunciauit, quæ & præstabunt quod promittunt, & quod minantur implebunt.

Sed vt ad institutum redeamus: Cum beatissimus Pater noster adeo fortiter corporis sui lagenam contriuerit, quo splendore vitæ mundum illuminasse credendus est! Nouerat enim vir sanctus humanas mentes non tam verborum pondere, quàm splendore vitæ commoueri. Hinc de eo legimus, quòd cum celebris disputatio cum hæreticis constituta esset, ad quam Episcopus loci cum multa pompa esset iturus, humilis Christi præco Dominicus Episcopo dixit: Non sic, mi Domine pater, non sic aduersus filios superbię est progrediendum, sed humilitatis, patientię religionis, aliarumque virtutum exemplis reuincendi sunt hostes veritati, non fastu elationis, & ostentatione glorię secularis. Armemur ergo deuotis pręcibus, & humilitatis insignia præ nobis ferentes, detractis calceis cõtra illos procedamus. Assensit Episcopus consilio pietatis, & omnes à se calceos amouerunt. Cumque de itinere essent incerti obuium quendam hęreticum habuerũt, quem catholicum putabãt. Is promisit quidem se illos recta perductum ad locum destinatum, sed perfidus in siluam quandam eos abduxit, vbi inter vepres & spinas pedes eorum sauciabantur, & tibiæ sanguine conspergebantur. Tum verò beatus Dominicus cum omni patientia id ferens, & in iucundas Dei laudes erumpens, ad collaudandum Deum, & comiter ferendas molestias, illos omnes adhortabatur, ita dicens: Confidite in Domino, chariſſimi, quia de cœlo manet nos triũphus & victoria, iam enim peccata nostra sanguine expiantur. Cernens autem veterator ille miram illorum & iucundam patientiam, optimis beati viri sermonibus compunctus, errorem suum professus, hæresim abiurauit.

Addam hic aliud, quod sancti viri in animarum salute procuranda singularem prudentiam declarat. Didicerat enim ab Apostolo, modis omnibus irreprehẽsibilem esse debere, qui aliorum vitia reprehendere, & vitam instituere debet. Quod consilium idem Apostolus, qui Timotheum instruxerat, adeò castè integreque seruauit, vt de se ad Corinthios scriberet: Et ego, fratres,

in ti-

in timore & tremore multo fui apud vos, videlicet (quemadmodum Theophylactus interpretatur) solicitus ne vllum Christi Euangelio offendiculum pręberem. Hoc igitur exemplo sanctissimus Pater ne vel minima labecula officij sui dignitatem aspergeret, cùm fatigatus de via, & siti cõfectus veniret, si fontem in itinere deprehendisset, sitim prius quàm ad mensam accumberet, in fonte sedebat, ne plus solito bibẽs, hãc adeò paruam offensionis materiam fratribus pręberet. Quis igitur sanctissimam illam animam non amplecti & exosculari cupiat, quæ tanta cura ac prudentia studebat, ne vel hac tantilla re eorũ oculos offenderet, quibus se in patrem & virtutis exemplum propositum esse sciebat? Quanta quęso cura maiora caueret, qui tanto studio etiam minora curabat?

Nec hoc tamen officio contentus, altera manu tubam tenẽs, clarissima prędicationis suę voce castra Madianitarum, hoc est, hęreticorum, cęterorumque diaboli satellitum conciliabula deiecit, & Christianum populum, sub diaboli tyrannide seruientem, ab impietatis iugo liberauit. Nec sola vocis suæ tuba contentus, socios quoque secum asciuit, qui simili studio & ardore tubis Euangelicis personantes, Dei nomen & gloriam lõgè latęque diffunderent. Quod vt non solùm ętate sua, sed perpetuò in Ecclesia fieret, nouum Prędicatorum ordinem, nusquam antea inst tutum, creari ardentissimis precibus ac desideriis & à Christo Domino, & ab eius in terris Vicario impetrauit Itaque desiderium animæ eius tribuit ei, qui & ipsum contulit desiderium; ordóque nouus Apostolica auctoritate fundatus est. In quo impletum videre licet in seruo, quod longè antè de vnigena Dei filio prænunciatum fuerat; Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedẽt de ore tuo, & de ore seminis tui amodò & vsque in sempiternum. Qui quidem spiritus vsque adeò huic ordini coniunctus est, vt non ad filios modò, sed ad filias quoque peruaserit Vna certè Catharina Senensis ita sanctissimi huius Patris spiritum hausit, vt (quod ex Ecclesiasticis historiis constat) nulla sanctarum fœminarum adeò se totam fraternæ salutis studio, quemadmodum illa, addixerit. Non enim verbis & epistolis modò, sed libris etiam ad posteritatis memoriam editis, ac diuina, non humana doctrina refertis, hunc mentis suæ ardorem testata est.

*Psal.20.*

*Isa.59.*

Quin etiam apostoli Pauli (cuius illa eximio amore flagrabat) charitatem & exemplum imitata, ardentissimis à Domino precibus postulauit, vt ipsa quoque fieret anathema pro fratribus, & gehennæ suppliciis torqueretur, vt ipsi ab illis immunes

*Rom.9.*

conser-

conſeruarentur. Quis igitur hunc virginis animum non miretur? quis ardentiſſimam charitatis huius flammam non obſtupeſcat? quis nõ vel hoc vno argumento ſalutis ſuæ negotium negotiorum omnium ſummum eſſe nom videat? quod hodie (prô humanarum mentium ſtupor!) in poſtremis habetur. Quis hic lethargiam & phreneſim mundi non agnoſcat, quandoquidem ibi mundus otiatur & ridet, vbi qui diuino ſenſu præditi ſunt, propter eius morbum accerbiſſimo luctu conficiuntur? Ab hoc igitur peſtifero ſomno, fratres, excitemur, & Sanctorum charitas, ſalutem noſtram ardentiſſimè ſitientium, mortemque noſtram acerbiſſimè lugentium, euigilare nos faciat, vt curam noſtri gerentes, & malè actæ vitæ crimina deflentes, ad æternæ fœlicitatis gaudia per luctum & lacrymas peruenire mereamur, præſtante Domino Ieſu Chriſto, cui eſt honor & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

## In eodem feſto beatiſsimi Dominici patris noſtri concio tertia, in qua, poſt Euangelicæ lectionis explanationẽ, de eximia charitate, qua tum hic beatiſsimus Pater, tum cæteri quoque ſanctiſsimi & Apoſtolici viri flagrauerunt, agitur.

THE. *Vos eſtis ſal terræ.* Matth. 5.

HOdie, fratres chariſſimi, beatiſſimi Patris noſtri feſtum diem celebramus, cui nos hoc ipſum debemus, quòd eius filij ſumus (eius videlicet lacte nutriti, & inſtitutis educati) vos verò, quòd noſtro miniſterio ad ſalutem veſtram perpetuò vtimini. Vtrique igitur debitores ſumus, vtrique hodie pari deuotione ac pietate feſtum eius diem celebrare debemus. Cæterùm cũ hodie de virtutibus & laudibus ſanctiſſimi huius Patris dicendum ſit (neque vnus ſermo innumeris eius virtutibus prædicandis ſufficiat) ſolam eius charitatem, quæ virtutum regina eſt, & flagrãtiſſimum fraternæ ſalutis deſiderium, quod in eo potiſſimùm emicuit, explicare conſtitui. Vt autem hoc ad Dei noſtri gloriam, & veſtram ſalutem pro dignitate tractare poſſimus, cœleſtẽ opẽ, ſacratiſſimę Virginis interuẽtu, ſuppliciter imploremus.

AVE MARIA.

*Vos eſtis ſal terræ.* Paulò antè verba hæc Dominus totius Euangelicæ vitæ ſummam breuiter complexus fuerat, in qua paupertatem,

tatem,luctum, persecutiones, opprobria & maledicta propter iustitiam commendauerat. Sed quoniam vehementer mundus ab huiusmodi doctrina abhorrere videbatur, declarat protinus qui & quales esse deberēt,qui hæc dura Euāgelicę philosophię dogmata hominibus persuaderent,dicens;*Vos estis sal terræ.* Apostolis enim loquebatur,quos sal terræ futuros esse dicebat. Est autem, vt scitis, salis proprium, primùm quidem cibos cōdire; deinde etiam carnes à putredine & corruptione seruare. Hoc autem sale maximè homines indigebant qui carnis nomine in litteris sanctis passim appellantur. Vnde est illud; Recordatus est,quia caro sunt,spiritus vadens.& non rediens. Caro autem ne corrumpatur,salis condimento eget. Quid igitur? an non habet caro hæc spiritum & rationalem animam,à qua vitam trahit? Habet planè,sed ipsa tamen rationalis anima,carni coniuncta,in ipsius quodammodo carnis naturam degenerauit. Sicut enim si pretiosum vinum aceto misceatur,in acetum vertitur,& suauissimum etiam vnguentum, si supra cœnum effundatur, eius quoque tetrum odorem refert:ita rationalis anima carni immersa atque cōiuncta,sic in eius naturam transit,vt (nisi hoc sale condiatur) nihil aliud sapere, nihil cogitare,nihil cupere aut agitare nisi quæ carnis sunt, tanquam ipsius effrenatæ carnis mancipium, sciat. Ad huius igitur carnis condimentum hic à Domino sal in Ecclesia positus est. Quisquis autem salis huius efficaciam nosse cupit,mundi faciē sibi ante huius Apostolici salis remedium contempletur. Et ne diu multumque in hoc laboret,caput primū Epistolæ ad Romanos perlegat,vbi hanc tetram & funestam mundi faciem suis (vt ita dicam) coloribus depingit Apostolus,ea ibi horrenda Gentilium vitia recensens,quæ piæ aures vel audire nefas esse putent. In hoc autē malorum barathrum præcipitari eos necesse fuit, qui Dei gloriam ad ligna,& lapides,& serpentes,variaque reptilia transtulerunt. D. quoque Hieronymus illa Esaiæ verba explanans; Et pueris alienis adhæserūt,quoque nefanda Iudæorum scelera Propheta à Gentilibus mutuata commemorat,sic ait,In tantum autem Græci & Romani hoc quondam vitio laborauerunt, vt & clarissimi Philosophorū Græciæ haberent publicè concubinos: & Adrianus, philosophiæ artibus eruditus,Antinoum consecrarit in Deum,templumque ei,ac victimas,& sacerdotes instituerit,& ex eo Ægypti ciuitas ac religio nomen acceperit. Inter scorta quoque in fornicibus spectaculorum pueri steterunt publicæ libidini expositi,donec sub Constantino Imperatore,Christi Euangelio coruscante,& infidelitas vniuersarum gentium

*Psal.77.*

*Simile.*

*Rom.1.*

*Hieron. Isaiæ.2.*

gentium,& turpitudo deleta est.Hactenus ille. Quoque magis miremini,addam aliquid horribilius. In vetustis historiis legimus, apud Gallos, ante salis huius remedium,hunc execrandum morem fuisse,vt masculi ( perinde atque fœminæ solent) publicè in matrimonium ducerentur,& eorum nuptiæ celebrarentur.Ex hoc autem cætera hominum vitia diuinare facile erit.Qualis ergo erat mundi facies,quæ tam tetris atque horrendis vitiorum maculis deformata erat? At vbi Euangelico sale condiri cœpit orbis terræ,& Dei agnitio Apostolorum prædicatione inuecta est,ex brutis, & tanquam ratione carentibus animantibus,non homines,sed Angeli euasere.Neque enim solum ea carnis vitia quæ naturæ limites transgrediuntur, abominari cœperunt,sed coniugij vsum,qui naturę legibus,vt res honesta conceditur, multa hominum millia virorum ac fœminarum contemnebant,propterea quòd fruendæ cælesti philosophiæ impedimento esse videbatur.Deserta quoque loca, & solitudines quæ vix feris erant peruiæ,hominibus repletæ fuerunt, qui ob hoc à cæterorum hominum cœtu disiungebantur,vt Euangelicis institutis commodius vacarent,&consuetudinem cum cœlo tantùm haberent.In omnibus item,quamuis barbaris regionibus,vbicumque Euangelica lux proferebatur, continuò crudelitas omnis atque efferi mores,& vitia quibus vsque ad ea tempora fuerant assueti,reiiciebantur.Qui iniuria alios afficere antea consueuerant,ipsi postea iniuriam inferentibus minimè succensebant.Qui aliena rapere consueuerant, sua libenter largiebantur; neque solùm malum pro malo non reddebant, sed pro maleficio beneficium rependebant.Hæc igitur omnia salis huius,hoc est,Euangelicæ doctrinæ virtute facta constat.

Quæ cum ita sint,inquisitione dignissimũ est,qui fieri possit vt cum nos quoque vos quotidie hoc eodẽ sale condiamus,hoc est,cum eandem Euangelicam doctrinam(quæ semper integra & illibata seculis omnibus conseruata est)prædicemus,vix quicquam horum efficiamus.Vnde tanta in hominibus morum corruptio cum tantùm super eos salis quotidie effundatur? Si quis enim per totum Ecclesiæ corpus, pérque omnes personarum ordines oculos circumducat,inueniet planè apud multos verũ esse quod Propheta dicit: Omnes declinauerunt,simul inutiles facti sunt. Vnde ergo tanto sale fuso,tanta viræ corruptio?Nolo,fratres,adeò grauis exactor esse,vt huius tanti mali in solos vos causam coniiciam,sed inter vos tamen atque nos,hoc est, huius officij ministros partiri culpam volo. *Psal.11.*

Nos igitur primum in causa sumus,qui nõ præstamus factis

quod verbis aſtruimus,qui non rectè factis, quæ dicimus,con-
*Lactan.* firmamus. Homines námque(vt Lactantius ait) malunt exempla quàm verba,quia loqui facile,præſtare difficile. Vnde Dominus in præſenti lectione magnos in regno cœlorum futuros ait,qui & fecerint,& docuerint.Quorum cùm ſit vtrumque neceſſarium,pius tamen rectè facta quàm dicta mouent, quæ & verecundè facienda docent,& poſſibilia eſſe quæ prçcipiuntur, oſtendunt,& ad imitandum ſtimulos atque animum addunt. Nos igitur hac ratione in cauſa ſumus, cur hoc ſal Euangelicum fruſtra ſæpè ſpargatur.

Vos quoque fratres,non minus forſitan quàm nos huius tãti mali cauſa eſtis,qui nulla ferè animi præparatione,nullo deuotionis affectu,nullo proficiendi ſtudio,ſed languida mente;s ſolaque audiendi conſuetudine ducti,ad concione;s audiendac onfluitis,quo factum eſt,vt hac diuturna audiendi conſuetu dinecallos auribus ita obduxeritis,vt diuinorum verborumvim
2. *Tim.* 4. & acrimoniam minimè ſentiatis.Tales autem Apoſtolus,quaſi iam deſperatos,ac penè conclamatos, deplorat quos cauteriatã conſcientiam habere ait, quo verbo obduratos in probium a-
*Simile.* nimos deſignauit. Quemadmodum enim ea pars corporis cui cauterium impreſſum fuit, ſentiendi vim amiſit: ita qui cauteriatam conſcientiam habent,eò perducti ſunt,vt omnem penè ſpiritualem ſenſum amiſerint:quibus illud Salomonis conue-
*Prou.* 18. nit;Peccator,cum venerit in profundum malorum,contemnit. Quocirca nihil mirum,ſi tales verbi Dei ſale minimè condian tur,quando etiam nec diuinis plagis quotidianiſq; cladibus cor ripiuntur.Ne verò me,dum hæc dico,ſomnia conſectari exiſtimetis, rationem aſſignabo,qua ſummum hoc vitæ noſtræ periculum euidenter oſtendam. Conſtat Iſraeliticum populum ab Ægypto egreſſum,& per deſerta vagantem, duriſſimæ ceruicis fuiſſe,quod non ſemel Moyſes in Deuteronomio ſignificauit,vt poté qui aduerſus Dominum ſemper contẽderit,idem-
*Pſal.* 94 que Dominus ipſe declarauit, cum dixit, Quadraginta annis proximus fui generationi huic,& dixi,ſemper hi errant in corde.& iterum,Scio enim quòd durus es tu,& neruus ferreus cer-
*Eſaiæ* 48. uix tua,& tranſgreſſorẽ ex vtero vocaui te.Quo in loco duabus rebus duriſſimis, videlicet neruo & ferro maximam illius populi duriciem & rebellionem deſignauit De hoc tamen populo,quamlibet duro ac rebelli,ſcriptum legimus;Cum occiderer
*Pſal.* 77. eos,quærebant eum,& reuertebantur,& diluculo veniebant ad eum.Hic enim ferè huius populi mos fuit( quemadmodum liber Iudicum paſſim oſtendit)vt cum vehementerà finitimis Re-

gibus

gibus premeretur,cladibus ſuis eruditus ad Dominum rediret, at nos miſeri eo ſtuporis perducti ſum⁹,vt nos tot ætatis noſtrę plagæ,tot bella,tot hominũ cædes,quas ætate noſtra vidimus tot hæreſes(quibus maxima chriſtiani orbis pars hæreticorum veneno infecta eſt)nihil nos moueant, nihil ſolicitent. Itaque merito hoc tempore propheticum illud inclamare Dominus poterit; Magno labore ſudatum eſt,& non exiuit de ea nimia rubigo eius neq; per ignem. Idẽ modo ambitionis & ſuperbiæ tumor,eadem pecuniæ ſitis,idem luxuriæ ardor: eadem odij & furoris rabies,idem inuidiæ liuor,eadem maledicendi,& obloquendi,& malè precandi virulentia,eadem iurandi & peierandi praua conſuetudo,idem diuinarum legum contemptus,pauperúmque neglectus, qui antea fuerit, dominatur. Vbique meretrices,vbique lenones reperire licet. Cum igitur hæc tanta hominum ſtrages, tantáque diuini furoris ſignificatio vix quic quam apud nos effecerit, an non ſatis conſtat,nos in profundum penè malorum decidiſſe, quando hæc ipſa contemnimus & pro nihilo ducimus? Quid amplius,Domine,in poſterum facturus ſis,prorſus ignoro. Nihil enim intentatũ reliquiſti, nec tamẽ profuiſti. Mordet fortaſſe vos hæc mea caſtigatio,fratres, ſed quid mirum ſi Euangelicus ſal ſuo fungatur officio? Salis enim eſt mentis vlcera non quidem vngere ac delinire,ſed mordere ac pungere,niſi fuerit infatuatus. Exe.24.

I.

Hæc de ſale dicta ſunt,ſequuntur deinde alia nomina, quibus Eccleſiaſticorum Doctorum dignitas& officium in hoc Euangelio deſignatur. *Vos* inquit,*eſtis lux mundi*. Nihil in mundo luce pulchrius ad videndũ,nihil ad agendum efficacius, Sol enim, & Luna, cæteráque inerrantia ſidera lucis miniſterio inferiora corpora alunt atque gubernant. Idem ergo in mundo efficit Euãgelicæ doctrinę ſplendor,quę errorum tenebras diſpulit,& veritatis atque doctrinæ lucem humanis mentibus prętulit, qua viam quæ ad immortalitatem ducit, apertè cognoſcerent. Verùm ſi lucis nomine Euangelicam doctrinam accipimus,cur Dominus paulò inferius eoſdem doctrinæ miniſtros lucernam vocat ſupra candelabrum poſitam, vt luceat omnibus qui in domo ſunt? Videtur enim lucis,& lucernæ nomine idem veritatis ſplendor ſignificari. Sit ita ſanè. Verũtamen illic Dominus doctrinę lucem, hic verò vitę fulgorem ſignificare magis voluit. Quod quidem non obſcurè inſinuauit, cum ſubdit,*Sic luceat lux veſtra coram hominibus,vt videant opera veſtra bona,& glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt*. Illicergo de verbis,

hic de rectè factis,& virtutum exemplis mẽtionem facit. Quamuis enim verba neceſſaria ſint,ſuperiori tamen loco bona opera habenda ſunt,longeq; magis cœleſtem Patrem glorificant. Noſtro verò ſeculo minor operum, maior verborum cura eſt. Vtrumq; autem præſtandum erat, vt videlicet doctrinæ vocem operis teſtimonium confirmaret, vt ita demum verbis noſtris fidem apud auditores faceremus. Hinc Paulus, De cætero, inquit, fratres, quæcunque ſunt vera, quæcunque pudica, quęcunque iuſta, quæcunque ſancta, hæc cogitate: quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me. Videtis ergo quomodo Apoſtolus vtrumque iunxit, cùm ait, Audiſtis, & vidiſtis in me: Talem autem doctorem agnouit & commendauit Seneca, cùm dixit, Ille promiſſum ſuum impleuit, quem cùm audieris, & videris, idẽ, eſt: in quo videlicet neque à doctrina vita, neque à vita doctrina diſcordat. Eleganter autẽ hoc Dominus olim in pontificali veſte adumbrauit, ex cuius extrema ora pendere tintinnabula malo granatis admixta iuſſit, ita vt tintinnabulis intertexa malogranata eſſent. Quid autem per tintinnabula, niſi prædicatoris vocem? quid per malogranata (ad quæ videnda ſponſus in Canticis inuitatur) niſi vnitatem charitatis & vitæ ordinem intelligimus? Vtrumque ergo Eccleſiæ miniſter habere debet, vt videlicet doctrinæ ſonitu, & innocentis vitæ exemplo populum eruditat, aliter enim (vt diuus Hieronymus ait) delicatus magiſter erit, qui pleno ventre diſputet de ieiuniis. His etiam adde, quòd verbi Dei miniſter hoc tantum negotium non ſolùm vitę integritate, ſed aſſiduis etiam præcibus vrgere debet. Hinc diuus Auguſtinus, Prædicator, inquit, laboret, vt intelligenter, vt libenter, vt obedienter audiatur, & hoc ſe poſſe magis pietate orationum, quàm oratoris facultate non dubitet, vt orando pro ſe, ac pro iis quos eſt allocuturus, ſit prius orator antequam doctor, & ipſa hora accedens, priuſquàm exerat proferentem linguam, ad Deum leuet animam ſitientem, vt ructet quod biberit, vel quod impleuerit, effundat. Hactenus ille. Quominus mirandum eſt, ſi beatus pater Dominicus perditos homines ad veteris vitæ pœnitentiam, & pietatis cultum ſalutaris doctrinæ monitis traduceret, qui non ſolum ſumma vitæ innocentia, ſed lacrimis etiam & precationibus aſſiduis hoc tãtũ opus agebat. Quomodo autẽ diuina illa pietas, quæ fraterna charitate tãtopere delectatur, huic tantæ charitati negare poterat, quod per eã petebatur? At nos, qui tã longè ab hoc officio diſtamus, qui totũ hoc opus magis volubilitate linguæ, quàm integritate vitæ, & orationis ſuffragio fieri

*Philip.*

*Seneca.*

*Exod. 24.*

*can. 7.*

*Hieron.*

*Auguſt. doct. de chriſtia.*

gio fieri arbitramur,quē ex hoc ſtudio fructū referre poſſumus?

II.

Hactenus de Euangelica lectione: nunc ad beatiſſimum patrem Dominicum veniamus, qui etiam ipſe verè ſal terræ fuit. Cùm enim mater eius grauida eſſet,vidit in ſomnis ſe catulum in vtero geſtare,accenſam in ore faculam baiulantem. Diuerſa quidem metaphora, ſalis & canis, ſed idem tamen officium, vtriuſque enim eſt mordere. Quod munus beatus hic Pater perfectiſſimè exercuit, qui zelo diuini honoris incenſus, ſeueriſſimus vitiorum obiurgator fuit. Sed quoniam charitas, zelus ac ſitis fraternæ ſalutis in eo inter cæteras eius laudes potiſſimùm enituit,de hac ipſa charitate,qua tum ſanctiſſimus hic Pater,tum etiam cæteri ſanctiſſimi & Apoſtolici viri flagrauerunt,dicendum nobis erit.

Conſtat autem (vt hinc dicendi initium faciamus) omnia quæ ſunt, dilectionis vi non modò inter ſe deuinciri, ſed etiam gubernari. Et quidem Deus ipſe beatiſſimus ſuæ bonitatis atq; electorum amore captus, hunc mundum condidit,cuius fructibus homines paſcerentur, & ex mirabili eius fabrica ad conditoris ſui cognitionem & amorem excitarentur. Intelligentiæ quoque cœleſtium orbium motrices (vt Ariſtoteles ait) primi & ſummi motoris amore inductæ, vt illi in officio ſuo obſequātur, atque illi ſimiles, hoc eſt, Deiformes efficiantur,eorundem orbium motu inferiorem hunc mundum moderantur. Animantia verò cuncta,ac homines præcipuè, ſui ipſorum amore ducti,ea quæ ad vitæ vſum & conſeruationem pertinent, ſummo ſtudio inquirunt. Vnde Stoici Philoſophi vnumquemque hominum amori ſui,velut cuidam pedagogo atque tutori, à natura commiſſum eſſe teſtantur. Quid verò de filiorum procreatione dicam? An non conſtat,totam hanc ſobolis educandæ & procreandæ curam ex ardentiſſimo parentum erga filios amore proficiſci? Omnia igitur ſicut ex amoris fœdere colligantur,ita amore ſuſtinentur. Quo minus mirandum eſt, ſi animarum quoque ſalus & procuratio ab eodem hoc dilectionis fonte proficiſcatur.

Ex hoc enim ſummum quoddam diuinæ gloriæ ſtudium,& fraternæ ſalutis amor in piorum cordibus excitatur. Quiſquis enim ardentiſſimo amore Deum diligit, tantum ei obſequi & placere deſiderat,quantum diligit. Cùm autem inter omnia obſequia noſtra, fraternæ ſalutis cura gratiſſimum illi ſacrificium ſit,huic potiſſimum operi, quanta poteſt diligentia, incumbit, quiſquis ardenter Deum diligit. Meminit enim ipſum Domi-

num per Oseam dixisse? Misericordiam voluit: & non sacrificium. Nulla autem misericordia maior, quàm hominem ab æterna miseria liberare. Deinde, quisquis Dei amore flagrat, eos etiam vehementer diligit, qui à dilecto suo diliguntur. Cùm verò Christus Dominus tanto homines amore dilexerit, vt pro eorum salute mori non dubitauerit, consequens etiam est, vt qui Christũ eximiè diligit, eximio etiam salutis hominum amore teneatur.

Atque vt ad beatissimum Patrem nostrum veniamus, quanta fuerit eius charitas à qua salutis humanæ desiderium proficiscitur, vt alia prætermittamus argumenta, admiranda martyrij sitis maximè declarat. Cùm enim multi sint in charitate gradus (qui à sanctis Patribus describuntur) ille præcipuus esse videtur, qui eò pertingit, vt vitam (qua nihil homini charius est) propter Dei gloriam profundere alacriter & sitienter appetat. Hoc enim Domini testimonio comprobatur, qui ait, Maiorem hac dile-
*Io.15.* ctionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. At verò tantus in hoc beatissimo Patre martyrij ardor & desiderium fuit, vt de eo dictum sit; Sitiebat seruus Christi martyrium, sicut sitit ceruus ad aquæ fluuium. Cumque hæretici mortem illi minitarentur, is multa cum fiducia respondebat; Non sum ego dignus martyrio: nondum merui mortem istam. Itaque transiens per loca ea vbi structæ illi ferebantur insidiæ, cantans & alacer ingrediebatur. Ea re in admirationem adducti satellites Antichristi dicebant ei; An non mortis horrore tu afficeris? quid acturus eras si te comprehendissemus? Obsecrarem, inquit, vos, ne me celeri morte absumeretis, sed sensim omnes corporis mei artus membratim dissecaretis, deinde oculis meis videndos subiiceretis, vt hoc grauissimo spectaculo animum meum oblectarem: post hæc verò crutis aut confossis oculis corpus truncum & mutilum in suo sanguine volutari sinerctis. O vocem omni laude & prædicatione digniſſimam! ô admirabilem charitatis ardorem, à qua talis flamma prodibat! Non contentus enim vna morte, tot mortibus vitam volebat abrumpere, quot membra habebat in corpore: nec contentus simplici corporis martyrio omnes corporis artus martyres effici cupiebat, & quando illi nõ dabatur nisi vna tantùm morte occũbere, eam volebat longissimo spatio dilatari; vt hac ratione vna mors instar multarum esset. Quantũ ergo in sacro illo pectore charitatis ignis æstuebat, ex quo hæc tam ingens desiderij flamma prodibat? Quia verò hanc tantam sanguinis fundendi sitim inter fideles agens explere non poterat, ad infidelium nationes

tiones transire destinabat, & ad hoc aliquo tempore barbam iutriuit, vt hac ratione vel Christi fidé inter infideles propagaret, vel certè desiderata martyrij corona frueretur. Dominus tamen, futurorum præscius, huic eius voto obstitit, quia eum ad Ecclesiæ suæ salutem destinauerat.

Ex hoc autem charitatis fonte, bone Deus, quàm multa cha- I.
ritatis officia manarunt! Hæc enim charitatis flamma in sacro illo pectore æstuans, faciebat, vt cùm tot in mundo flagitia, tot animas præcipites in gehennam ruere videret, arderet vtique quasi facula zelo pereuntium. Hæc autem piissima affectio sanctissimum eius pectus sibi totum vindicarat, vt animas proximorum lucraretur, & suo coniungeret creatori. Hoc lacry- II.
mis & precibus à Domino contendebat; & feruentissimis concionibus ac miraculis per eum editis Dominus compleuit. Optabat cum Apostolo impendi, & superimpendi pro animarum salute, idque exemplo Saluatoris, qui se ipsum tradidit 2. Cor. 12,
pro animabus nostris. Ex hoc eodem charitatis fonte maxima illa compassio prodibat, qua erga afflictos, & variis clamitatibus oppressos afficiebatur. Hanc enim excellentissimam charitatis gratiam habebat à Deo, flendi scilicet pro peccatoribus, & miseris atque afflictis omnibus cõdolendi. Qua in rè sanctissimi Iob miserationem imitabatur, qui inter cætera virtutum suarum insignia hoc etiam de se ipso ait, Flebam quondam super eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi. Quod quidem misericordiæ opus non solùm diuitibus, sed pauperi etiam in promptu est: quibus quamuis desit census, non deerit tamen (si modo viscera charitatis adsint) miserationis affectus.

III.

Ex hoc eodem charitatis fonte prudentissima illa temporis III.
partitio proficiscebant, qua sic animarum saluti operam dabat, ne salutis propriæ curam negligeret. Memor quippe illius consilij erat, quo Apostolus Thimotheum instruit, cùm ait: Attende tibi & doctrinæ, hoc enim modo & te ipsum saluum facies, & eos qui te audiunt. & illud item Ecclesiastici, Recupera proximum secundum virtutem tuam, & attende tibi ne incidas. Horum consiliorum vir Dei memor, sic temporum spacia disponebat, vt noctè quidem sacris vigiliis & piis precibus destinata, totum diem saluti impenderet animarum. Ex hoc item fon- IIII.
te tot itinera prodibant, quæ nudis pedibus conficiebat, quibus ab Hispania in Galiam, ex Galia in Italiam, ex Italia rursus in Hispaniam contendebat. In quibus non seculi dignitates; non

claritatem nominis,non terrenos thesauros,sed solam Dei gloriam cũ animarum salute cõiunctam studiosissimè quærebat.

Ex hoc etiam charitatis igne,ignea illa verba emicabãt,quę
v in admirationem,& amorem in Deum mentes hominum rapiebant.A quibus aliquando rogatus. Vbi nam mira illa, quæ populis prædicabat,didicisset?In libello inquit,charitatis.Hæc enim virtus mirabiliter prædicatoris linguam & erudit,& incẽdit.Ad alia quidem docenda,verborum & rerum scientia plurimùm valet,ad diuina tamen eloquia pro dignitate tradanda, & languentia hominum corda inflammanda, charitatis ignis mirè facit.Adde,quòd hæc eadem charitas non modò dicentem incendit,sed mirabilem quoque persuadenti vim tribuit, dum aptissimas rationes excogitat, quibus eos sanet quos ardentissimè seruare cupit.

vi Nec verbis solùm,sed multo magis precibus & exẽplis hoc negotium beatus Pater agebat.Vnde singulis noctibus catena
vii ferrea corpusculum,vigiliis & inedia confectum, propter sceleratorum hominum crimina verberabat. Hinc etiam factum est,vt cùm mulieres,apud quas hospitabatur, ab hæreticis deceptas offendisset,tanto salutis earum desiderio flagrauerit, vt integram Quadragesimam solo pane & aqua victitarit, humique super nudam tabulam cubitarit, idque cùm totos dies in docendi atque prædicandi labore consumeret, ad quod laterum firmitate,& vocis robore opus erat,quæ duo, nisi salutari cibo & somno parari nequeunt. Quo tam insigni sanctitatis exemplo effecit, quod nullis fortasse persuasionibus obtinere potuisset,nempe,vt mulieres illæ, hæretica prauitate repudiata,ad sanctæ matris Ecclesiæ gremium humili erroris sui con-
viii. fessione redierint. Quid verò illud, quibus laudibus & prædicatione commemorandum?Cum enim quidam nobilis paupertate pressus,ad hæreticos( qui perfida pietate inopiam eius leuabant ) defecisset,tãto ex hac re doloris affectu pectus illud piissimum sauciatum fuit, vt cùm opibus pauper Christi destitueretur,seipsum incredibili pietatis ardore vendendum obtulerit,vt ille venditionis prætio inopiam suam leuaret,ne eius occasione à fidei sinceritate deficeret.Quis igitur sacrum hoc pectus non exosculetur,quis non apertè videat, illum in eo sedẽ
*Matt.26.* sibi delegisse,qui seipsum propter mundi salutem proditori di
ix. scipulo venalem exhibuit? Atque vt vno tantum argumento rem omnem absoluam,ex hoc eodem fonte in Ecclesia Dei celebris Prædicatorum ordo manauit. Cùm enim vir sanctus totum se ad animarum studium contulisset,& sitis hæc in eius pectore

ctore incredibili ardore flagraret,priuato labore atque opera sua minimè contentus,socios,vndecunque potuit,asciuit, qui eodem spiritu acti,se in hoc pietatis opere exercerent. Cumq; res illi feliciter cederet,diuinæ opis fiducia fretus, ad maiora animum extulit,nempe vt in Ecclesia Prædicatorũ ordinem( nusquam antea institutum ) excogitaret, cuius hoc esset munus, hoc præcipuum studiũ,exemplo vitæ, & assiduæ doctrimæ officio animarum salutem curare, vt quemadmodum olim ante conuersionem suam Saulus,dum protomartyr Stephanus lapidaretur lapidantium vestes seruabat,vt eum manibus omnium lapidaret,ita contrà beatus Pater amore salutis humanæ incensus,hunc prædicatorum ordinem instituit, vt animarum salutem,& Christi gloriam non solus ipse,sed cum multis aliis,nec seculo suo tantùm,sed omnibus etiam seculis per tot filiorum suorum ora,quot hactenus fuere, quótque in posterum futuri sunt,quæreret. *Act.7.*

IIII.

Hæc igitur officia,fratres,hi labores atq; certamina (vt antè diximus ) ex flagrantissima in Deũ charitate profecta sunt. Quæ quidẽ charitas simili ardore,similiq; fraternæ salutis,& diuinæ glorię studio in sanctissimis quibusque viris flagrauit.Hinc illę Prophetæ voces,Zelus domus tuæ comedit me.Et, Vidi præuaricantes & tabescebam,quia eloquia tua non custodierunt, Et Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.His autem comedendi & tabescendi verbis Vates sanctus satis indicat, adeò vehementer omnia interiora sua cruciari & exedi,vt ex vi & impetu interni cruciatus macies & pallor & tabes in corpore sequerentur. Simili etiam affectu, atque adeò acriori Apostolus angebatur,cùm diceret,Quis infirmatur,& ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Eliæ verò prophetæ pro Dei gloria flagrantissimum zelum quis non miretur?Sic enim aduersus hominum scelera incanduit, vt oratione sua trium annorum & sex mensium sæuissimam famem à Domino impetrauerit.Vnde ad Achab perfidum Regem,pręcipuum qúeperfidiæ popularis auctorem,diuino Spiritu concitatus ait,Viuit Dominus Deus Israel,in cuius cõspectu stosi erit annis his ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verbum.Ex his autem verbis colligere licet, virum sanctum hoc modo orasse,Domine Deus me⁹ tu,qui nulla re indigens omnia propter temetipsum,hoc est, propter nominis tui gloriam condidisti(tu enim es α& ω, hoc est,principiũ & finis rerum,sicut enim nullum aliud esse rerum principium potuit ni- *Psal. 89. Psal. 118. Ibidem. 2.Cor. 11. 3.Reg. 17. Apoc. 21.*

si tu,ita nullus alius finis,cui omnia deseruirent, præter te ) si-
tamen omnia in sapientia tua disposuisti, vt cęli quidem,ter-
ræ,ac maria,& omnia quæ cæli complexu continentur,huma
næ vitæ vsibus deseruirent, homo autem , harum rerum domi
nus,te vnũ suspiceret,te coleret,tibi omnia accepta referret,ti-
bi pro tantis beneficiis gratias ageret,tibiqúe inseparabili amo
ris vinculo copularetur.Hoc nisi fiat,quis huius mundi,quis re-
rum omnium in hoc inferiori,mundo cõditarum vsus dignus
erit? At miserandi homines eò cæcitatis atque vesanię, Satana
dementante peruenerunt,vt nihil minus cogitent,nihil minus
curent,nihil minus faciant , quàm id ad quod facti & conditi
sunt,immo verò gloriam tibi vni tot nominibus debitam,ad la
pides & ligna impiè atque nefariè transtulerunt. Quæ cùm ita
sint,non video in quem vsum tales homines in mundo agere,
vel cur superstites esse,vel cur cæteræ illis creaturæ obsequi &
seruire debeant,cùm ipsi communi omnium Domino minimè
obsequantur . Fac ergo ,Domine,ne cæli desuper pluuiam in
terram demittant:Vim cælorum, imbrium , nubiũ,ventorum,
maris & fontium contine, vt neque cæli rorem , nec terra ger-
men illis præbeat,quo acerbissima fame præuaricatores confi-
ciantur & intereant,atq; meritas scelerum suorum pœnas pen-
dant.Ad has ergo preces,non vnius anni , sed trium annorum
& sex mensium sterilitas secuta est. Quo quidem tempore,cùm
vir diuinus tantam illam cladem cerneret,cùm hic pueros cla-
mantes,& lamentabili voce panem postulantes,alibi cadentes
& animam præ famis magnitudine efflantes,alios rapientes,&
vim aliis(si quid fortè panis alicubi repositum esse intelligerẽt)
inferentes,alios verò lurida facie,& pallore oris famem & ma-
ciem ostentantes,& omnia denique luctu,lacrymis & morte
plena cerneret,nunquam tamen vir sanctissimus hoc tam diu-
turno & miserabili spectaculo ad misericordiam flexus est , vt
vel guttam aquę impetraret his quos vita indignissimos iudi-
*3. Reg.* cabat.Nec hoc tandem in animum induxit , donec de sceleris
*18.* auctoribus,nempè sacerdotibus Baal, supplicium sumpsit.Vbi
enim insigni edito miraculo populum ad Dei cultum traduxis-
set,& quadringẽtos prophetas Baal vno die super vno lapide iu
gulasset, corporaque eorũ inhumata in torrentem præcipitari
*Num.* iussisset,tunc demum impiorum cruore atque vindicta exatia-
*12.* tus,pluuiam à Domino petiit,& impetrauit. Quid verò Moy-
ses? quo diuini ardoris zelo incanduit , vir alioqui super om-
nes qui morabantur in terra mitissimus?Is enim qui regi apum
*Simile.* exemit aculeum,huic, populi sui principi , omnem iræ impe-

tum

tum adimit. Quanto verò is diuinæ gloriæ zelo exarſit, cùm è monte deſcendens populum ante vitulum, quem ſacrilega perfidia pro Deo fabricauerat, ludentem inuenit? Tanto enim furore ac dolore exagitatus fuit, vt ſacratiſſimas illas tabulas ipſi⁹ digito Dei mirabiliter inſcriptas, & quadraginta dierũ ieiunio impetratas, ad ſaxa montis illiſerit, ac deinde in caſtra veniens, cõueniẽtibus ad ſe Leuitis præcepit, vt per medium caſtrorum diſtrictis gladiis irrumpentes, amicos, fratres, filios, ac ipſos denique parentes ferro trucidarent, nulliq́ue vel ſexui, vel ætati, vel ſanguinis communioni parcerent. Quod vbi animosè factum eſt, Conſecraſtis, ait, hodie manus veſtras Domino vnuſquiſque in filio & in fratre ſuo. Et animaduertite, quæſo, mirabilem viri ſanctiſſimi pietatem. Is, qui ita aduerſus infidelem populum deſæuierat, tanto erga illum compaſſionis affectu cõmotus eſt, vt rurſum quadraginta dierum ieiunio indignantis Domini iram tanto ſtudio lenire curauerit, vt dicere non dubitauerit, Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro in quo ſcripſiſti me. Animaduertite quæſo fratres, quanta hic lenitas, quanta illic ſeueritas, quanta illic indignatio, quanta hic cõpaſſio, quantus denique illic furor, quantus verò hic amor! His enim verbis hoc dicere videbatur: Tanto Domine, huic populo, quem mihi ſeruandũ tradidiſti, amore conglutinatus ſum, vt nullo modo me ab illo ſecernere valeã, ſed quæ illius ſors futura ſit, eadẽ mihi cum illo cõmunis ſit, neque enim illo pereũte, ſalus mea eſſe mihi grata poterit. Quare aut vtroſque ſeruare, aut vtroſque damnare debes: ideoq́ue precor, vt vel dimittas eis hanc noxam, vel de libro in quo me ſcripſiſti, deleas. Quis igitur hanc tantam veræ charitatis flammam nõ miretur? non obſtupeſcat? non meritis in cælum laudibus tollat? Quid verò illud? quàm ſtupendum, quòd Paulus anathema fieri pro hominum ſalute optauit? Vnde, quæſo te Paule, tantus hic fraternæ ſalutis amor? vnde hęc ingens charitatis flamma? vnde tãtus dolor propter eos quos à cæleſti hęreditate excidere videbas? Reſpondere vtique is poterat, Nimirum, quia quę bona iſti amittant, & in quas ſeſe miſerias coniiciant, non ſolùm fide teneo, ſed oculis etiam contemplatus ſum. Cùm enim in paradiſum delatus fui, ac illius immenſæ pulchritudinis ſpeciem contemplatus ſum, vidi quæ pios felicitas, quę improbos maneat infelicitas, qui hoc tanto bono priuandi ſunt. Quæ res animum fraterna charitate flagrantem tam acerbo dolore cruciat, vt benè mecum agi putarem, ſi illis hac tanta felicitate fruentibus, ab ea ego exciderem.

*Exod. 3.*

*Rom. 9.*

*Cor. 12.*

Nunc

Nunc ad vos fratres,diligenter quæso hoc negotium expenda damus. Si tantum illud bonum eſt,quod piis in cælo repoſitum eſt,& quo reprobi omnes priuandi ſunt,vt tanto ſe Paulus diſcrimine obiiceret,quo nullum excogitari maius poteſt,ne homines tantam felicitatem amitterent,(cùm eorum tamen ſalus ad ſe nihil pertineret) quis hanc tantam cæcitatem & amentiam hominum ferre poterit,qui propter ſuam ipſorum ſalutem ne leuiſſimæ quidem diuinę legis ſarcinæ humeros ſupponere velint,cùm Apoſtolus tanto ſe oneri non propter ſuam,ſed propter aliorum ſalutem verè & ex animo ſubiecerit? Quis non obſtupeſcat? cuius viſcera non diſrumpantur ? quis non etiam clamores in cælum tollat? Quis hoc argumento dęmonum potentiam , & hominum dementiam & ſtuporem non videat? Quid hic ratio,quid conſilium,quid cæleſtis doctrina in pectore Chriſtiano facit? quomodo aduerſus eos qui eam in iniuſtitia detinent,non inclamat.

Quid ergo nunc ſupereſt fratres,niſi deprecari vos atque obteſtari,vt tot propoſitis argumentis & exemplis intelligatis tandem qua ſolicitudine &ſtudio ſalutis veſtræ negotium curare debeatis? quandoquidem tam multa propter illud ſanctiſſimi quique viri & fecerunt & pertulerunt. Ferreus enim ſit oportet,quiſquis eam magnis propoſitis argumentis & exemplis ad pietatem non emollitur. Quod à nobis auertat Chriſtus Ieſus, qui cum Patre & ſancto Spiritu viuit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

## In eodem feſto beatiſſimi Dominici patris noſtri Cōcio quarta: quæ,poſt breuem Euangelicæ lectionis explanationem,clariſſima eiuſdem Patris miracula, ab eius incomparabili fide & charitate manantia, percenſet.

THE. *Qui fecerit & docuerit,hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Matth.5.

*Eccle.42.*

OMnia(inquit Eccleſiaſticus)duplicia; vnum contra vnum,& non fecit quidquam deeſſe. His verbis,fratres chariſſimi,diuinæ prouidentiæ ſolertia declaratur, quæ videlicet nunquam deficit in neceſſariis, quæque rebus noxiis ſalutares atque contrarias adiunxit,quæ illarum vim & nocumenta repellerent. Sunt quidem lupi gregibus inſidiantes,ſed ſunt contra canes,gregem aduerſus eorum rabiem tuentes,Sunt viperæ hominibus infeſtæ,eſt & teria ca-

ca præsentissimum contra viperas remedium. Sunt hærbænoxiæ, morbos inferentes: sunt rursum salutares, morbos auertentes. Apud Orientales Indos, ac in ea præcipue insula quę Ceilam appellatur, capillares colubri sunt, qui venenato morsu celeri morte interimunt; at diuina prouidentia, vt huic præsenti periculo succurreret, eam regionem feracissimam esse quarundam arborum voluit, quarum vel odore vel gustu ab hoc peticulo homines liberantur. Pomponius Cosmographus in quadã ex fortunatis insulis duos fontes verè mirandæ & occultæ naturæ esse ait, ex quorum altero si quis biberit, risu soluitur, cuius mali remedium est, ex altero bibere. Sed dicet aliquis forsitan: An non satius fuisset, si diuina prouidentia à nocituris creandis abstinuisset, quam si cum nocituris etiam profutura creasset? Minime quidem, hac enim ratione non ita admirabilis diuinæ prouidentiæ cura eluceret, quæ modo manifesta est, dum tam varia & exquisita remedia aduersus tam multa incõmoda excogitauit. Hac enim ratione; qualem nostri curam gerat, multis ac maximis argumentis declarauit. Quorsum hæc nempè vt in operibus etiam gratiæ diuinæ prouidentię solertiam agnoscamus. Cum enim humana natura, propter commune originis peccatum multis modis læsa & sauciata fuerit, multis quoque medicamentis & remediis indiget. Inter omnia autem vitiatæ naturæ mala quatuor præcipuè numerantur nempe cæcitas in intellectu, languor in voluntate, in libero arbitrio infirmitas, & in sententiandi apetitu variarum prurigo cupiditatum. Aduersus autem quatuor hæc mala, post sacramentorum medicamenta, diuini verbi ministerium cælestis medicus opposuit, quod præsentissimum malorum omnium remedium & medicamentum est. Sic enim de eo in libro sapientiæ legimus, Non herba aut malagma sanauit eos, sed sermo tuus Domine, qui sanat omnia. Hoc igitur medicamento quatuor illa animæ nostræ vulnera sanantur ideoque quatuor nominibus verbi huius ministri in hodierna sancti Euangelij lectione designantur. Primum enim, vt ab hoc incipiamus, sal terræ appellantur, quoniam appetitus & cordis nostri pruriginem, diuini verbi mordacitate & acrimonia à peccati corruptela præseruant. Deinde mundi lumen, & veluti spiritualem solem eos vocat, qui eiusdem diuini verbi luce prauarum opinionum atque errorum tenebras à mentibus nostris discutiunt. Exinde verò de illos ciuitatem supra montem positam esse ait, quoniam ipsi cœlestis doctrinę virtute, nutantia infirmorum hominum corda, ,cum eos humani generis hostes adoriuntur, confirmant, quod planè faciebat ille de quo scriptum est; Nutante, confir-

*Pomponius.*

*Sap. 16.*

confirmauerunt sermones tui,& genua debilia roborasti. Postre-
Psalm. mò,lucernam ardentem eosdem nominat,quoniam algentia ho-
108. minum pectora diuini amoris igne inflammant. Videtis ergo fra
tres, verum esse quod Ecclesiasticus ait: Omnia duplicia,vnum
Eccle. contra vnum à diuina prouidentia conuenientissimè instituta
42. fuisse.

Cęterum,quanta sit eorum dignitas qui hoc diuini verbi mini-
Mat.5. sterio in Ecclesia funguntur,in sacræ huius lectionis fine Domi-
nus ostendit,cùm ait: *Qui fecerit & docuerit,hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Quæ quidem verba summam Dei nostri bonitatem, summamque erga genus hominum charitatem maximè declarant, quandoquidem adeò magnum præmium alienæ salutis auctoribus proponit,vt inter principes & magnos viros in eo regno numerentur, in quo magnum esse summa dignitas, & gloria est. Hac enim tanta gloria prædicatoribus constituta, non obscurè declarauit,quanto salutis nostræ amore teneatur. Sicut enim Rex,qui multa aureorum millia pollicetur ei qui homicidam aliquem prodiderit,hoc ipso quàm sit iustitiæ cultor & a-
simi. mator ostendit:sic,cùm Dominus tam magnifica præmia iis qui aliorum saluti studeant,proposuerit,satis declarat quantoperè hominum salutem sitiat.Idem etiam non minus apertè ostendit,cùm ad inferenda Sodomiæ supplicia pergens ait ad Abraham: Nun-
Io. 15. quid celare potero Abraham quæ facturus sum,cum futurus sit in gentem magnam? Amicorum maximè proprium est, arcanorum communio,quemadmodum Saluator ait.Iam non dicam vos seruos,quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos:quia omnia quæcunque audiui à Patre meo,nota feci vobis.Ad hanc ergo tantam dignitatem sanctus ille Patriarcha euectus fuit,vt amicus Dei nominaretur,& esset:ideoque contra leges,& sanctissima amicitiæ iura se facturum Dominus insinuat,si consilia & arcana sua ab eo absconderet,vnde ait:Num celare potero,&c. Vnde verò hæc tanta dignitas? vnde tanta gloria? Subdit causam:Scio enim quod præcepturus sit filiis suis,vt timeant Dominum.Hanc velut pręcipuam huius amicitiæ causam affert,quę non modo in Episcopos,& Ecclesiæ Doctores,sed etiam in bonos patresfamilias (qualis ille erat)cadere potest, vt hinc intelligatis, qui seruorum,aut filiorum greges habetis,quàm lata vobis ad amicitiam Dei promerendam via pateat. Nec verò merces illa
Iac.5. quam Iacobus Apostolus præscribit, parui facienda est, sic enim ait, Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ,saluabit animam eius,à morte & operit multitudinem peccatorum. Cur hoc præmium quod veræ pœnitętiæ proprium est,officio docendi tribuit

di tribuit? Nimirum, quia ſicut is qui prauis conſiliis alium inducit ad flagitia, flagitiorum eius particeps efficitur, ita qui alium reuocat ab illis, hanc à ſuperiore iudice mercedem percipit, vt ipſe à ſuis quoque ſceleribus liberetur. His igitur tantis præmiis propoſitis, fratres, hoc agamus, hoc diligentiſſimè curemus, vt partim verbo, partim exemplo, partim piis admonitionibus, partim etiam precationibus alios ad ſaniorem mentem perducere ſtudeamus. Cum enim alienę ſalutis negotium gerimus, noſtram planè cauſam agimus, ſicut ſcriptum eſt: Anima quæ benedicit, impinguabitur, & quę inebriat, ipſa quoque inebriabitur. Hac autem ratione beatiſſimi Patris Dominici ingentes gratiarum opes & virtutes colligere licebit. Si enim qui fecerit & docuerit, magnus eſt habendus in regno cælorum (hoc eſt, in Eccleſia, quæ nunc contra hoſtes militat, & in ea quæ glorioſa de triumphato hoſte trophæa reportat) quam magnus vtrobique erit, qui tot animarum millia, vitę atque doctrinę ſuę miniſteriotum per ſe, tum per ordinis à ſe inſtituti miniſtros, Chriſto lucrifecit.

## I.

Hanc autem ſingularem beatiſſimi Patris noſtri magnitudinem declarat non ſolum eius vita ſanctiſſimè acta, ſed etiam miraculorum magnitudo, quę eiuſdem ſanctitatis locupletiſſimus teſtis eſt. De his ergo fratres in pręſenti concione dicere inſtitui ſed ita tamen orationem meam temperabo, vt non ſolum tantarum rerum admirationem, ſed multo magis imitationis cupiditatem animis veſtris iniiciam. Quid enim noſtra refert præclara ſanctorum geſta virtutesque mirari, ſi vita noſtra à ſanctiſſimis eorum moribus inſtitutisque abhorreat.

Principio igitur ſatis conſtat, tam multas eſſe cauſas, propter quas ſalutis & vitę noſtrę auctorem Deum diligere & colere debeamus, vt ſi omnes Angelicę mentes in linguas verterentur, non modo pro dignitate explicare, ſed nec percenſere quidem eas & enumerare poſſent. Quia tamen varia ſunt hominum ingenia, variique mores & affectus, alię cauſę alios mouere magis ſolent. Quoſdam enim cęleſtis pręmij ſpes & amor vehementer allicit, quo affectu ſanctus ille Rex aiebat, Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in ęternum propter retributionem, pro quo Hieronymus ex Hebræo vertit, propter ęternam retributionem. Sunt rurſus alij, quos gehennę metus vehementer concutit, & ad officium inducit. Quod quidem de ſe Diuus Hieronym. in Epiſto. ad Euſtochium de virginitate ſeruanda fatetur, in qua, vbi ſolitudinis & inedię ſuæ labores, quos in deſerto

*Pſalm. 118.*

*Hier.*

*Hiero. ad Euſtoch.*

ſerto pertulerat, enumeraſſet in quo cibus illi crudæ herbæ, potus aqua, ſocij ferę & ſcorpiones erant) tandé ait; Ego ipſe, qui gehennę metu tali me carcere damnaueram, ſcorpionum tantùm ſocius & ferarum, &c. Sunt autem alij, quos extremi iudicij metus, & horrendus ille tubæ ſonus, quo ſepulta omniũ corpora excitabuntur, & ad præteritæ vitæ iudicium vocabuntur,
*Matt.25.* illudque diuinę ſententiæ fulmen, Ite maledicti in ignem æternum magnopere perterrefaciunt, & à peccando cohibent, ne hoc adeò tremendo fulmine feriantur. Alios verò quotidianæ mortis cõſpectus, & incerta mortis hora, & ſepultura, atque defuncti cadaueris horror, & ratio in morte reddenda, & incertæ ſortis metus plurimum mouet, & ad mundi contemptum inducit. Sunt alij, quos non tam harum rerum ſpes aut metus, quàm diuinorum beneficiorum, ac præcipuè Dominicæ paſſionis & redemptionis conſideratio allicit, cum animaduertunt ſe totos debere illi, à quo, cum non eſſent conditi, & cùm perditi eſſent, non corruptibilibus auro & argento, ſed pretioſo eius ſanguine redempti ſunt. Huius enim beneficij merito Apoſtolus fideles
*1.Pet.1.* ad pietatis labores & certamina prouocat his verbis, Recogitate eumqui talem ſubſtinuit à peccatoribus contradictionem, vt
*Heb.12.* non fatigemini animis veſtris deficientes. Nondum enim vſque ad ſanguinem reſtitiſtis, aduerſus peccatum repugnantes.

Hæc igitur quæ diximus omnia, haud dubium quin ingẽtes homini aculeos ad pietatem admoueant, cum ſatis ad hoc vel ſingula eſſe deberent. Sed inter has tamen cauſas potentiſſima eſt Dei erga pios omnes amicitia & charitas, quæ ab inexhauſto bonitatis eius fonte dimanat. Amor enim beneficiorum omnium & primum, & maximum, & aliorum omniũ cauſa exiſtit. Quiſquis enim verè amat ſeipſum primò, deinde (quod eſt conſequens) quæ ſua ſunt, ei elargitur. Quod quidem intelligens Ioannes Euangeliſta, cum ſe Apoſtolum, Prophetam, Euangeliſtam, & Virginem, Virginiſque matris adoptionis filium appellare potuiſſet, his magnificentiſſimis titulis ſilentio preſsis vbiq; ſe diſcipulũ, quẽ diligebat Ieſus appellat, vt qui probè noſſet, omnia alia dignitatis inſignia hac vna dignitate contineri.

*Ioan.21.* Qua autem dilectione pios Dominus proſequatur, neque vlla ratione prædicari, neque vllius amoris comparatione comprehendi poteſt. Quamuis enim ſponſi erga amantiſſimam ſponſam, & parentum erga filios amor maximus ſit (quod Dauidis erga parricidam filium amor oſtendit) & quicunque alij ſint his
*2.Reg.18.* etiam vehementiores, algent tamen, ſi cum Dei erga amicos ſuos dilectione conferantur.

Cæterum

Cæterùm ex immensa diuinæ bonitatis magnitudine huius summæ dilectionis coniecturam facere possumus. Cùm enim eximiæ bonitatis propriùm sit, bonos diligere, quoque bonitas maior est, hoc sit vehemẽtior hæc dilectio, qua quæso, dilectione bonos diliget, cuius ineffabilis incõprehensa, & infinita bonitas est? Verumtamen ex donis, atque magnificẽtissimis beneficiis, quibus Dominus amicos suos honorat, huius dilectionis coniecturam facere licet, cùm dona hæc velut scintillæ quædã sint, quæ ex huius dilectiouis fornace emicant. Cuius rei cum tot nobis exempla suppetant, quot sancti ab origine mundi ad hanc vsque ætatem extiterunt (in quos Dominus magnificentissima dona & beneficia cõtulit) vnum tamen beatissimi Patris Dominici in medium proferam cuius clarissima signa & miracula incomparabilem Dei nostri erga suos amicitiam apertissimè declarant. Quid enim illi diuina charitas & benignitas cõtulit? immo verò, quid non contulit? Is namque & dæmonibus potenter imperabat, & omnis generis morbos sanabat, pluuiis & imbribus imperabat, peregrinis linguis eloquia Domini prædicabat, futura multa prophetico spiritu prædixit, & obdurata hominum corda potenti virtute ac precibus flexit & emolliuit. Sed quoniam hæc generatim dicta minus fortasse mouent animos, ad singularia miraculorum eius opera descendamus; quibus apertè intelligimus, quo honore amicos suos Dominus prosequatur, quamque verè ab eodem Domino dictum sit; Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum. O si quicunque seculi honores ardenter exquiritis, huius honoris ambitione flagraretis! 1. Reg. 2.

II.

Mitto igitur communia hæc miracula, quibus sanitates ægris redditæ fuerunt, ad mortuos, quos vir sanctus ad vitam reuocauit, orationem conuertamus à minoribus ad maiora transitum facientes. Quidam in loco fratribus in structura laborantibus architectum quendam conductitium in crypta moles supernè dissoluta contriuit, & sub tanto pondere diu iacentem penitus extinxit. Concurrunt fratres ad miserabile spectaculum, summo dolore affecti. At pius Pater Dominicus, & inopinatæ mortis casum vehementer miserans, & filiorum merentium afflictionem non ferens, extinctum cadauer è cauerna ad se iussit deportari, fusisque precibus mox illum & viuum, & incolumem restituit, & tristes filios gaudio & cõsolatione affecit. Qualis ergo fides illa atque fiducia de diuina benignitate fuit: quæ mortuum hominem, atque ruina ipsa attritum, tam facilè

potuerit vitæ integrum reddere? Addam aliud ſimile, nec minus tamen mirandum. Erat Romę matrona quædam vidua, quæ mira erga beatum Dominicum deuotione ferebatur. Habebat autem filium vnum paruulum, mala affectum valetudine. Cumque vir Dei in Eccleſia concionem habiturus eſſet, matrona hæc deſiderio audiendi verbum Dei ex ore eius, relicto filio, venit ad concionem. Ea finita, domum reuertens, filium exanimem inuenit, ſed immodicũ dolorem ex eius morte conceptum ſilentio premens, & tum de Dei virtute, tum de beati Dominici meritis fiduciam concipiens, aſſumptis ancillis ſuis tulit filium ad Eccleſiam ſancti Sixti, vbi tum vir ſanctus cum fratribus morabatur, Inuenit autem virum Dei ſtantem ad fores domus, quam Cepitularem vocant, tanquam ibi aliquem expectaret. Vt verò illum vidit, miſit filium defunctum ad pedes eius, & proſtrata coram illo cum lacrymis orabat, vt ſibi filiũ reſtitueret. Dolens ergo ex animo vicem eius vir miſericors, receſſit paululum ab ea, humiq; ſe abiiciens, breues Deo preces obtulit. Mox ſurgens acceſſit ad mortuum, crucis in eũ ſignum expreſſit, manúque eius apprehenſa, ſanum & incolumẽ erexit, reddiditque matri eius, præcipiens ne hoc ad vllius notitiam perferret. Illa verò cum ingenti gaudio diſcedens, beneficium Dei quod in ſuſcitato filio acceperat, iucunda & glorians in Domino aliis indicauit, ſic vt etiam ad pontificis aures peruueniret. Qui ſanè exultans, & donis Dei gratulans, quæ ipſius tempore extitiſſent, decreuit, vt omni populo id pro concione exponeretur. Sed verus humilitatis cultor Dominicus obſtitit, proteſtans, ſi id fieret, ſe mare tranſmiſſurum, nec vnquam deinceps in hiſce regionibus moraturum. Remiſit igitur ſummus Pontifex decretum ſuum. At quanto vir Dei profundius ſeſe abiicere nitebatur, tanto præpotens Deus eum ſublimiùs erigere pergebat.

Quo exemplo, fratres non ſolùm miram fidei virtutem, quæ in beatiſſimo Patre fulſit, ſed etiam humanæ gloriæ periculum intelligere licet: cum eam vir ſanctiſſimus, & ſupra firmã Euangelij petram ſtabilitus vſque adeò exhorruerit, vt mare tranſire & in vltimas terrarum oras fugere decreuerit, ne opus illud, (quod tantam ei gloriam allaturum fuiſſet) euulgaretur. O quã diſſimilia ſunt carnalium & ſpiritualium hominum ſtudia! Nos inanem gloriam per tela, per ignes terra mariq; conquirimus; hic autem vir diuinus ſolidam gloriam, ceu peſtem quandam terra mariq; fugere deſtinabat.

Sed quanto magis ille gloriam propter humilitatis cuſtodiã

fugiebat

fugiebat tanto maiore illum Dominus honore prosequebatur. Oblata est igitur illi occasio qua magnificentissimum aliud miraculum occultari non potuit. Contigit enim virum Dei apud sanctum Sixtum cum tribus illustrissimis Cardinalibus, eiusdémque domus Abbatissa, & cunctis monialibus de earundem institutione tractare. Ecce autem his omnibus cum sancto viro astantibus (vt ea res diuinitùs gesta euidenti miraculo declararetur) vir quidam eiulans, & comam vellens voce horribili exclamat; Eheu, eheu. Cunctis exterritis, & sciscitãtibus quid haberet, respõdit: Nepos Stephani Cardinalis ab equo cadẽs mortuus est. Dicebatur is Neapoleon. Fare prorsus inopinata & miserabili Stephanus Cardinalis patruus eius attonitus atq; perculsus in beatum Dominicũ caput reclinauit, alij verò excipientes sustulerũt eum. At sanctus Pater surgens, aquam benedictam in Christi nomine ei aspersit. Porrò frater Tancredus dixit ad virũ Dei, Vbi est pietas tua pater? vbi nunc fides in Dominũ? Cur pro salute adolescentis non oras Deum? Tum vir Dei egressus ibat ad cadauer, miseranda concussione, & immodica dissipatione horribiliter deturpatum Iussit autem illud in quasdam ædes inferri. porrò F. Tancredo, & aliis qui cum ipso erant, dixit vt pro sacrificio offerendo altare sibi præparatent. Ibant ergo Cardinales cum suis, & Abbatissa cum sanctimonialibus ad locum vbi vir beatus erat hostiam salutarem immolaturus. Cum autem iam astatet ad aram cum summa, vt solebat, reuerentia, immenso perfusus est lacrymarum imbre, Spiritu sancto flante, cũque corpus Christi purissimis manibus in altum eleuaret, cunctis qui aderant, spectantibus, & stupentibus, ipse pariter cubiti vnius altitudine à terra eleuatus est, corpus terrenũ & graue animi deuotione & spiritu gratiæ sursum attollente. Oblationis inde ministerio piissimè peracto, vir beatissimus ad corpns defuncti, Domini misericordiam imploraturus, accessit. Sequebãtur eum Cardinales cum famulis suis, item Abbatissa cum sororibus suis, cum mœrore & fiducia, quid in sui nominis gloriam Dominus facturus esset ignorantes. Stans autem vir piissimus ad corpus extinctum caput, & cætera membra conquassata, ipsosque pedes manu sua contrectauit, suis locis accuratè & commodè omnia componẽdo. Deinde ad preces iuxta feretrum se contulit. Cunque hunc in modum secundò & tertiò feciſſet, surgens ab oratione, signo crucis eum consignauit; stansque ad caput defuncti, sublatis in cœlum manibus, diuina virtute ipse plus quam cubito vno suspensus in aëre, magna voce clamauit, Adolescens Neapoleon, in nomine Domini nostri Iesu Christi

1. *Reg.* 12.

tibi dico, surge, Confestim videntibus cũctis, qui ad tam grande spectaculum confluxerant, sanus & incolumis surrexit, dixitque ad virum Dei, Pater, da mihi quod edam: Moxq; vir pius dedit ei cibum & potum, sanúmque & hilarem, nec vllũ cõtriti corporis vestigiũ habentem reddidit venerabili viro Stephano Cardinali. Iacuerat exanimis à mane vsque ad horam nonam. Quàm multa sunt fratres, quæ in hoc diuino opere mirari possumus; Et quidem, ne cui de hoc tanto ac tam insolito miraculo vlla dubitatio subrepat, meminerit illud non in angulo, aut intra priuatos parietes, sed in frequentia ac luce populi Romani gestum fuisse. Nam & de casu ac morte adeò nobilis adolescentis rumor per totam vrbem perlatus est. Excitationi autem eius tres Cardinales, totidémque eorundem familiæ, & magnus ille virginum cum Abbatissa sua chorus interfuerunt. Quis igitur adeò impudens esset, qui ea tempestate hoc miraculum fingere potuisset, cuius testimonio tot testes, tam multi, támque idonei refragari potuissent? De hoc igitur opere, quamuis adeò stupendo atque mirabili, nulli sanæ mentis homini dubitare licet. In quo quidem cùm multa sint admiratione digniſſima, illud ego cum primis admirandum iudico, potuisse virum sanctum in tanta spectatorũ frequẽtia sic à sensibus abstrahi, & in Deũ eleuari, vt corpus etiam simul cùm spiritu à terra sublatum in aëre pẽderet. Si hoc enim illi aut in solitudine, aut in abditissimo loco degenti contigisset, vbi nihil esset quod orantis mentem interturbaret; non adeò mirum esset, sed quòd in media populi turba posito hoc illi contigerit, id verò maximè mirabile est. Si enim magnus ille Antonius orientem Solem accusabat, quòd eius luce oculi corporearum rerum obiectu intentionem animi eius aliquatenus impedirent; cùm is tamen in deserto vitam ageret, si beatus item Siluanus, dum hortulum foderet, oculos ita contegebat, vt terram solùm aspiceret, ne per alia diffluentes oculi animi eius intentionem à Deo auocarent; cuius admirationis est, beatum Dominicum tanta spectatorum multitudine astante, & rei exitum expectante, potuisse sic mentem suam colligere, & omnes animæ suæ vires sic ad interiora reuocare, vt ipsum etiã graue ac ponderosum corpus à terra eleuaretur, hoc mihi planè non minus mirum, quàm defuncti corporis suscitatio videtur. Et quidem apparet virum sanctũ diuina reuelatione præuidisse, mortuũ illum esse in omnium cõspectu ad vitã reuocandum, quo miraculo omnipotens Deus vellet & multorum fidem confirmare, & ordinis à se instituti gloriam illustrare, & seruum suum magnificẽtissimo illo opere honorare. Qua

re. Qua quidē diuina bonitatis dignatione vir ſanctus vſque adeò in conditoris ſui amorem exarſit, vt graue corpus ſpiritum ad ſupera in amplexus cæleſtis Sponſi tendentem ſequeretur. Cur enim ardentiſſimo amore non flagraret, qui ſe Dei filio, Lazarum à mortuis excitanti, ſimilem quodammodo fieri cerneret? Si enim idem filius Lazarum ad vitam reuocaturus, ob *Ioan.11.* inſigne illud miraculum, quo erat eius gloria illuſtranda, eleuata voce gratias egit cæleſti Patri, dicens, Pater gratias ago tibi, quia ſemper me exaudis, quo mentis ardore beatus Dominicus eidem Patri gratias egit, cùm ſe in hoc opere Dei filio, & vniuerſorum hęredi ſimilem quodammodo fieri vidit. Hoc etiam exemplo diuinæ prouidentiæ curam atque ſollertiam animaduertere licet, cuius eſt attingere à fine vſque ad finem fortiter, & diſponere omnia ſuauiter. Volebat enim humanæ ſalutis a- *Sap.8.* mator Dominus in Eccleſia ſua nouum ordinem inſtitui, cuius profeſſores ſtudium ſuum ad animarum ſalutem conferrent, ideóque eius ordinis auctorem & parentē hac tanta ſignorum claritate voluit apud homines illuſtrare, vt parētis gloria in ordinis à ſe inſtituti gloriam & firmamentum cederet. Olim quidem Dominus duci Ioſue, quem ipſe populo ſuo præfecerat, Iordanis aquas ad eius imperium ſurſum reflecti voluit, quo populus per arentem alueum tranſiret, vt hoc nouo miraculo eius populi fidem atque obedientiam erga illum ſtabiliret; itaq; ad illum ait, Hodie incipiam exaltare te coram omni Iſrael, vt *Ioſue 3.* ſciant quòd ſicut cum Moyſe fui, ita & tecum ſim. Cùm igitur beatiſſimus Pater intelligeret, voluiſſe Dominum hoc nouo & inſigni miraculo & ſeruum ſuū, & ordinis à ſe inſtituti gloriam illuſtrare, tanto erga illum amore exarſit, vt eius mens hanc adeò mirabilem in omnium conſpectu ecſtaſim pateretur. Hac enim ratione præclara Sanctorum cœpta felices exitus ſortiuntur. Deinde illud etiam conſiderandum eſt, qua ſe religione vir ſanctus ad hoc opus antè parauerit. Eliſæus Propheta pſaltem *4. Reg.3.* ad ſe adduci præcepit, vt ſuaui illa modulatione mens eius in Deum ſublata, diuina acciperet reſponſa. At beatus Pater Dominicus ad fontem gratiæ, hoc eſt, ad Euchariſtiæ ſacramētum acceſſit, in cuius celebratione, lacrymarū flumina ex charitatis ardore emanantia ab eius oculis frequentiſſimè erumpebant, & ad illud omnes qui variis calamitatibus premerentur, cōfugere docuit. In quo opere illud etiam mirabile eſt, quòd vir ſanctus flagrantiſſimo miſerationis affectu humanæ gloriæ metum ſuperauit. Qui enim paulò antea, cùm puerum infantem à morte excitaſſet, & Pontifex Maximus ingens illud miraculum

ad fidei confirmationem promulgari voluisset, & vir sanctus adeò ægrè hoc tulisset, vt se maria transmissurum minatus fuerit, si miraculum illud in publicum proderetur, modò ingenti miserationis affectu superatus, periculum illud diuina ope fretus, contempsit, nec spe sua fraudatus est, qui tam mirabili ac stupendo opere in media vrbe Roma spectantibus Cardinalibus edito, nullo humanæ gloriæ affectu eius mens aspersa fuit. Quis igitur non hic apertè videat, virum sanctum in mundo agentem, mundo penitus mortuum soli Deo viuere? Fœlices vos fratres qui talem parentem habetis, sub cuius institutis & disciplina militatis, fœlices qui talem apud Deum aduocatum atq; patronum nacti estis: fœlices, qui hoc tantum fidei atque virtutum omnium exemplar ante oculos positum habetis, si tamen vitam vestram huic exemplari conformare studeatis, ne illos imitremini, qui cùm de Abrahamo patre gloriarentur, Abrahæ
*Io. 8.* opera sectari derrectabant. Hæc autem sancti viri humilitas eo mirabilior extitit, quòd ex eo tempore tantæ veneration hominibus fuit, vt quocunque pergeret, certatim ad eum omnes currerent, vestium q̃ue oras ita discinderent, vt vix illius genua vestis tegeret. Cum q̃ue socij eos qui hoc facere tentabant, à viro sancto repellerent, ille ad socios conuersus, Sinite, inquit, illos fidei suæ satisfacere.

Quamuis autem opus hoc admirationem omnem superare videatur, dubius tamen animi sum, an, quod modò subiiciam, sit mirabilius. Cuidã enim religioso patri, illiúsque familiari amico secretò reuelauit, se nihil vnquã à Dei benignitate petiuisse, quod assecutus non fuerit. Hoc autem quid aliud est quàm hominem
*Psal. 33.* quodammodo omnipotentem fieri? Quis igitur hoc exẽplo non
*Isaiæ 58.* apertè, videat, verum esse quod Propheta dicit, Oculi Domini super iustos, & aures eius in præces eorum, & quod idẽ Dominus per Isaiam polliceatur cùm ait; Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet, clamabis, & dicet, Ecce adsum. Quàm prõptam vir sanctus obedientiã Domino exhibebat, qui tam promptam erga se Domini misericordiam experiebatur! Hoc enim ideò miraculis cæteris mirabilius esse dixi, quòd hoc non semel atque iterum, sicut cætera miracula, sed frequentes ipsi contingerit.

III.

Sunt autem alia minora, quæ tamen diuinæ erga illum charitatis, & paternæ prouidentiæ clarissima indicia sunt. Quo enim minora erant, quorum summa illa maiestas coram gerebat, hoc maiorem erga illum dilectionis vim ostendebat. Cùm vir sanctus prædicando discurreret, crebro fluuiolum Aregiam pedibus

pedibus transibat. Accidit autem, vt libri, quos in sinu ferebat, dum se succingeret, in medias aquas laberentur. Tum ille benedicens Deum cuidam religiosæ matronæ id indicauit. Tertiò die piscator, capiendis illic piscibus intentus, cum se speraret grandem piscem hamo extracturum, libros extraxit vsque adeo inuiolatos, ac si in bibliotheca asseruati fuissent. Quod miraculum ea res mirificè amplificat, quòd nec panum, nec quicquam munimenti habebant codices, præter beati viri merita. Eos matrona cum ingenti gaudio Tolosam misit seruo Dei. Addam aliud huic non dissimile miraculum. Traiecit quandoque cum multis aliis vir sanctus quendam fluuiũ: Is autem qui eos transuexerat, importunè denarium ab illo pro naulo exigebat, Respondit ei vir sanctus, Seruus Dei sum, & discipulus Iesu Christ, Argentum & aurum non est mihi, mercedem regni cœlorum tibi promitto. Quod miser ille villipendens, instit acrius, & sanctum vt per cuculam trahens, Aut cuculam, inquit, hic relinques, aut denarium persolues. Tum ille sublatis ad cœlum oculis parumper intra se orauit, moxque in terram aspiciens, denarium diuino nutu illic iacentẽ vidit, aitque homini, Ecce frater tolle quod petis, & me liberũ in pace dimitte. His exemplis, fratres animaduertere licet, qualem superna illa maiestas filiorum suorum curã & prouidentiã gerat: quippe quæ non ad maiora solũm, sed ad minima etiam eorum negotia curanda se demittere non dedignetur. Quæ mihi non tam prouidentia, quàm materna quædam suauitas & indulgentia esse videtur. Seneca, accerrimus alioqui inter Stoicos prouidentiæ defensor, nequaquam tamen eam ad minutissima quæque prouidenda descendere arbitratur, ait itaq; Nunquid à Deo sperandũ est, vt bonorum virorum sarcinas seruet? At diuersum planè his exemplis animaduertimus: cùm Dominus serui sui res minimas, hoc est, amissos libellos, quos sinu gestabat, duplici miraculo, & à piscatore inuentos, & ab aquarum humore intactos illi restituendos curauerit, & naulum etiam, vt exactori flagitanti satisfaceret, cælitus prouiderit. Cæterum quo vir sanctus charitatis ardore æstuauerit, quo spiritus gaudio exultauerit, cum his argumentis talem erga se omnipotentis Dei curam & prouidentiam contemplatus est, non est facultatis nostræ hoc verbis consequi. Nec minus tamen sancti Patris spes quàm charitas his miraculis aucta est. Quis enim à Deo non speraret, qui tantam hanc eius erga se benignitatem & indulgentiam experiebatur? Quo enim studio curaret maiora, qui in his etiam minimis sic fideli seruo suo prospiciebat?

Actor. 3.

Senec. 4.

Quid igitur ex his quæ hactenus dicta sunt, colligere licet, fratres? Multa sanè, si in his Domini operibus philosophari rectè sciamus. Constat planè salutis nostræ fundamentū & initiū in diuinæ bonitatis cogitatione positum esse. Eius enim consi-
2. Cor. 5 deratio ad ipsius amorem (in quo Christianæ vitę summa constituta est) nos vehementer accēdit. Hanc autem bonitatem, dum in hac vita sumus, & per fidem, non per speciem ambulamus, per maxima illa beneficia, quæ in bonos confert, præcipuè cognoscimus. Quāta enim illa bonitas est, quæ bonos viros tanto amore prosequitur, quæ tam solicitam eorum non in magnis solùm, sed in minimis etiam curā gerit, quæ sic dæmones, sic omnis generis morbos, sic insuperabilem mortem, sic postremò elemēta omnia & naturæ leges quæ solius Dei imperio pa-
Simil. rent, eorum imperio & voluntati subiecit? Si enim amoris magnitudo magnificis operibus & beneficiis agnoscitur, quo pios Dominus amore complectitur, quando quæ sibi vni reseruauit, in illos confert: vt hac ratione apertè doceat, amicis suis bona quoque sua esse communia? Ad Regum filios pertinet, vt in paterna domo famuli omnes filiorum imperio perinde atque parentis obtemperent. Hunc autem honoris principatū Dominus amicis suis confert, vt in ampliſſima huius mundi domo, quam Deus inhabitat, cuius famuli omnes creaturæ sunt, sic eæ omnes amicorum Dei præcepris, atque ipsius conditoris imperio pareant. Quid igitur hoc esse dicā, nisi homines ipsos, hoc est, exiguos vermiculos ad supernæ diuinitatis consortiū euehere? Quia enim illi se totos cōditoris sui obsequio tradiderunt, ipse vicissim se illis totum tradidit; quia illi se fideles erga illum seruos præstiterunt; ipse fidelem se illis Dominū exhibet, quia illi filiorum affectu Deum vt parentem dilexerunt, ipse illos vt chariſſimos filios paterno prosequitur affectu, quia ipsi sanctiſſimam eius voluntatem pleniſſimè impleuerunt, ipse contrà erga eos implet; quod per Prophetam pollicitus est, cùm ait,
Psal. 144 Voluntatem timentium se faciet & deprecationem eorū exaudiet, & saluos faciet eos. Deniq; quia ipsi nihil eius amori prætulerunt, non opes, non honores, non voluptates, non patrem, aut matrem, aut filios, non postremò vitam ipsam, ita is nullam inferioris huius mundi creaturam ab eorum obsequio exemptam esse voluit. Quis igitur tam ferreus esset, tamq; sui ipsius inimicus, vt hanc tantam Dei erga se amicitiā non tota animi contentione atque ardore expetat? Quis hanc tantam summi Dei bonitatem & fidem erga suos non tota mente, totisque viribus diligat? Quis in tantę huius pulchritudinis amorem,

si

si quidem id fieri posset, non se totum conuertere studeat: O mortalium auaritia, quæ tantum perituris & caducis rebus inhias, O ambitio, quæ tanto ardore futiles honores, & variantis fortunæ ludibria conquiris, cum tamen has tantas diuinæ bonitatis & magnificentiæ opes fastidias, Quid hoc aliud est, quàm iumentorum more inanes paleas & fœnum auro & margaritis anteferre? Sed dicetis forsitan, Hæc tam magnifica priuilegia, quæ hactenus percensuisti, non omnium, sed paucorum, hoc est, sanctissimorum virorum sunt. Sit ita sanè, sed ea tamen, quanta sit illa bonitas, quanta erga pios charitas, quæ totum nostrum amorem suo sibi iure vendicat, apertissimè declarant. Non excitabis mortuos, sed tamen ille te in peccatis mortuum, sempiternæ morti addictum, si ad illum conuersus fueris, suscitabit, non sanabis ægrotantium corpora, sed is tamen lethalia animæ tuæ vulnera sanabit, non fugabis à corporibus obsessis dęmones, sed (quod est multò salutarius) ab anima tua eos pellet. Quamuis igitur ad aliorum salutem miracula patrare tibi minimè concedatur, hęc tamen paterna Dei cura & prouidentia, quæ ad tuam ipsius salutem maximè pertinet, tibi parata & promissa est. Nec ad hoc in longinquas oras proficiscì, aut maria transmittere, aut ingentes opes insumere necesse est. Hoc enim tantum opus in tua modo voluntate situm est, si vitiis repulsam dare velis, si diuinis legibus obedire constituas, si non peccata modò, sed omnes etiam peccandi causas fugias, si assiduis precibus misericordiam Domini deprecaris, si ad sacramentorum, hoc est, cęlestium medicamentorũ opem & medelam confugias, si panem tuum esurienti tribuas, si prauas dæmonis suggestiones in ipso primo aditu atque cõgressu celeriter abs te abigas. His enim rebus in gratiã & amicitiã Domini recipieris & in ea stabilieris, ac sic tandem ad sempiternæ hæreditatis gloriam, quæ fidelibus Dei seruis in cælo parata est, feliciter peruenies.

IN

In festo B. Laurentij Concio prima ; in qua post Euangelicæ lectionis explanationem , laborum tolerantiam atque patientiam ad virtutem , & sempiternæ gloriæ coronam obtinendam esse necessariam, multis rationibus, & præcipuè beatissimi Laurentij Martyris exemplo comprobatur.

THE. *Qui amat animam suam,perdet eam,& qui odit animam suam in hoc mundo,in vitam æternam custodit eam.Ioan.12.*

HODIERNA sancti Euãgelij lectio,fratres charissimi, Dominicæ passionis fructũ, simul & exemplũ,quod imitari debeamus,breuiter exponit. Huic autẽ doctrinæ tradendæ Gentiles quidam ( qui ascenderunt vt Dominũ in Ierusalem adorarẽt)occasionem Domino præbuerunt.Hi namque audita mirabilium operum eius fama , eiusque videndi desiderio incensi,Philippum adiere, hoc illi desiderium suum declarantes. Philippus autem hoc ipsum Andreæ significauit , & vterque Domino. At Dominus, qui altissima semper mysteria animo versabat,hac occasione,hoc est,pio Gentilium desiderio commotus,de gentium conuersione,quæ sacratissimæ passionis suæ merito & sacrificio iamiam perficienda erat, differere cœpit his verbis:

*Amen dico vobis , nisi granũ frumenti cadens in terram mortuũ fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Appositissima comparatione seipsum frumenti grano in terram iacto similem facit. Vt enim huiusmodi granum , nisi moriatur, ipsum quidem integrum manet, nullum tamen alium fructum profert,at si gremio & humore terræ confotum intereat, & radices altiùs iaciat, calamis & culmo erigitur, & vberem ex se messem profert,ita si granum illud,quod ex cęlesti horreo in terram decidit,integrum,hoc est,à morte & crucis supplicio liberum permansisset, ipsum solum inter homines æterna salute potiretur , ac si per passionis & mortis suę sacrificiũ scelera nostra expiauerit ( quæ aditum nobis in cælestes illas sedes intercludebant) innumerabiles secum homines fœlicitatis & gloriæ suæ consortes,passionis suæ merito,effecerit. Non enim pecudum strage ( quæ ex natura sua nullius apud Deum meriti est) sed pretiosi corporis & sanguinis sui oblatione litauit , in qua (præter infinitam offerentis personæ dignitatem) perfectissima obedien-

obedientia, altissima humilitas, flagrantissima erga Deum & homines charitas, insuperabilis & inuicta patientia, & plenissima erga miseros misericordia mirabiliter eluxerunt. Quæ quidem virtutes gratissimæ cælesti Patri fuerunt, qui solo virtutum & sanctitatis suauissimo odore mirificè pascitur & oblectatur. Huius igitur tanti sacrificij merito, hominibus (quibus primi parentis vitio infensus fuerat) placatus propitius iam & amicus effectus, amici in illos officia exercere cœpit, dum omnes in eos gratiarum & donorum suorum opes atque thesauros copiosissimè effudit. Vnde factum est, vt barbaræ immanesque nationes, feris moribus, & diis commenticiis repudiatis, se Christi seruatoris sui imperio adiungerent, & pietatis ac veræ religionis cultu, meritisque virtutum sempiternam sibi salutem compararent; & illius gloriæ participes efficerentur, cuius meritis, & sanguine à diaboli seruitute, & peccati iugo redemptæ fuerant. Hic est igitur copiosus ille electorum omnium fructus, qui ex cælestis huius graui morte consecutus est: qui omnes hoc tantum salutis suæ beneficium vni illi acceptum referentes, in Apocalypsi Ioannis magna voce clamant: Redemisti nos Domine in sanguine tuo ex omni lingua & populo, & natione; & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes: & regnabimus super terram. Ap. 5.

Subdit autem illico Dominus: *Qui amat animam suam, perdet eam & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Quorsum hæc? Opportunè admodum, ad multorum videlicet errorem eliminandum, qui existimant, ita salutem suam à Christi Domini passionis merito constitutam fuisse, vt sine vllo suo labore & pietatis cultu se illam adepturos arbitrentur. Hos ergo admonet, illis quoque exemplo suo laborandum, & quatenus cuiq; licuerit, carnem suam cum vitiis & concupiscentiis esse crucifigendam, & salutari odio prosequendam Hoc enim mentibus vestris altissimè infixum esse vellem, fratres, tria potissimum in Christi Domini passione esse diligenter consideranda, & quid vnum quodque eorum à nobis exigat ponderandum; nempè sacrificiũ, beneficium, & exemplum. Et quidem sacrificio, Dei filius Patrem placauit; beneficio autem homines ad sui amorem pellexit, exemplo autem suo ad virtutum suarum imitationẽ compulit. Sacrificio igitur spes nostra roboratur, beneficio charitas accenditur, exemplo autem patientiæ eius ad imitationem inuitamur. Ad hoc verò postremum nos hortatur, cum subdit, *Qui mihi ministrat, me sequatur.* Sequimur autem Dominum non gressibus corporis sed passibus mentis, hoc est, imitatione laborum atque virtutum, vt videlicet quemadmodum ipse amplexatus Ga. 5.

plexatus est crucem, vt obdientiam Patris impleret, ita nos crucis mortificationem in corpore nostro circumferamus, vt diuinę legis præcepta fideliter exequamur. Huius igitur doctrinæ summa est, vt quoniam Christianæ vitæ finis in charitate positus est, nihil autem post lethale peccatũ, charitati magis quàm immodicus sui amor obsistit, aduersus hunc amorem sic arma capiamus, vt pro hoc amore sanctum nostri odiũ mentibus nostris infigamus, Hoc enim dominante perfectus Dei amor locum in nobis habere nõ potest. Quod quidem euidens fiet, si vtriusque amoris collocatione facta, quantum inter vtrumque intersit, inspiciamus. Primùm enim Dei amor omnes vitæ actiones in Deum tanquam in vltimum vitæ finem, refert, amor autem sui, quæ agit omnia, ad seipsum dirigit, seque vltimum vitæ suæ finem statuit. Ille solam Dei gloriam, cum sua etiam ignominia, captat, hic nullam diuini honoris, sed sui tantum curam gerit. Ille prius vitam, & omnia vitæ commoda quàm charitatem amittere paratus est: hic cuiusuis vtilitatis gratia diuinas leges violare non veretur. Ille castigat corpus suum & in seruitutem spiritus redigit, hic totus in oblectanda carne molliterque tractãda semper intentus est. Ille soli Deo, iste soli carni & seculo placere & obsequi cupit. Ille diuinis eloquiis, sacrisque lectionibus & precibus pascitur, huic omnia diuina eloquia, omnisque spiritualium rerum commentatio tædio & fastidio est. Ille suauiter & iucundè cũ Deo, tanquam cum amico dilectissimo, loquitur & cõuersatur, hic ab omni hac suauitate & consuetudine alienus est. Ille grauibus & seriis rebus, hic iocis & lusibus semper intentus est. Ille cœlestia atque diuina, hic terrena solum cogitat. Ille silentio, iste loquacitate gaudet. Ille publicum fugit, & solitudinẽ amat, vt solus soli Deo vacare possit, iste frequentiam diligit, vt inter homines humana solùm atque terrena tractet. Hinc in sanctissimis quibusque viris tantus ardor ab hominibus secedendi, & deserta loca penetrandi extitit, vt diu noctuque diuinæ pulchritudinis contemplationi sine vllo impedimento vacarent. Cuius rei memorabile, inter alia, extat beati Arsenij exemplum, à quo cũ Theophilus Alexãdrinæ vrbis Episcopus, eiusque socij sermonem aliquem spiritualis doctrinæ postulassent, ille facturũ se respondit: si sibi, quod ab eis peteret, concederetur. Illis annuentibus ait, Hoc à vobis flagito, vt vbicunq; Arseniũ esse audieritis, eò nunquã accedatis. Cumq; iterum idem Theophilus facultatem illius adeundi per nuntium petiisset, ille respondit: Quod postulas concedam, sed hoc tamen loco cedam. Cur autem vir sanctus se ab hominibus adiri adeò ægrè pateretur, breui respon-

reſpon ſo declarauit. A quodam enim Abbate interrogatus cur id faceret, ſe cum Deo & hominibus ſimul omnino eſſe non poſſe reſpondit, vſque adeò vel modica alicuius interpellatione ſe à diuinæ contemplationis dulcedine auocari indignè ferebat. Liquet igitur ex hac tam longa collatione, quantum inter Dei ſuiq́ue ipſius amorem interſit. Atque vt paucis rem omnem abſoluam, Dei amor virtutes omnes; ſui autem immodicus amor omnia vitia parit. Veriſſimè enim à diuo Auguſtino dictum eſt; Radix bonorum omnium charitas: radix verò malorum omnium cupiditas. Vnde conſequens eſt, vt nulla ratione vterque amor in eadem ſimul mente cohabitare poſſit; ideoq́ue alter pellendus eſt, vt alteri locus ſit. Expelli autem amor noſtri non poteſt, niſi ſpiritualem crucem & mortem mentibus noſtris affigamus: tunc enim animus noſter verè Deo viuit; cuius vita in charitate eſt; cùm ſibi fuerit mortuus. Quiſquis enim Deum diligit, viuit, qui non diligit, mortuus eſt. Quocirca rectiſſimè cæleſtis magiſter ait; *Qui amat animam ſuam, perdet eam.* hoc eſt, qui immoderato amore corporis vitam diligit, ſeq́ue totum illius obſequio & voluptati tradidit, is planè non vitam animæ ſolum, ſed corporis ſimul cum anima vitam ſempiternæ morti addicit. *Qui verò odit animam ſuam;* hoc eſt qui ſalutari ſanctoque odio carnem ſuam proſequitur, qui eius ſemper cupiditatibus obſiſtit, qui turbidos illius motus & impetus frangit, qui eam ieiuniis & inedia ſubigit & macerat, ne aduerſus ſpiritum inſoleſcat, & ſeſſorem excutiat; hic planè carnem ſimul cum ſpiritu ad ſempiternam vitam ſeruat. Hinc Diuus Bernardus quibuſdam ſeculi hominibus, qui monachorum eius abſtinentiam, & aſperrimum vitæ cultum accuſabant, quòd videlicet ſeipſos odio habere viderentur (quippe qui hoſtili odio corpora ſua proſequi viderentur) prudentiſſimè reſpondit, Vos, inquiens, eſtis qui corpora veſtra odio habetis; quandoquidem propter temporariam & exiguam voluptatis illecebram ad acerbiſſimam eam mortem nullo vnquam tempore finiendam damnatis. Sic igitur perditi homines cùm ſeipſos nimium diligunt, oderunt: contrà verò pij cùm ſeipſos ſalutari odio proſequuntur, veriſſimè diligunt. An verò ſeipſum Diuus Hieronym. odio habebat, cùm ſe, vt ipſe ait, gehennæ metu, aſperrimo vitæ cultu quaſi ad carcerem damnauerat? Immo verò tunc ſe maximè diligebat, cum temporariæ pœnæ æternam euadere curabat. Hoc item modo ſe ipſos (vt Ioannes in Apocalypſi ait) ſancti Martyres odio habuerunt; qui non dilexerunt animas ſuas vſque ad mortem, hoc eſt, qui corporis vitam propter fidei confeſſionem perdiderunt.

Augu. 1. Tim. 6. 1. Io. 3. Bern. Hiero. Ap. 12.

ideoque

ideoque ſempite nam vitam pro temporaria percipere meruerunt. Quod pleniſſimè beatiſſimus Laurentius præſtitit, qui non vno mortis genere, ſed multis hanc vitam mercatus eſt.

Quia verò ſic ſe odiſſe propter vehementem amoris proprij vim, difficile admodum eſt maximum illico Dominus huius odii præmium proponit, vt quos operis difficultas terret, mercedis magnitudo ad laborem inuitet. Vbi enim dixiſſet, *Qui mihi miniſtrat, me ſequatur:* ſubdit protinus; *Et vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit.* Magna ſanè fœlicitas, & qua nulla maior eſſe poteſt, vt (quemadmodum D. Auguſt. ait) ibi ſit adoptatus, vbi eſt vnicus. Additque deinde, *Si quis mihi miniſtrauerit, honoriſicabit eum Pater meus.* Cur hoc honorandi hominis officium præcipuè exhibuit Patri, cum ipſe quoque hoc etiam præſtare queat? Certè quia nihil aliud vnigenitus Patris filius in vita quàm Patris honorem & gloriam quæſiuit, ſicut ipſe ait, Pater manifeſtaui nomen tuum, hoc eſt, nomi-

*Aug.*

*Io. 17.* nis tui gloriam hominibus. Et iterum. Ego te clarificaui ſuper ter-

*Ibid.* ram. In huius ergo fideliſſimi obſequij præmium, hoc ſuſcipit Pater, vt qui filio ſuo fuerint obſequentes, illique (vt ipſe ait) fideliter miniſtrauerint, ſempiternis atque diuinis honoribus ab ipſo afficiantur. A quo honore perfecta laus, pleniſſima fœlicitas, & ſumma gloria eſt. Hactenus de Euangelica lectione, nunc ſententiã verbis thematis comprehenſam tractare incipiamus.

## TRACTATIO THEMATIS.

### I.

Inter varios multorum hominum errores, quibus miſerè implicati ſunt, non poſtremus is eſt, quem in hodierna ſancti Euangelij lectione cœleſtis magiſter eliminare præcipuè voluit. Sunt enim multi qui paſſionis eius merito fidentes, ſine vllo ſuo labore aut contentione cœleſtis regni præmium ſibi pollicentur. Tales igitur ab hoc errore vindicare Dominus volens, *Qui amat*, inquit, *animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitã æternam cuſtodit eam.* Et iterum, *Qui mihi miniſtrat, me ſequatur, & vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit.* Cum ergo fideles omnes auidiſſimè cum Chriſto regnare cupiant, cum Chriſto tamen pati, & calicis eius participes fieri recuſant. Regnum quidem cœlorum deſiderant; iter tamen, quo ad hoc regnum peruenitur, omni ratione fugiunt. Volunt ſine certamine vincere, & ſine victoria coronari. Sãctorum gloriam appetũt, ſed Sanctorũ vitã imitari detractãt. Portũ quidẽ fœlicitatis auidiſſimè concupiſcunt, nauigatiõis tamẽ laborem

laborem,quæ ad illum perducit,vehementer exhorrent. Nolunt in lacrymis seminare & volunt tamen cum exultatione metere. Diuimamquidem gloriam & fœlicitatem desiderãt,sed diuinos mores induere nolunt. In vtroque igitur seculo fœlices,in vtroque beati esse cupiunt, quod tamen fieri nulla ratione potest. Impossibile quippe est,vt homo ex delitiis transeat ad delitias, vt hic ventrem expleat, illic mentem:& in vtroque seculo primus,in vtroque fœlix habeatur. *Psal.* 125.

Aduersus hunc autem communem multorum errorem & præsens sancti Euangelij lectio, & omnia sanctarum scripturarum volumina apertè militant. Quia verò homo rationis est particeps, & rationibus magis quàm testimoniorum auctoritate gaudet,rationes hodie afferam,quibus hunc errorem apertissimè refellam.

Principiò igitur constat,cæleste gloriam,quę in aperta diuinæ pulchritudinis visione cõsistit,supernaturale Dei donũ esse. Nulli enim creaturæ;non dico humanæ, sed ne Angelicæ quidem,hoc naturæ lege,ne per diuinam quidem potentiã,conuenire potest. Cùm igitur finis, ad quem tendimus, talis sit, ea quoque quæ nos ad illum ducũt eiusdem ordinis & dignitatis esse debent. Vnde consequens est,vt vita,quæ nos ad hũc finem ducit, talis esse debeat, vt non humana, sed diuina,non communi aliorum hominum more,sed singulari quadam & supernaturali virtute instituta esse videatur. Quam rem non obscurè illa Ioannis verba indicant, qui de huiusmodi hominibus loquens,ait,Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri,sed ex Deo nati sunt,hoc est,qui repudiato prioris natiuitatis ingenio & affectibus carnis cõculcatis atq; compressis,non vt cæteri filij hominum, sed vt filij Dei vitam longè diuersam agunt. His etiam adde, quòd quemadmodum finis,ad quem tendimus, supra hominis naturam positus est:ita gratia quæ nos ad illum dirigit, supernaturalis quædam forma mentibus nostris indita & impressa est. Cúmque iuxta Philosophorum traditionem,actiones omnes formæ naturã & conditionẽ sequantur,efficitur,vt quoniã forma gratię,quę nos diuinos esse,diuinæq; naturæ(vt Petrus Apostolus ait)participes efficit, diuina quoque in nobis & spiritualia opera moliatur. Nemo autem hæc opera moliri, & hanc spiritualem atque diuinam vitam degere sine labore,studio, & contentione poterit. Cùm enim tantùm inter carnalem & spiritualem vitam discrimen sit,fieri nullo modo potest, vt homo spiritualem vitã,nisi carnali extincta & eliminata, degat. Vt enim nemo in stabulo *Ioan.* 1. 2. *Pet.* 1. *Simil.*

regium

regium palatium extruere poteſt,niſi ſtabulo prius diruto, ita qui pectus ſuum immanium ferarum, hoc eſt, variarum cupiditatum ſtabulum fecerat nequaquam illud in Dei templum erigere poterit,niſi ſtabulo prius deiecto,feriſque omnibus ab eo exturbatis,quod ſine labore & contentione fieri nullo modo poterit. Expugnandus enim eſt immodicus amor ſui , qui imis viſceribus eſt infixus. Expugnandi quoque cæteri affectus, qui ab hoc eodem amoris fonte procedunt. Affligendum & extenuandum corpus,ne aduerſus ſpiritum ferociat,atque à ſede ſua deiiciat. Senſuum oblectamenta repudianda ; linguæ frenum iniiciendum,oculorum laſciuia comprimenda,cordi cuſtodia adhibenda ,peccatorum occaſiones vitandę,prauorum hominum conſortia fugienda,oratio quoque frequentanda eſt;qua diuinæ gratiæ opẽ aduerſus naturę lapſę incentiua,aſſiduè poſtulemus. Iam verò ſi anteactæ vitæ vitia diuturna conſuetudine armata ſunt,acrior nobis contentio & pugna capeſſenda eſt , & contra duplicem hoſtem dimicandum. Videtis ergo fratres neminem hanc cœleſtem & ſupernaturalem vitam ſine labore & certamine tueri poſſe,cum tota vis naturę lapſæ atque inueteratæ conſuetudinis ſuperanda,& peccati regnum exſcindendum ſit? Vt enim ſupra naturam aſſurgamus , natura prius ſubiicienda & calcanda eſt,cuius vires potentiſſimæ ſunt. Hæc igitur prima laboris & certaminis noſtri cauſa eſt, ſi ſupernaturalem & cœleſtem beatitudinem volumus adipiſci. Hoc enim modo illã Apoſtoli ſecuti ſunt,quibus à Domino dictum eſt,In patientia veſtra poſsidebitis animas veſtras,hoc eſt ſempiternam animarum veſtrarum ſalutem,paſsionum&laborum meritis obtinere debetis. Ad hoc ipſum autem nos Apoſtolus inuitat,cum ait, Ne ſegnes efficiamur,ſed imitatores eorum qui fide & patientia hæreditabunt promiſsiones. Vtrumque Apoſtolus neceſſarium eſſe dixit,fidem videlicet,& patientiam. Fides enim initium,patientia verò virtutum omnium adiumentum , & complementum eſt.

*Luc.21.*

*Hebr.6.*

II.

Altera verò laboris & patientiæ cauſa,variæ hoſtium noſtrorum inſidiæ atque certamina ſunt. Vt enim cum Dei templum & ſanctæ ciuitatis mœnia , poſt Babyloniæ captiuitatem,ædificabantur,pars hominũ operi inſtabat,pars verò armata , hoſtiũ impetus,opus ipſum impedire volentium,ſuſtinebat;ita , quoniam nos quoque cum ſpirituale Dei templum(quod non lapidum ſerie,ſed virtutum ſtructura fundatur)ædificare volumus,

*3.Eſd.6.*

ab ho-

ab hostibus circunsedemur, duplici cura & labore indigemus: nempe vt virtutes, quibus illud extruitur, assequamur & hostium vim, qui nos ab hoc opere reuocare volũt, repulsemus. 1. Pet. 5. Est enim truculentissimus hostis dæmon, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, aduersus quem nos arma capere ac decertare monet Ecclesia, cum ait: Estote fortes in bello, & pugnate cum antiquo serpente, & accipietis regnum æternum. Est & caro nostra familiaris & domesticus hostis, quẽ & nutrire, & nobiscum circumferre necesse est, qui tamen cõmoditatibus suis intentus, perniciem germano spiritui perpetuo machinatur; à quo tamen eximio amore diligitur, ideóque infensior & periculosior hostis habetur. Hæc est enim velut altera Dalila, quæ virum suum deliciis emollitum in potestatem tradidit hostium suorũ; ea verò sub vnico carnis nomine nõ vnum, sed plures secum hostes affert; hinc Propheta, Miserere, inquit, mei Domine, quoniam conculcauit me homo, tota die impugnans tribulauit me. Conculcauerunt me inimici mei tota die, quoniam multi bellantes aduersum me. Quinam isti? Omnes animi nostri affectus, omnes carnis nostræ sensus, qui quoniam carnales sunt, spiritualia fastidiunt, & ad carnalia (quemadmodum caro ipsa, à qua proficiscuntur) semper aspirant. Caro enim legi Dei subiecta non est; nec enim potest; hoc est, ex natura sua (nisi aliunde regatur) non habet, vnde alia, quàm quæ sibi sunt cognata & similia, videlicet carnalia, concupiscat. Qua quidem concupiscentia vehementer germanum spiritum ad intemperantiæ suæ consensum trahit.

Iudic. 10. Psal. 55. Rom. 8.

Est tertius quoque hostis, mundus, hoc est, perditorum hominum societas: inter quos, nisi in deserta loca secesseris, vitam agere necesse est. Inter tot autem malos bonum esse, inter tot scorpiones vitam agere, neclædi: super prunas ardentes ingredi nec comburi, inter tot laqueos incedere, nec irretiri: inter tot postremo prauorum hominum exempla & iniurias vitam agere, nec innocentiam amittere, diuinæ virtutis & gratiæ opus & beneficium est. Non enim frustra Saluator ait, Quia abundabit iniquitas, refrigescet multorum charitas. Nec sine causa regius Propheta ad Dominum clamabat, Saluum me fac Deus, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum, nisi quod intelligeret, quantum iustitiæ atque innocentiæ periculum perditorum hominum contubernio & quotidiano conuictu immineret.

Matt. 24. Psal. 11

Cùm igitur tot hostibus vndique circũsedeamur, totque modis impetamur, an nõ necesse est aduersus illos spiritualia arma

capere,& pro vallo muriſqúe excubare,& in acie ſemper armis illis inſtructum eſſe, quæ nobis ſtrenuus ille huius militiæ dux
*Epheſ. 6.* capere ſuadet,hoc eſt firmam in Deo ſpem,inſuperabilem fidem,loricam iuſtitiæ, orationis præſidium quibus à dextris & ſiniſtris,hoc eſt,in ſecundis & aduerſis rebus muniti incedamꝰ ne aut illis efferamur,aut iſtis animo concidamus. Quis autem, aduerſus tot hoſtes dimicare ſine labore & cõtentione poterit. Nec enim ſternendo aut dormiendo,vitámque omnem in ludo & otio inſumẽdo,& vigilem ſenſibus & cogitationibus noſtris cuſtodiam adhibendo, turbidóſque luxurianris animi noſtri motus comprimendo hæc victoria paratur. His enim virtutibus Sancti omnes inſtructi,his muniti præſidiis pericula à ſe omnia propulſarunt,de atrociſſimis his hoſtibus triumpharũt, his armis innocentiã tutati ſunt. In cuius rei argumentũ Ioan-
*Apoc. 7.* nes in Apocal. ſe illos ante Dei thronum vidiſſe ait candidis veſtibus anuictos palmaſque in manibus geſtantes, canderet autem veſtium,eorum innocentium,palmarum autem geſtatione (quod partæ iam victorię inſigne eſt) glorioſos eorum triumphos & victorias deſignauit. Igitur nunc quidem certandi atq; laborandi, tunc regnandi,triumphandi, & partæ iam victorię ſpolia colligendi tempus erit. Tunc enim oraculum illud,quod vox è cœlo demiſſa ad eundem Ioannem detulit,fideliter implebitur. Audiui, inquit, vocem de cœlo dicentem mihi,Scribe,hoc eſt oraculum quod tibi nunc denuncio, digniſſimum
*Apoc. 14.* eſt quod non voce tenus, ſed congruentibus etiam litteris ad poſteritatis memoriam, & piorum hominum,in curriculo pietatis laborantium,ſolatium conſignetur. Arripe igitur calamum Ioannes,& ſcribe. Quod igitur ſcribam ? Beati inquit mortui qui in Domino moriuntur. Amodo enim iam dicit Spiritus,vt requieſcant à laboribus ſuis,opera enim illorum ſequuntur il-
*Ibidem.* los. Hæc igitur vos, fratres, ad laborantes è cœlo demiſſa eſt, hos Dominus appellat, his requiem poſt laborem promittit. Qui igitur vitam omnem ſine vllo pietatis aut laboris fructu conſumunt, qui ſupra Chriſti dorſum ſalutis ſuæ ſpem fabricantes vitam omnem in luxu,in ſumno,in ſocordia in voluptatibus carnis,& in omni vitiorum intemperantia conſumunt,ad hanc requiem minimè vocantur. Hæc igitur ſecunda piorum laborum cauſa eſt,fratres,quæ ex hoſtium noſtrorum impugnatione colligitur.

Eſt & tertia, quæ ex Dominicæ paſsionis exemplo ſumitur, quã in ſacra huius diei lectione cæleſtis magiſter aſsignauit,qui vbi mortis ſuæ & ſalutaris fructus,qui ex ea ſecuturus erat,mẽ-

tionem

tionem feciſſet, protinus ad eiuſdem mortis imitationem ſpe cæleſtis mercedis inuitat? cum ſubdit, *Qui amat animam ſuam perdet eam, & qui odit animam ſuam in hoc mundo* (quod ego in paſſione mea vitam morti exponendo feci) *in vitam æternam cuſtodit eam.* *Num. 9.* Ergo Dominicæ paſſionis ſacrificium non deſides & inertes manet, ſed eos qui grata & voluntate beneficium accipiunt & quatenus licet redemptoris ſui paſſionibus configurari, hoc eſt ſimiles fieri nituntur. Vnde myſticus ille agnus; cuius immolatione Iſraeliticus populus ab Ægyptiaca ſeruitute erat liberãdus (qui veri agni Chriſti in cruce pro nobis immolati imaginem præferebat) cum lactucis agreſtibus manducari præcipiebatur, vt intelligeremus, paſſionis Dominicæ fructum non ad homines voluptuoſos & Epicureos, ſed ad eos qui eiuſdem paſſionis amaritudinem, compaſſionis affectu, & aſperioris vitæ amaritudine ſectari conantur.

III.

Quiſquis igitur virtutis amore captus eſt, fortitudinis & conſtantiæ virtutem ſibi tanquam ſponſam indiſſolubili vinculo copulare debet, ſéque totum illius ſtudio atque amori addicere. Aiunt Venetiarum Ducem quotannis cum mari ſponſalia ſolleminter celebrare, atque in huius fœderis ſignum anulum illi *Simil.* porrigere. Quo ſymbolo innuere vult, præcipuum ſtudium ſuum in claſſibus inſtruendis verſari debere, quod maximum eius ditionis munimentum in hoc præſidij genere conſtitutum ſit. Ad hunc ergo modum virtutis cultor laborum patientiam in ſponſam ſibi dilectiſsimam aſſumere debet, ſéque totum illius ſtudio adiungere. Hac enim vna re facilè virtutum omnium compos effici poterit. Nihil enim homines ab hoc ſtudio deterret, niſi difficultas, & labor, qui virtutibus implicitus eſt. Qui autem ſic Dei amore fuerit incenſus, vt quo illum pleniùs demereatur: non modo laborem non recuſet, ſed etiam auidè concupiſcat, nihil habebit quod ipſum à virtutis ſtudio remouetur, cùm virtus natura ſua vt nobiliſſima, ita iucundiſſima atque gratiſſima ſit. Contrà verò qui ſic corporis deliciis atque voluptatibus deditus eſt, vt laborem omnem fugiat atque detrectet, hunc neceſſe eſt virtutum omnium expertem, atque adeò hoſtem eſſe, & ne vllũ laborem excipiat, omnẽ à ſe virtutẽ excutiet. Quid igitur hoc homine infœlicius, qui adeò ſe impotentẽ ad omnẽ honeſta tis elegantiã feci? Quid verò illo fœlicius, qui ſolius patientiæ beneficio viam ſibi facilem ad omnia virtutum officia muniuit? Quibus igitur laudibus hæc patientiæ virtus prædicanda eſt,

quæ tantam homini dignitatem & gloriam prębet.

At inquies, Difficile admodum eſt vt homo, qui in ſui ipſius amorem adeò propenſus eſt, adeoque ſuauitatis amicus, laborem, quem natura ipſa refugit, auidè concupiſcat. Non abnuo difficile hoc eſſe, ſed ampliſſimus tamen vtilitatis fructus nos ad hanc moleſtiam deuorandam impellere debet. Vtrumq; autem Salomon ſub ſtrenuæ mulieris imagine nos docuit, cùm ait: Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius. En virtutis huius difficultas ſimul & rarităs. Cęterum eius deinceps mirabiles fructus toto hoc capite percenſet. Sequitur enim, Confidit in ea cor viri ſui, & ſpoliis non indigebit. Reddet ei bonum & non malum omnibus diebus vitæ ſuæ. Cæteræ deinde virtutum & officiorum laudes, quas idem Salomō enumerat, ab hoc vno fortitudinis fonte manare docet. Quo vno argumento quàm latè fortitudinis huius fructus & laudes pateant, intelligere licet. Si igitur fortitudo hæc omnia bona parit, & à malis omnibus immunem hominem conſeruat, quanto illam ſtudio atque amore complecti par eſt?

*Prou. 31.*

*Ibidem.*

Quid verò ſempiterna illa merces, quæ virtutum laboribus in cælo repoſita eſt? An non hæc etiam animos noſtros ad omnem virtutis laborem per ſe ſola excitare poterit. Si nemo athleta ſine labore coronatur, quomodo illam ſempiternę gloriæ coronam ſine vllo labore adepturos ſperamus? Conſiderate quæſo diligenter fratres, ſic ab auctore Deo res omnes inſtitutas, vt nihil magnum ſine labore mortalibus cōtingere voluerit, quod multarum rerum exemplis intelligere licet. Nemo ferè patrimonium ſuum augere & cumulare ſine magnis laboribus terra mariq; exantlatis poteſt. Nemo ad virtutis & perfectionis culmen ſine diligenti ſtudio & labore peruenit. Nemo ſapientiam, variarumque rerum ſcientiă, niſi magno ſtudio, magnisque vigiliis, vnquam adeptus eſt. Quam rem diſertiſſimus Demoſthenes declarauit, qui interrogatus, qua ratione ſingularem illă dicendi facultatem adeptus eſſet, Plus, inquit, olei quàm vini cō ſumendo. Quid verò duces & imperatores? quis horum victoriam ſine ſudore & ſanguine obtinuit? Quid hi, qui nominis gloriam immortalitati conſecrarunt. An non hi per tela per ignes id quod quęrebant aſſecuti ſunt: Quid dulces nati, quàm acerbis parentis doloribus in lucem eduntur, quàm multis laboribus educantur? Poſtremò quid ipſa pretioſa metalla, argentum & aurum, referam? An non ea naturæ conditor in imis terrę viſceribus latere voluit, vt niſi ſummo labore & periculo erui inde non poſſent, Si ergo nihil pretioſum aut magnum ſi-

*Simil.*

*Demoſthenes.*

ne

ne maximis laboribus homini cõtingere mundi opifex & moderator voluit, quis adeo demens erit, qui ſummum illud & infinitum bonum (cui cætera omnia ſeruiunt) ſine vllo virtutis ſtudio atque labore parari poſſe credat? Quale enim illud bonũ eſt, in quo bonis omnibus, quæ humana mens cogitatione cõprehendere poteſt, beati omnes perfruẽtur? Quale illud bonum eſt, à quo omnis amaritudo, omnis languor, omnis timor, omnis cura & ſolicitudo, ac omne denique malũ lõgiſſimè abeſt? Quale erit inter ſanctorum Angelorum & Archangelorũ choros ſedem habere, ad opulentiſſimam illam Dei menſam cum Apoſtolis accumbere, immenſæ illius pulchritudinis contemplatione paſci, incircũſcriptum lumẽ videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari? Quale poſtremò erit diuinæ fœlicitatis & glorię particípem fieri, & in ipſum Domini ſui gaudium, fidelibus ſeruis promiſſum, nunquã inde amplius exiturum intrare? An nõ igitur dignũ erit pro hoc tãto bono adipiſcendo vel omniũ etiã Martyrũ tormẽta tolerare, ne dum exiguũ virtutis labore perferre? Si enim tam multa ſeculi homines propter exigua illa & infima bona; quæ paulo ante cõmemorauimus, patiũtur, quis quæſo ſtupor, quæ cæcitas, quę inſania eſt, pro cæleſti illa corona (cui omnia quæ cæli ambitu continentur comparata exigui pulueris inſtar ſunt) minimum virtutis & iuſtitiæ laborem perferre nolle? vnde, quęſo hæc tam denſa humanarum mentium caligo? vnde hæc tam deteſtabilis & execranda vecordia? Certè hoc vno exemplo aduertere licet quàm ſit apud multos extincta & mortua charitas, quàm infirma fides, quàm languida & mortua ſpes, vtpote quę nullum in mentibus noſtris ſummi illius boni deſiderium, nullam amoris ſcintillam excitat. Sic enim credimus, quaſi prorſus non crederemus; ſic ſperamus, vt nulla promiſſi & ſperati boni cura & cupiditate tangamur; quando nullum prorſus pro eo adipiſcendo ne leuiſſimum quidem laborem perferre dignamur. O deplorandam hominum cæcitatem! ô incredibilem humanarũ mentium ſtuporem!

IIII.

Quanto aliter Chriſti Martyres ſe geſſerunt; qui nullos cruciatus, nulla tormentorũ genera pro hoc tanto bono adipiſcendo recuſarunt. Vt prudentiſſimi enim mercatores terrena contempſerunt, vt inuenirent cæleſtia: temporaria reliquerunt, vt poſſiderent æterna; vitam corporis ad horam neglexerunt, vt animę ſimul & corporis vitam, & ſempiternam gloriam mercarentur. Mitto nunc alios, vnus nobis Laurentius ſatis erit, qui *Simil.*

tam multis atque horrendis cruciatibus hoc tantum bonũ mercatus est. Primum enim cum beatum Papam Sixtum ad carcerem trahi videret; vnde ad martyrij palmam processurus erat, tanto fuit simul pariendi desiderio incensus, vt sanctum Pontificem his vocibus compellaret. Quo progrederis sine filio pater? quò sacerdos sancte sine ministro properas? nunquid degenerem me probasti? Experire certè vtrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem. At sanctus Pontifex bono illum animo esse iubet, fore pollicens vt ne quaquam desiderata martyrij corona fraudandus esset. Interim tamen Ecclesiæ thesauros eius fidei commissos pauperibus distribui iussit, ne in sacrylegas tyrannorum manus deuenirent. Quod ille officium mira deuotione & alacritate obiuit. Noctu enim fidelium indigentium latebras exquirens, primum quidem eorum pedes summa animi & corporis demissione & charitate abluebat, fusisque multis super eos lacrymis deuotissimè osculabatur, ac postremò larga illis manu subueniebat. Quod vbi factum est, iterum patiendi desiderio inflammatus, lætus ad patrem rediit, Noli inquiens, me derelinquere pater sancte: quia iam thesauros tuos expendi quos tradidisti mihi? At ille, Non, inquit, ego te desero fili, neque derelinquo: sed maiora tibi debentur pro fide Christi certamina. Nos quasi senes leuioris pugnæ cursum suscepimus; te autem quasi iuuenem manet glorioſior de tiranno triumphus. Post triduum me sequeris Sacerdotem Leuita. Hac voce commoti carnifices Laurentium apud Imperatorem deferunt, Christianum illum & thesaurorum Ecclesiæ custodem esse proclamantes. At Tyrannus fidei nostræ odio incensus, & auaritiæ facibus inflammatus, Diis sacrificare & thesauros prodere Laurentium iubet, ni mallet omnia tormentorum genera experiri. Quid hic sanctus adolescens? Nũ ad imperatoriæ maiestatis præsentiam expauit? Num tormentorum immanitate ante oculos posita aut metu concidit, aut ali quantulum titubauit, aut demissa voce verbum aliquod fide sua indignum protulit? Minimè vero; sed incredibili constãtia Deo plenus; quasi ante sordidum quendam hominem astitisset vocẽ illam emisit, quam mundus expauit, dæmones exhorruerunt, & Angeli in cælo demirati sunt: Infelix, inquiens, Imperator qui me istis machinis terrendum putas? ista mihi non arma, sed ludus, non tormenta, sed virtutis excitamenta, non gladij, sed ludicra puerorum territamenta sunt; ista me tu miser formidare putas? Has epulas ego semper optaui, tantum abest vt illas formidare debeam. Cumque Tyrannus respondisset: Dic ergo vbi

tui

tui similes sunt,vt simul epulemini,ille contrà,admiranda diuini Spiritus vi confirmatus, non minus generosè quàm antea, Non es,inquit,dignus eorum aspectibus præsentari. O inuicta fides! ô flagrantissima charitas! ô certa futurorum spes, quanta est potentia tua! Quo enim maiori conuicio potuit ille orbis Monarcha dehonestari,quàm cùm audiuit indignum se eorum aspectu esse quos omnium mortaliũ vilissimos iudicabat? Iam mihi videtur Laurentius non in terra, sed in cælo quodãmodo esse,vnde iam Deo plenus,& insublimi loco positus,ac de felicitate sua securus,talia in illum orbis Monarcham conuicia iactare non timebat. Mundo enim excelsior factus,quid mũdus aduersus eum moliri posset,non agnoscebat.

Quid Tyrannus? Hac tanta (vt ille putabat) contumelia irritatus,totusq; furiis dæmonum inuectus,& in furorem rabiemque conuersus, scorpionibus immanissimè Martyrem cædi iussit,vt hoc tormentorum genere quam aduersus illum conceperat, rabiem expleret.Nec sic tamen exatiatus, quasi parum esset totum Martyris corpus, scorpionibus lacerum & cruentatum, sanguinisque riuos ex eo vndique fluentes cernere, aliud flagellorum genus, nempe virgarum adhiberi iussit, quo verbera veiberibus,& vulnera vulneribus addita, Martyris constantiam frangerent. Qui tamen quo vehementius cædebatur,eo fortior atque cõstantior reddebatur.Sed nec sic tamẽ Tyranni rabies& furor conquieuit. Tertium enim flagellorum genus,multo dirius, hoc est, plumbata proferri iussit, quo videlicet sauciatum & lacerum scorpionibus & virgis corpus plumbata contunderent,& ossa confringerent. Sic factum est, vt in toto Martyris corpore nulla pars vulnere & sanguine vacaret. At crudelis Tyrannus ne hoc quidem cruore exatiatus,Sacrifica, inquit,Diis, sin minus,nox ista in tuis expendetur suppliciis. Cumque sanctus Martyr hoc sacrilegum facinus, & facinoris auctorẽ libera & constanti voce detestaretur,ignis,& craticula,& furcæ ferreæ parantur, sanctissimumque corpus ferreis nexibus constrictum,in craticula, suppositio igne,ponitur,& furcis ferreis comprimitur. Ibidemque iam tostus atque combustus ad impiissimum Tyrannum lætissimo vultu dixit, Assatũ est, iam versa, & mãduca,quia iam video quod diu desideraui,& clarissima voce inuictum spiritum per manus Angelorum in cælestes mansiones deportandum tradidit. Quis,quæso fratres, ad hanc Martyris vocẽ attonitus nõ miretur & obstupescat? Alij cùm vruntur, præ acerbissimi doloris magnitudine contineri nequeunt, quin voces & clamores in cælũ tollant,at hic nouus homo in-

ter craticulam ignis & mortem positus adeò non clamat, vt dicteriis etiam & facetiis ludat, & astantem Imperatorẽ irrideat. Vnde hęc tam noua & inaudita virtus? vnde hæc adeò miranda fortitudo atque constantia? Non vtique à fragili natura carnis & sanguinis (quæ doloris magnitudine victa succumbit) sed à vulneribus & meritis Saluatoris. Gratias tibi Christe Redemptor tuæ agimus creaturæ, qui infirmitate tua imbecillitatem nostram roborasti, & suppliciis atque doloribus tuis infractos Martyres ad omnia suppliciorum genera fecisti. Miratur antiquitas vnum illum Scæuolam Romanum potuisse subiectę faci immotum brachium sustinere: nos Laurentium, nos Vinceritiũ, nos innumerabiles Martyres, nos etiã teneras virgines & puellas dabimus, quæ toto corpore ignes, cruces, craticulas & eculeos infracto animo Christi virtute cõfirmatæ sustinuerũt.

Sed ad Laurentium rediens, paucis cum illo agere volo. Quid, quæso, nunc beate Martyr agis; quæ cogitationes versantur in animo tuo? Mille iam anni à possione tua fluxerunt, vt quibus vnius tantùm diei & noctis laboribus cũ inæstimabili gloria frueris: nunc autem infinita annorum spatia supersunt, in quibus eadẽ gloria fruiturus es. Quas ergo gratias tantæ fœlicitatis auctori ages, qui & in tormentis salutari gratiæ suæ ope, & Angelico ministerio, & miraculorum gloria confirmauit, ac diuinis armis sepsit, & modo te claritatis & gloriæ suæ in omni seculorum æternitate consortem facit? O quàm fœlices nunc illos tuos agones & certamina iudicabis? fœlices craticulas, felicia vulnera & verbera, quæ momento temporis exacta, sempiternam tibi gloriam, sempiternam requiem & laudem pepererunt? Quàm velles (si id quidem fieri posset) mille iterum craticulis propter tantę fœlicitatis auctorem aduri, qui te non in cælis modò, sed in terra quoque adeò glorioſum fecit? Quem enim ex sanctis Martyribus tanta sollennitate per totum orbem terrarum Ecclesia celebrat? Passionis tuæ diem sollemnem & festum esse voluit, hunc verò diem indicto omnibus ieiunio præueniri voluit, septem exinde diebus laudes tuas prædicat, varia vbique terrarum altaria tibi & templa dicauit, craticulæ tuæ sole ipso splendidiùs fulgent. Templum magnificentissimum, ac toto terrarum orbe celeberrimum, craticulis tuis per omnes angulos insignitum, inuictissimus Hispaniarum Rex Philippus nomini tuo consecrauit, quo die clarissimam illi victoriam tribuisti. Vbique glorioſus, vbique & in cælis, & in terra fulges, vniusque diei tormentis omniũ seculorum fœlicitatem promeruisti. Hoc igitur exemplo discimus,

fratres,

fratres, exiguum & breuem virtutis laborem non horrere, & sempiternam nobis ex eo fœlicitatem partum iri certò cofidamus. Flagret saltem in nobis Christi charitas, & facile erit omne difficile, Nihil enim charitate potentius, nihil adferendos labores fortius. Quid, quæso, non tolerat charitas parentum ob educationem filiorum? Hanc igitur assiduis precibus à Domino postulemus, sic enim fiet, vt oratio charitatem impetret, charitas laborem toleret, labor perfectam in nobis virtutem pareat, virtus sempiternam nobis gloriam & fœlicitatem largiatur.

In festo beatissimi Laurentii martyris concio secunda; in qua, post Euangelicæ lectionis enarrationem ad dolorum atque miseriarum, quibus hæc vita referta est, tolerantiam adhortamur, ad quod nos beatissimi Laurentij inuicta fortitudo & patiẽtia inducit.

*Thema. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Ioan. 12.

IRIA ad hanc vitam rectè degendam maximè esse necessaria Sapiens quidam docet, nempe prudentiam, amicitiam atque patientiam: quæ quidem ille breuiter his memorabilibus verbis expressit: Oculus vitæ prudentia, sal vitæ, amicitia, baculus vitæ, patientia. Ex his porrò tribus vitę nostræ fulcimentis tertium hoc, quod patientiæ virtutem commendat, in pręsenti concione tractare constitui, quòd hoc nec ab Euangelica lectione, neque à beatissimi Laurentij die festo abhorrere videatur. Cùm enim inter Martyrum laudes (quos nobis ad imitandum Ecclesia proponit) patientia præcipuè commendetur, alienum vtique non est de laborum atque dolorum tolerantia in eorum festis differere. Quàm sit autem hic patientiæ baculus ad innumeras huius vitæ molestias leniter sustinendas necessarius, res ipsa, & quotidiana, quibus infestamur, mala satis indicant. De hac igitur adeò necessaria virtute dicturi, & solatia nonnulla his qui cum assiduis miseriis conflictantur, præbituri, cælestem opem sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

*Simil.* Quemadmodum nobilissima inter creaturas Sol splendorẽ suum liberalissimè ita vbique diffundit, vt nihil neque in cælo,

neque in terra sit,quód lucis &splendoris illius expers sit sic ea bonitatis natura est,vt se vbique diffundat,& opes atque diuitias suas liberalissimè in omnes elargiatur.Hinc fit, vt summa illa &immensa Dei bonitas.omnibus benefacere, omnes ad se allicere,de omnibus bene mereri,in omnes opes suas effundere mortalesque omnes ad fœlicitatis & gloriæ suæ communionẽ (cuius eos capaces condidit) inducere nunquam cesset.Nihil enim odit eorum quæ fecit:quin & omnes homines(vt Apostolus ait) vult saluos fieri,& ad agnitionem veritatis venire.

*Sap.10.*

Huius autem rei gratia non vnam aliquam parandæ salutis rationem,sed multas esse voluit,vt qui minus vna poterant incedere, alia ingrederentur via.Omnes tamen ad duas præcipuè referuntur,quarum altera mandatorum,alteta consiliorum,hoc est,altera imperfectorum , altera perfectorum est. Vtramque enim cœlestis magister pio cuidam adolescenti proposuit,quẽ primum quidem mandata seruare , deinde rebus omnibus renuntiare, eásque pauperibus erogare monuit. In sacra autem huius euangelij lectione omnes quidem , sed eos porissimum instituit,qui mortis & crucis suæ exemplo,mortificationis crucem in omni vita portare decreuerunt, per quam , viam sibi ad cœleste regnum munierunt.Sic igitur ait,

*Matt.19.*

*Amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet , si autem mortuum fuerit , multum fructum affert.* Hac eleganti comparatione Dominus (qua se frumenti grano in terra iucto similem facit) & passionis suæ ignominiam,& eiusdem passionis incomparabilem fructum breuiter ostendit.Neque enim diuinæ sapientiæ est,rem omnium maximè mirabilem.,exignæ alicuius vtilitatis gratia moliri.Quid autem maius aut mirabilius,quàm summi rerũ omnium Domini mors atq; supplicium?Finis enim, & ea quæ ad finem instituta sunt,eiusdẽ ordinis & dignitatis esse debent.Magnus igitur fructus ex hoc tam magno & stupendo opere sequendus erat.

*Apoc.7.*

Si quis autem quærat, quisnam cœlestis huius grani fructus extiterit,Ioannem in Apoc.audiat, qui postquam centum quadraginta quatuor millia electorum ex tribubus Israelis enumerasset,vidisse se ait turbam magnam , quam dinumerare nemo poterat,ex omnibus gentibus,& populis, & linguis qui stabant ante diuinę maiestatis thronum,amicti stolis albis , victricésq; in manibus palmas gestantes. Totus igitur hic electorum numerus ex hoc fecundissimo grano productus est. Ex hoc enim innumerabilis Martyrum exercitus prodiit: ex hoc myriades sanctorum Pontificum & Confessorum:ex hoc purissimus sanctarum

ctarum Virginum chorus:ex hoc item clariſſima Monachorum & Anachoritarum examina : ex hoc denique quidquid electorum in libro vitæ ſcriptum eſt. Omnes enim iſti in ducẽ ſuum in edito crucis loco poſitum,oculos coniicientes,& mirabilem eius charitatem,patientiam,conſtantiam,obedientiam,fortitudinem & humilitatem,reliquáſque eius virtutes conſiderantes, ab eo ſpiritum & virtutem traxerunt,quibus & mundum,mundíque delicias, & pompas contemnerent, & per varios labores atque certamina ſuum ducem ſequerentur. Quid verò mirum, ſi Saluator propoſito ſibi huius tam multiplicis fructus gaudio libenter mori voluerit,vt tam copioſus fructus ex huius graui morte prodiret?

Quia verò Saluator noſter nõ ob hoc ſolùm paſſus eſt,vt nos mortis ſuæ merito & ſacrificio redimeret,ſed etiam vt exemplo ſuo nos ad ſui imitationem,hoc eſt,ad laborum patiẽtiam atq; tolerantiam induceret, ſubdit protinus : *Qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam:* hoc eſt:Quiſquis carnis ſuæ affectus, variáſque cupiditates,& procliuitatem ad malum ex originalis peccati morbo contractam conſiderat,& quantum eius nos ingenium atq; natura à cœleſtium & ſpiritualium rerum commentatione abducat,& ad terrena atq; carnalia bona (quæ ſibi cognata atque germana ſunt) pertrahere nitatur, animaduertit:atque hac de cauſa totum ſtudium ſuum in ea frenanda & cõterenda eiúſq; vitiis & cupiditatibus crucifigendis atque mortificandis ponit: is planè hac ſpirituali morte,& ſalutari odio,non quidem eam extinguit,ſed in vitam æternam cuſtodit. Itaque dum carnem ſuam odit,amat:dum amat,odit:dum illam molliter nutrit,perdit:dum verò illi necem infert,in vitam æternam ſeruat.Quantum autem nos hoc ſalutare carnis noſtræ odium ad amorem erga Deum conſequendum adiuuet,paucis indicabo.

I.

Eſt igitur ſciendum, perfectæ amicitiæ proprium eſſe, vt qui verè amat, & amicorum eius, quem amat, amicus,& inimicorum inimicus exiſtat. Talis enim amicitiæ affectus non ſolum in eum qui diligitur,ſed in alios etiam tranſit.Quocirca neceſſe eſt,vt qui hoc amore Deum diligit,& amicos eius eximio amore,& inimicos capitali odio proſequatur. Vtrumque autem ſe præſtitiſſe regius Propheta confitetur : illud quidem cum ait: Sanctis qui ſunt in terra eius,mirificauit omnes voluntates meas in eis(pro quo alij verterunt : Erga ſanctos qui ſunt in terta eius,& præclaros,omnis voluntas mea in eis) hoc autem poſte- *Pſal.15*

rius

rius,cum alibi ait; Nonne qui oderunt te, Domine, oderã, & su-
*Psam.* per inimicos tuos tabescebã? Perfecto odio oderam illos, & ini-
*138.* mici facti sunt mihi. Qui sunt autẽ iuratissimi Dei inimici, nisi qui etiã animæ nostræ hostes sunt? Quia enim animæ nostræ salus cũ Dei cultu & religione copulata est, efficitur planè, vt quicunque animæ nostræ inimici sunt, idem etiã Dei hostes necessariò existant.

Cæterum cum inter tres animæ nostræ hostes, caro pręcipua numererur (vt pote quæ familiaris ac domesticus hostis sit, idéque naturali & vehementissimo amore cũ anima nostra copulatus) efficitur planè, vt post lethale peccatum, nullus capitalior Dei & veræ religionis hostis quàm caro nostra sit. Parum enim aut mundus, aut dæmon nobis obesse possent, nisi intra nos satellitem hunc haberẽt, qui illis aditum præbet, & tacitas eorum suggestiones ad animę nostræ aures non solum defert, sed etiã acuit & incendit. Vt enim antiquus olim serpens primum illum generis nostri principem dilectissimæ vxoris suasu atque opera in peccatum impulit; ita nunc idem carne nostra (quam ipse venenato sibilo suo infecit, & in qua aliquid, quod à se manauit, agnoscit) quasi ministro vtitur ad spiritus nostri constantiam tentandam atque labefactandam. Si igitur (vt ad propositum redeamus) perfectæ charitatis est, eius quem diligit inimicos odio habere; consequens est, vt post peccatum (quod summo odio detestandum est) carnem nostram peccati labe infectam, hoc salutari odio prosequamur, quę & amoris proprij, & peccati, & malorum omnium fons & origo est. Hoc autem odio constituto, & nostri ipsorum amore (qui præcipuum diuini amoris im-
*Simile.* pedimentum est) vi eius ab anima nostra pulso, charitas protinus erga Deum in spiritu nostro efflorescet. Vt enim si lapidi, in edito ædificij loco posito, fulcra quibus sustentatur, abstuleris sponte sua illico ad inferiora loca relabitur; ita si spiritui nostro, affectionum & cupiditatũ vincula (quibus ad terram deprimitur & à spiritualium rerum contemplatione & amore deducitur) sustuleris, ad spiritualia protinus (quæ naturæ suæ cognata & finitima sunt) atque adeò ad supremum illum Spiritum (cui fruendo conditus est) protinus rapietur.

*Simile.* Hinc præcipuum Sanctorum omnium (qui ad hunc diuinum amorem aspirabant) studium extitit, sempiternas cum carne sua inimicitias exercere, & aduersus omnes eius cupiditates continenter bellum gerere. Quo enim magis in hoc sancto sui odio proficiebant, eo magis in Dei amore crescebãt. Sunt enim amor Dei, atque sui, velut bilances: in quibus quo magis altera deprimitur

mitur hoc magis altera attollitur. Sui enim amore decrescente, Dei amor crescit, contrà verò vbi sui amor augetur, Dei protinus amor friget.

Sed obiiciet aliquis? An nõ satis erit huic immodico sui amori obsistere, & quæ iniustè appetit, denegare, ne nos in peccati foueam præcipitet, vt necesse non sit seipsum hoc odio prosequi? est hoc planè satis ad communem fidelium vitam, viris tamen studio perfectionis incensis hoc satis nõ erit. Quemadmodum enim qui luctatur cum hoste, non hoc solùm curat, ne ab eo prosternatur, sed illũ etiam prosternere nititur, quo longius à periculo ruinæ absit, sic sancti viri non satis sibi esse putabant, si amoris proprij vi non succumberent, sed illud etiam curabant, vt quatenus fieri posset, illum etiam extinguerent, sanctumq; de sui odium pro illo substituerent, vt hac arte ab amoris sui periculo quàm longissimè abessent. *Simi.*

Sed quæret rursus alius, Qua ratioone hũc in animo affectum potero generare, cui tota carnis militia repugnat? Non alia certè, quàm illa ipsa, qua alij virtutum habitus frequenti vsu generantur & perficiuntur. Vt enim abstinentiæ virtus, assidua inedia atque ieiunio acquiritur, & patientia, frequenti iræ cohibitione, & iniuriarũ atque laborum tolerantia gignitur & alias in anima nostra radices agit, ita sui ipsius odium, hostilibus operibus quibus carnem nostram affligimus, blanda & voluptaria illi cuncta subtrahentes, molestaque ingerentes, omnesque eius libidines & voluptates resecantes, ac postremò hostili animo omnes eius cupiditates expugnantes, ipsius odium atque contemptum paulatim acquirimus. Qui verò contrà faciunt, & pro disciplinæ securitate, molli indulgentia corpus suum nutriunt, illud sanè experiẽtur, quod est à Salomone dictum: Qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum, postea inueniet eum contumacem. *Prou. 29.*

Sed rursus dicet aliquis, Quis adeò inhumanus, & à communi sensu alienus erit, qui hostili animo aduersus carnem suam concitetur, cùm præsertim Apostolus dicat, Nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, ac fouet eam? Quis inquies? Ille certè, qui diligenter considerauerit, eam malorum omnium seminarium, & capitalem animæ nostræ atque Dei hostem esse, adeò vt ne tota quidem inferorum potentia acrius contra animæ nostræ salutem, ac Dei gloriam pugnare, maiusque aduersus diuinitatem bellum gerere queat. Quisquis igitur Deum super omnia diligit, quomodo aduersus hunc atrocissimum Dei hostem non animo cõmouebitur? non eius odio exardescet? non dies noctesque de illius pernicie & interitu cogitabit? Quod si *Ephes. 5.*

magna

magna premia ad magnos labores excitare homines solēt,quod maius huic salutari odio præmiū proponi potest,quam vera sapientia,& flagrātissima in Deum charitas,quæ hoc odio compa ratur?His adde sempiternam animæ salutem:adde vnigeniti Filij Dei societatem,& contubernium:adde postremo singularem cælestis Patris honorem. Hæc enim adeò magnifica præmia nobis præsens sancti Euangelij lectio proponit,cùm ait,*Qui odit animam suam in hoc mundo,in vitam æternam custodit eam.* En salus animæ sempiternæ.Deinde verò addit; *Qui mihi ministrat,me sequatur,& vbi sum ego,illic & minister meus erit.* En Christi societas & fœlicissimum contubernium. Postremò autem addit: *Si quis mihi ministrauerit,honorificabit eum Pater meus.* En summi parentis honor,à quo honorari,summus honor,& vera gloria est.His igitur tam magnificis præmiis propositis,non adeo difficile erit supra naturam,per gratiam,assurgere,& hanc aduersus carnem suam pugnam capessere.

Non sum tamen,fratres,adeò communis fragilitatis ignarus vt tam acriter aduersus vos ipsos pugnare moneam : hoc enim eorum est,qui ad perfectioris vitæ studium aspirant , ad quos huius Euangelij doctrinam pertinere initio diximus.Satis mihi erit,primum quidem , vt contra affectus & cupiditates vestras (vbi cum diuinæ legis præceptis pugnauerint) strenuè atque viriliter decertetis , malitisque Deo interdictæ arboris fructum prohibenti quam serpenti decipienti,aut Euæ,hoc est,carni vestræ blandienti,& lethale venenum propinanti , obtemperare. Deinde,quoniam(vt D.Greg.ait)ille maximè ab illicitis abstinet,qui ea quæ communi lege licent,à se interdum abdicat, illud etiam à vobis requiro,vt si non semper,sæpè tamen communi more concessis(ob illius gratiam,qui nulla sua necessitate,sed sola vestri charitate ductus mortem,cuius debitor non erat,amplexarus est)vobis interdicatis.Itaque aliquando sitim,aliquando famem ob illius amorem ferte:sæpè etiam iocis, ludis & festiuis amicorum colloquiis abstinete:sæpè item linguam , sæpè oculos ab earum rerum intuitu,quæ grata vobis esse potuissent comprimite.His enim veluti rudimentis,virtutum eruditi & assuefacti,facilè hoc sanctum ac salutare odium , imò vero clarissimum supra vos imperium,quouis alio præstantius,obtinebitis. Rectè enim Salomon, Melior est,inquit,patiens viro forti,& qui dominatur animo suo , expugnatore orbium. Hactenus de Euangelica lectione. *Pro.16.*

Nunc ad vos breuiter sermonem conuerto,fratres.Scitis hāc esse arctam illam viam salutis, qua sancti omnes ingredientes

tantam

tantam gloriam & honorem à Christo Domino propositum, per carnis suæ crucẽ adepti sunt. Quid igitur hi dicent, aut quid sibi polliceri poterunt, qui omnes opes & facultates suas, omnes curas & cogitationes suas in carne sua moliter tractanda & oblectanda insumunt:, qui omnẽ pietatis, honestatis & pœnitẽtiæ laborem non minus quàm tactum aspidis refugiunt, qui nullam crucis Christi, nullam cultus animę suæ, nullam incertæ mortis, nullam reddendæ rationis, nullam æterni supplicij curam habent, qui ita viuunt, vt quamuis aliud fide teneant, re tamen ipsa atque vitæ institutione illud dicere videantur, quòd homines Epicurei in libro Sapientiæ dicunt, Exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reuersus ab inferis: quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam si non fuerimus. Venite ergo & fruamur bonis, quæ sunt: & vtamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullũ pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Horum autem miserabilem sortem & exitum Apostolus lamentatur, cùm ait: Multi ambulant, quos sæpè dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est. Quid igitur infœlicius quàm talem Deum colere, talémq; finẽ & vitæ exitũ expectare? Qui igitur talem Deum colunt, qui tota vita ventri seruiunt, nonne magis inter bruta animantia, quę natura prona, atque ventri obediẽtia finxit, quàm inter homines cõnumerãdi sunt? Quo pacto igitur talẽ sedem sibi in cęlo petẽt, qui in terris positi pecudum more viuunt? Et quidẽ nos omnes dũ salutis nostræ sacrificium immolatur, postulamus vt inter Angelos & Archãgelos, inter Thronos & Dominationes, atque adeò inter Seraphicos illos Spiritus socia exultatione & cõmuni voce cõmunẽ Dominũ laudem⁹, dicẽtes, Sãctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth. Qua ergo frõte inter hos choros locũ & vocẽ à Deo petunt, qui in terra pecudũ more vitã ducũt? Quid autem talibus, cùm hoc poscũt, respõderi poterit, nisi quod sanctus ille Patriarcha voluptuario illi diuiti respondit: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autẽ hic consolatur, tu verò cruciaris? In quanto autẽ isti salutis suæ discrimine versentur, apertè Saluator ostendit, cùm ait: Væ vobis diuitibus qui habetis hic consolationem vestrã. Vę vobis qui saturati estis, quia esurietis. Væ qui ridetis nũc, quia flebitis, Quis igitur adeò ferreus erit, qui hæc iudicis nostri non tã verba, quàm

*Sapien. 2.*

*Philip. 3.*

*Luc. 16.*

*Luc. 6.*

ba,quàm fulmina non pertimescat?Sed hæc aliàs.Nunc ad baculũ patientiæ,quem initio proposuimus, quique ad infirmitatem nostram sustentandã maximè necessarius est, reuertamur.

I I.

Cùm multi ac maximi diuinorum eloquiorũ fructus & vtilitates sint,tum ille maximus, maximéque ad huius ærumnosæ vitæ miserias perferendas necessarius est, quem Apostolus expressit,cùm ait:Omnia quæ scripta sunt,ad nostram doctrinam
*Rom.15.* scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Sciebat enim vir diuinus non defuturos vnquam labores & clamitates, quamdiu in turbido & procelloso huius vitæ pelago nauigamus.Hoc autem ipsa miserandæ vitæ nostræ conditio,quæ ad exilium,ad lacrymas,& labores damnata est,facilè declarat.Cùm enim duo sint totius generis humani
*Gene.3.* parentes,alteri dictũ est:Maledicta terra in opere tuo.Et,Multi-
*Ibidem.* plicabo ærumnas tuas,& conceptus tuos:in dolore paries filios. Quid ergo genus hominum ex tali propagatum radice sibi faustum &fœlix in hac vita polliceri poterit?Quid,nisi illud,quod
*Iob.14.* in libro Iob.scriptum est:Homo natus de miliere, breui viuens tempore repletur multis misetris,qui quasi flos egreditur &conteritur,&c.Inter has autem hominum miserias,ea primo loco numeratur, quòd ex tam fragili principio, nempe ex muliere
*Gregor.* ortum duxerit.vt enim D.Gregor.ait, Quid habere potest fortitudinis,qui natus est ex infirmitate? Quòd si (vt Physici definiunt)maximam humano corpori materiæ partem fœmina ministrat:quale id erit quod ex tam vili & fragili materia procreatum emersit?quanta erit corporis infirmitate pressum?quot miseriis implicatum ? quot ægritudinibus circumuolutum ? quot
*Iob.7.* ærumnarum generibus expositum?Denique idem sanctus Iob vitam nostram perpetuam quandam militiam esse ait, diésque
*Greg.in moral.* nostros mercenarij diebus comparati. Quo in loco D. Gregor. Ipsa,inquit, vita nostra militia esse dicitur:quia hoc iam est facta quod tolerat:adeò pœna ipsa in naturam quodammodo versa est.Quòd verò dies hominum, mercenarij diebus comparat, hoc significare voluit:quòd sicut mercenarius seruus,inopia cogente,in continuo labore vitam ducit(quo enim die non laborat,vix habet quo sustentari vitam possit)ita omnis homo,quantum ad laboris conditionem attinet, verè mercenarius est:quia quamuis multi à corporis labore immunes sint,nemo tamen à laboribus animi,&curarũ fluctibus liber est.Pro varietate namque tum delectorum,tum per sonarum, æquissimus ille mundi arbiter varia laborum genera singulis quibusque distribuit: vt

quemad-

quemadmodum nemo à culpa immunis, ita nemo pœnæ laborisque expers sit. Hinc apud eundem Iob gigantes gemere dicuntur sub aquis vt intelligamus, quod quamuis multorum fortuna sublimis sit, & à communibus miserorum laboribus aliena, habet tamen diuina prouidentia atq; iustitia profundiores variarum calamitatum aquas quibus hos mergat, sub quibus ipsi quoque alta suspiria & gemitus edant, quamuis dignitatis magnitudine excelsi & sublimes admodum sint. Hos autem humanæ vitæ turbines & procellas, quibus diuina prouidentia homines iactari patitur, regius Propheta expressit, cùm ait, Abyssus Abyssum inuocat in voce cataractarum tuarum, hoc est, tribulatio tribulationem vrget, & calamitas calamitatē cumulat, & varia vndique pericula circumstant, cùm tu, Domine, peccatis nostris exigentibus, turbines atque procellas calamitatum in huius vitæ pelagus tam frequenter immittis. Iob 26. Psal. 61.

Cæterum ne pij homines hac laborum cōmemoratione perterrefiant, latum discrimen inter piorum improborúmque labores hoc in loco referendum putaui. Cum enim hæc laborū atq; pœnarum lex ad omnes vniuersè siue pios siue improbos spectet, cum omnes in eodem freto nauigent, atq; adeò eadē naui vehantur, hæc tamē inter vtrosque differentia est, quod improbos quidē Dominus laboribus vexandos atque agitandos, pro eo atque eorum scelera exigunt, permittit, vt in illis impleatur quod per Prophetam dicitur, Dereliquistis Dominum, vt derelinqueret vos. Et illud Oseæ, Oblita es legis Dei tui obliuiscar & ego filiorum tuorum, Pios verò, quoniā totamente illi tanquam amantissimo parenti obsequi & placere cupiunt, ipse quoque paterna cura & prouidentia sic laborantibus & periclitantibus adest, vt cùm ceciderint, non collidantur, quia ipse supponit manū suam. Hinc illud Prophetę, Salus autem iustorum à Domino, & protector eorum in tempore tribulationis & adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos, & eruet eos à peccatoribus, & saluabit eos: quia sperauerunt in eo. Hoc ipsum discrimen D. Cyprianus contra Demetrianum assignat his verbis. Pœnam de aduersis mundi ille sentit, cui & letitia & gloria omnis in mundo est. Ille mæret & deflet, si sibi malè sit in seculo, cui benè nōpotest esse post seculum cuius viuendi fructus omnis hic capitur cuius hic solatium omne finitur. Cæterum nullus dolor est de incursione malorum præsentium, quibus fiducia est futurorum bonorum. Deniq́ue nec consternamur aduersis, nec frangimur, nec dolemus neque in vlla aut rerum clade, aut corporum valetudine mussitamus, spiritu magis quàm carne viuentes, firmita 2. Par. 24. Oseæ 4. Psal. 36. Psal. 40. Cyprian. contra Demetrianum.

te animi infirmitatem corporis vincimus. Per ipsa quæ nos cruciant & fatigant, probari & corroborari nos scimus, & confidimus. Putatis nos aduersa vobiscum æqualiter perpeti, cùm eadē aduersa videatis à nobis & vobis nō æqualiter sustineri? Quamdiu enim corpus hic permanet, cōmune cum cæteris sit necesse est. Intra vnam domum boni & mali interim continemur, Quicquid intra domum euenerit, pari sorte patimur, donec æui temporalis fine completo ad æternæ vel mortis, vel immortalitatis hospitia diuinamur. Non ergo idcirco compares vobis & æquales sumus, qui in isto adhuc mūdo & carne constituti, mundi & carnis incommoda vobiscum pariter incurrimus. Nam cùm in sensu doloris sit omne quod punit, manifestum est eum non esse participem pœnæ tuæ, quem videas tecum æqualiter non dolere. Hactenus Cyprianus. Videtis ergo, fratres, cùm boni ac mali variis huius vitæ laboribus exagitentur, quantum inter vtrosque discriminis sit. Si enim diligenter vtrorumque sortem consideres, intelliges, illos quidem sub ardentissimo Solis æstu sine vmbraculo aduri, istos verò diuinarum alarum vmbra profectos à Solis ardore defendi. Illi, velut in media acie, nudi & inermes telis parent hostium suorum (illa Cain verba vsurpantes, Omnis qui inuenerit me, occidet me,) isti verò, diuina custodia armati, clypeoq; diuinę protectionis muniti, inrer medios hostium cuneos tuti & impenetrabiles incedunt. Illi per huius seculi vndas in naui: clauo malóque destituta, ventorum atque fluctuum incursionibus variè iactantur, isti verò in nauicula Christo gubernatore maria saluante nauigant, qui imperat ventis & mari, & fit tranquillitas magna: hoc est, qui & mundi rabiem ac tempestatem sedat, & mentes nostras, inuictas vitiis sepit, ne nos procelles mundi submergat.

*Genę. 4.*

*Lucæ 8.*

III.

Hoc ipsum autem (vt cætera Sanctorum exempla taceam) vel vnius beatissimi Laurentij Martyris exemplo comprobare licet, cui Dominus & patiendi materiam, & robur inuictum, & propensam ad patiendum voluntatem, & alacritatem contulit. Primum enim iscorpionibus, iubente Imperatore (cuius animus dæmonum furiis agitabatur) immanissime toto corpore cæditur & laceratur. Deinde nouo alio flagellorum genere, iisdem temporibus vsitato, hoc est, crudelibus virgis sęuissimè cęditur. Cùm autem glorioſus Christi Martyr, corpore quidem laceto. sed animo tamen integro, quo magis torquebatur, eo fortior, atque constantior in eius confessione persisteret, crudelis tyrannus contemni se putans, & se frustra hæc tentasse indignè fe

tens

rens, aliud flagellorum genus, multo dirius, nempe plumbata afferri iussit; vt quoniam nullus iam erat vulneribus in lacero corpore locus, plumbata corpus lacerum contunderent, & ossa confringerent. Cùm ergo sanctus Martyr mortem sibi iam imminere credidisset, sublatis in cœlum oculis, cœlestem Imperatorẽ his verbis appellat; Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Quid ad hæc Dominus Iesus? O miranda diuinæ sapientiæ consilia! Ad hanc Martyris petitionem clarissima è cœlo vox delapsa est, quam ipse etiam crudelis Tyrannus audiuit, Adhuc multa tibi desunt certamina. Clemẽtissimè Domine liceat mihi tecum paululum ratiocinati. Iustus quidem, Ieremias ait, es tu Domine; si disputem tecum, veruntamen iusta loquar ad te. Cur, quæso, mi Domine, sanctum Martyrẽ tuum diutius atque immanius torqueri vis, cum tam strenuè hactenus diu pro tui nominis gloria decertauerit? Ter iam Martyr effectus est, qui ter tot verberibus, tot plagis laceratus & contusus, nullum habet in corpore membrum quod tibi non obtulerit in holocaustum. Adde incomparabilem animi constantiam, qua Tyranno minitanti respondit, Adde Ecclesiæ thesauros tanta fide & deuotione distributos, adde vitam innocentissimè actam, quam edita miracula probant, adde illam inexplebilem Martyrij sitim, quæ apud iustitiam & æquitatem tuam martyrij instar est. Non igitur doloribus & cruciatibus hominum parceris, qui ad alia grauiora certamina Martyrem vocas? Ad hoc vsque adeo ab immensa bonitate & charitate tua alienum est, vt ne nos vulnerare mur, vulnera nostra excipere, ne nos ad mortem duceremur, tu mortis supplicium subire volueris. Quin & sanguinarios illos parentes odisti, qui liberos suos in falsorum Deorũ honorem iugulabant, quod execrãdum sacrificij genus: tu maximè auersaris. Cur ergo nunc tormenta Martyris, iam penè consumpti, diutius augenda & protelanda, cœlesti voce denuntias? An non periculum est, ne fideles tui tantorum tormentorum metu perterrefacti, concidant & à fide deficiant? O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! ô admirandai ratio diuinorum consiliorum! Hæc sanè dicerent hoc in loco prudentia carnis. At prudentia spiritus miras in hoc diuino consilio rationes deprehendit. Hac enim passionum acerbitate Dñs & Martyrem mirabiliter illustrabat, & nominis sui gloriã, & gratiæ suæ potentiam, & prouidentiæ suæ curam atque solertiam apertissimè declarabat, & Ecclesiæ suæ fidei prudentissimè consulebat ac postremò, quàm sit is in Sanctis suis mirabilis, ostendebat.

*Simi.* 1.

*Rom.* 11.

*Psal.* 67

Quid enim mirabilius (si ab hoc primum incipiamus) quàm

hanc tantam,tamque insuperabilem animi constantiam & for-
2.Cor.5. titudinem in homine fragili carne septo(qui vix culicis morsū patienter ferre potest)deprehendi: Potuit ne Deo, Angelis,& hominibus spectaculum gratius mirbailiusque proponi, quàm Laurentius cum scorpionibus,cum ignibus,cum craticula,cum furcis ferreis,& cum ipso orbis monarcha adeo fortiter & ani-
Senec. mosè decertans?Amplificat Catonis fortitudinem Seneca cum mala fortuna dimicantem,his verbis:Ecce par Deo dignum,vir fortis cum mala fortuna compositus, vtique si & prouocauit: Non video,inquam,quid habeat in terris Iupiter pulchrius, si conuertere animum velit,quàm vt spectet Catonem iam partibus non semel fractis,stantem nihilominus inter ruinas publicas erectum.Hactenus Seneca.Si hoc igitur spectaculum tam gratum Deo fuisse vir hic disertissimus & iustissimus virtutum æstimator credidit,Catonem videlicet inter illos fracti exercitus reliquias animo infracto extitisse, neque Cæsaris arma & potentiam extimuisse,quale quæso spectaculum fuit,adolescentem nudum & inermem,omnique humana ope destitutum,aduersus totam mundi atque inferorum potentiam dimicasse, vicisse, atque triumphasse ? Domuerunt Romani imperatores mundum, & sub iugum atque ditionem suam redegerunt:At hic Romanus Imperator atque orbis domitor, idemque omnibus dæmonum furiis exagitatus,adhibitis omnibus tormentorum machinis(quas vel crudelitas hominum,vel furor dęmonū,vel Imperatoris potẽtia potuit excogitare)adolescentẽ hũc adeo non vicit,neque à fidei suæ cõstantia(quod vnum ille captabat)reuocare potuit,vt is in mediis ignibus & craticula constitutus,& furcis ferreis compressus, adeo non cesserit doloribus vt ad teterrimum Tyrannum victor ignium diceret, Agnosce miser, & re ipsa doctus intellige, me istis tuis ignibus adeò non terreri, vt ij mihi magno etiam refrigerio sint. Agnosce ergo te victum,agnosce te mea fide & constantia superatum, & conatus tuos omnes irritos & inanes fuisse, agnosce totam imperij Romani potentiam ab vno adolescente deiectam:agnosce me torqueri quidem & mori,vinci tamen minimè potuisse, agnosce cruciatus tuos corpus tantum meum impetere valuisse, sed animi robur & constantiam non fregisse, nec ab eo (quod tot artibus,tot machinis extorquere cupiebas)impetrare potuisse.Agnosce ergo,miser,Romanum Imperatorem non modo ab vno adolescente superatum,sed etiam irrisum atque contẽptum. Iraque assasti vnam partẽ,gyra aliam & manduca.Videtis frarres,

quanta

quanta ex hac passionis acerbitate Martyris gloria creuerit.

Quid verò diuini nominis gloria? quātū hac passione illustrata est? Vnicum sanctorū omnium studium fuit, modis omnibus Dei gloriā magnificis laudibus & operibus celebrare. Itaq; alij canticis & hymnis, alij variis sacrificiorum generibus, alij puritate & innocētia vitę, & pleniſſima mandatorū obedientia eius imperium & gloriam magnificauerūt. Nulla tamen diuini nominis magnificandi ratio dignior & illustrior, quàm quæ Martyrum sanguine & morte declaratur. Hinc Ioannes in Euangelio de Petri morte à Domino prænunciata loquēs, ait, Hoc autē dicebat, significans qua morte clarificaturus esset Deum. Dei enim gloria fide & obsequio seruorū eius maximè declaratur. Quod autē maius obsequium vel à Deo requiri, vel ab homine impendi potest, quàm illatam mortem, & acerbissima tormēta prius perpeti, quàm illius numen violare, fidē prodere, maiestatem offendere, & ab obedientia & reuerentia illi debita desciscere? Non est enim in tota humanæ naturæ facultate, diuino etiam præsidio munita, quò vlterius in Dei fide, amore & obedientia progredi valeat. Quod cùm ita sit, quantum, quæso, beatissimus Laurentius Dei gloriam illustrauit, cuius tantam maiestatem, tantam gloriam, tantum imperium esse credidit, vt pro ludo habuerit omnes tormentorū machinas, omnē Imperatorum potētiam, ne cælestem Imperatorem suum aliqua infirmitatis nota offenderet? Tota enim mundi potentia à fide & charitate huic maiestati debita, ne ad momentum quidem illum potuit auocare. An non igitur hæc tanta passionum acerbitas Dei gloriam (cui omnia seruire debent) maximè extulit? *Ioan. 21.*

Cæterùm vt fidelis famulus in Dominum, ita fidissimus Dominus extitit in seruum; qui tanto illum spiritus robore donauit, totque miraculis eius fidem confirmauit, & certissimam illi spem salutis & gloriæ mox futuræ ostendit. Nam cùm in carcere esset, signo crucis subitam & insperatam videndi facultatem cæcis contulit, & his miraculis Hippolytū, carceris custodem, eiusque familiam ad Christi fidem ita conuertit, vt martyrij participem effecerit. Cælesti quoque voce, qua Dominus & præsentiam suam, & volūtatem declarauit, & ad futura certamina erexit, ipsumque armauit & corroborauit. Quin & pulcherrimum è cœlis Angelū misit, qui Martyris sui sanguinem, ex vulneribus defluentem, linteo abstergeret Quo miraculo Romanus miles, qui tum aderat, stupefactus, & ad Laurentium conuersus, Video, ait, ante te iuuenem pulcherrimum linteo vulnera tua tergentem; & ideò adiuro te per Deum, qui suum

ad te Angelũ demisit,ne me derelinquas. Opportunitate verò accepta,à B.Laurentio baphtizatus,clamare cœpit se Christianum esse.Ideòque Imperatoris iussu,capite truncatus,Christi martyr effectus est His igitur externis fidei & spei adiumẽtis, & internæ gratiæ præsidiis fidelem seruum fidelior Dominus ad certamen illud clarissimum adiuuabat.Hoc ergo modo fidissimus cũ fideli seruo Dominus certare quodammodo videbatur.Quo enim Martyr grauiora tormenta patiebatur, hoc maiora illi Dominus ad patiendum præsidia & adiumenta conferebat.

Iam verò ad Catholicæ fidei exemplum & firmamentum quantum roboris hæc Laurentij tormenta præbuerunt? Quo enim immaniora supplicia,ne à fidei sinceritate deficeret,passus est,hoc clarius & firmius sanguine suo Catholicæ veritatis & fidei testimonium tulit.

Quid verò de Martyris gloria & corona hac tam dira passione aucta dicam, Vnus martyrij dies totam æternitatis gloriam illi contulit, tantoque maiorem, quanto passionis certamen acrius fuit: quo quidem fructu sanctus Martyr fraudatus fuisset, si postrẽmum hoc craticulæ supplicium illi defuisset. Eius igitur gloriæ & fœlicitati Dominus consulebat,cùm maiora illi certamina supereſſe cœlesti voce denuntiabat. Non vulgari beneficio diuitem mercatorem afficit,quisquis opportunam mercium materiam illi submministrat, qua is in arca repositam & otiosam pecuniã locupletare mercimoniis exercendis valeat. At beatus Laurentius diuinæ gratiæ opibus ditissimus erat; cuius virtute tormenta illa, & multo etiam atrociora substinere poterat.Quocirca magnum diuinæ prouidentiæ beneficium extitit, huic tantæ gratiæ,quæ in sancti Martyris mente latebat, hanc tantæ fortitudinis & constantiæ segetem & materiam præbere: cuius fructus & in Ecclesia ad piorum exemplum,& in cœlo ad Martyris gloriam sempiterno æuo permaneret.

Quid ex his quæ hactenus dicimus, colligere licet fratres? Multa sanè,sed illud in primis,quantum à veritatis scopo aberrent,qui metu laboris quem in diuinæ legis obseruatione esse putant, ab ea deterrentur. Non enim diuinæ gratiæ virtutem (quam fortasse nunquam experti sunt)agnoscunt, cuius tanta vis est,vt non modò legis diuinæ suaue iugum,& onus leue,sed ferrum etiam,& ignes,& scorpionum verbera, & crates ferreas
*Matt.11.* alacriter ferre possit,Quę quidem gratia omnibus qui se ad eã parere studeant, in promptu est: cùm ipsius gratiæ auctor personarum acceptor non sit,sed omnibus ad se redire volentibus misericordiæ suæ opes explicare & impartiri soleat. Vnde merito

D.Bernar.

D. Bernard. magis ait diuinam gratiam queri posse, quòd homines illi desint, quàm quòd ipsa desit hominibus. Quàm ergo ignauiæ nostræ excusationem in extremo illo examine prætexere poterimus, cùm gratiæ collator expansas semper manus in cruce habeat, vt sua in nos munera largiatur? *Bernar.*

Hinc etiam colligere licet, quanta sit illa supernæ patriæ fœlicitas, quam omnes sancti martyres dignam putauerunt, propter quam omnia tormentorum genera perpeti decreuerint: cùm tamen certum sit, ne omnes quidem passiones simul congestas vel vnum fœlicitatis huius diem æquare posse, nisi diuinę gratię virtus eas hac fœlicitate dignas efficeret. Quãta ergo dementia, quanta cæcitas est, nolle solo diuinæ legis suauissimo iugo sine vulnere & sanguine mercari, quod Martyres omnes membrorum omnium dilaceratione sibi compararunt? Quid hi, quæso, facient, cùm videant se ab hac tanta gloria excidisse, quam tam leui diuinæ legis sarcina sine ferro & vinculis promereri potuissent? O qualis tunc erit luctus, quantus furor, cùm hanc tantum socordiam & amentiam suam ad mentem reuocauerint! Vt igitur hunc tantum fletum euadere mereamur, fratres, hac saltem ratione Martyrum exempla sectari contendamus, vt quando mori propter Christi Confessionem non datur, membra saltem nostra (vt Apostolus ait) mortificare studeamus super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiã malã, & auaritiam (quæ est simulacrorum seruitus) propter quæ venit ira Dei in filios incredulitatis, vt his pestibus liberati, ad glorioſa Martyrum contubernia peruenire mereamur, præstante Domino Iesu Christo, cui est gloria & imperium per infinita seculorum secula. Amen.

## In festo assumptionis beatissimæ Virginis Mariæ cõcio prima, in qua lectio Euangelica & literali & mystica expositione enarratur, ac deinde sacræ Virginis laudibus, & Assumptionis eius festo accõmodatur.

THEMA. *Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum est necessarium, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Lucæ 10.

CONSENTANEVM erat, fratres dilectissimi, vt dignitati festorum, quæ statis diebus celebrãda nobis proponit Ecclesia, pietas quoque & deuotio nostra ita responderet, vt festorum magnitudinem religionis & pietatis nostræ deuotio æqus-

ret. Constat autem inter omnes Sanctorum dies festos, beatissimæ Virginis festa principatum tenere, quando & ipsa inter omnes sanctorum ordines principem locum tenet. Inter omnia verò eius festa, id quod hodie de gloriosa eius in cælũ assumptione celebramus, esse præcipuum, Ecclesia initio statim sollemnitatis huius prædicat his verbis: Hæc est illa præclara festiuitas omnium sanctorum festiuitatibus incomparabilis, in qua gloriosa, & fœlix, mirantibus cęlestis curię ordinibus, ad ęthereum peruenit, thalamum. De hac igitur tam gloriosa solemnitate
*Bernard.* sermo nobis hodie habendus est. Tempus enim (ait Bernardus) loquendi est omni carni, cùm assumitur incarnati Verbi mater in cęlum, nec cessare debet à laudibus humana mortalitas, cùm hominis sola natura stupet immortales spiritus exaltatur
*Idem.* in Virgine. Sed quid nos rudes & imperiti de tanta Virginis gloria dignum dicere valeamus? Fateor (ait idem) imperitiam meam, pusillanimitatem propriam non abscondo. Non est equidem quod me magis delectet, sed nec est quod terreat magis, quàm de gloria Virginis Mariæ habere sermonem, quia licet de ea loqui gestiant omnes, tamen quidquid dicitur de indicibili, eo ipso quod dici potuit, minus placet.

*Dionys. de diuin. nomin. c. 3.* Hoc autem festum sancti Apostoli primi omnium digniss mè hodierna die celebrarunt. Qua de re D. Dionys cùm de laudibus Hierothei magistri sui differeret, sic ait: Cùm nos & plerique ex sanctis fratribus nostris ad contuẽdũ corpus illud quod auctorem vitæ Deumque ceparat, conueniss'emus, (aderat autẽ & frater Domini Iacobus & Petrus, supremũ decus & antiquissimum Theologorũ columen) vbi post contuitum placuit vt infinitè potentem bonitatẽ Pontifices laudarent omnes, quisque pro captu suo ille (scilicet Hierotheus) post Apostolos, omnib⁹ aliis laudatoribus superior erat, tot⁹ excedẽs, totus se deferens, eorumq; laudabat cõsortium patiens. Ab omnibus deniq; à quibus audiebatur, videbatur, & agnoscebatur, & non agnoscebatur, affiatus Deo, diuinusque laudator iudicatus est. Hactenus ille. Hic certè vir diuinus pro dignitate huius diei festũ celebrauit. Hoc nos hodie spiritu & affectu dicere, hoc vos audire oportebat, fratres, vt aliqua saltem ex parte huius diei solẽnitati satisfacere possemus. Sed quoniam hoc cæleste, donum est, descendẽs
*Iacob. 1.* à Patre luminum eius opem, sacratissimæ Virginis interuentu, (cuius hodie festum celebramus) suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Lectio sancti Euangelij, fratres charissimi, si nudam solũ rei gestæ historiam, quæ in ea describitur, spectare velitis, nihil

ad

ad præsentem sollennitatem facere videbitur, si verò rei gestæ misterium attendatis, nihil ad eam commodius afferri potuit. In ea verò narratur, duas illas sorores, Martham & Mariam, Dominum Iesum vbi castellum quoddam ingressus esset, intra domum suam excepisse, & omnia illi hospitalitatis & humanitatis obsequia deuotissimè exhibuisse. Prudentissimè enim piæ sorores hospitis sui mores & ingenium agnoscentes, sic inter se officia partitæ sunt, vt altera sacri corporis eius, altera animæ pascendæ officium sibi sumeret, & altera quidem illum in domo sua, altera in mente reciperet: Martha enim satagens circa frequens ministerium, mensam, qua corpus Domini reficeretur, apparabat. Maria verò deuotione, & amore, atque cælestis verbi auditione prædicantis Domini animam, dum pasceretur, ipsa pascebat. Nouerat enim ipsum vbi Samaritanam mulierem docuisset, & ad fidem conuertisset, discipulis cibum offerentibus dixisse, Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis. Cũq; illi de hoc cibo quæsissent, Meus (inquit ille) cibus est, vt faciã voluntatem eius qui misit me, & perficiã opus eius. Cùm ergo hoc probè teneret Maria, simili obsequio Dominum reficere curauit, ad illius pedes sedens, & verbũ eius deuotissimè audiẽs illumque hoc modo non solùm reficiens, sed etiã intra animæ suæ hospitium excipiens. *Ioan. 4.*

Cùm ergo Martha satageret circa frequens ministerium, sororemque ad pedes Domini assidentem sine vlla solicitudine cerneret, studio magis hospitalitatis quàm indignatione commota: ad Dominum ait: *Domine, non est tibi curæ quòd soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi vt me adiuuet. Et respondens ait illi Dominus, Martha Martha solicita es & turbaris erga plurima. Porro vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Multa sunt, fratres, quæ tum in hac Marthæ querela, tum in Dominica responsione commentari possemus, sed illud præcipuè hoc in loco obseruandum est, quod sancti Patres annotarunt, nempe per has duas sorores, duo viuendi genera, quibus in Ecclesia pij omnes exercentur, commodissimè designari. Martha enim, quæ in hospitalitatis & misericordiæ opere desudebat, actiuam vitam repræsentat: Maria verò, quæ ad pedes Domini sedens audit verbum illius, contemplatiuam designat. Est enim actiua vita, quæ in iis operibus versatur, propter quæ Dominus in extremo iudicij die cæleste regnum ouibus suis se esse largiturũ promittit, cum ait: Esuriui, & dedistis mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi bibere, hospes eram, & collegistis me: nudus, & operuistis me. Contemplatiua verò vita est ab his *Matt. 25.*

quidem operibus (cùm neceſſitas charitatis nõ vrget) feriatim
Pſa.133. vacare,&guſtare quoniam ſuauis eſt Dominus, hoc eſt, diuinarum rerum contemplationi toto pectore incumbere, diuinis amplexibus inhærere, diuinæ pulchritudinis ſpeciem puris animę oculis contueri, ſoliusque conditoris amore ac deſiderio inardeſcere, ac poſtremò cæleſtem in terra vitam meditari. Hoc eſt igitur contemplatiuę vitæ officium, quod ſancti illi Anachoritæ in deſertis vitam agentes profitebantur, qui ab omnibus huius virę curis & negotiis ſecedentes, in hoc vno ſtudio dies noctesque intenti erant, corpus atterentes, vt animam cęleſtibus dapibus ſaginarent, terrena bona contemnentes, vt mentem ſpiritualibus opibus locupletarent. Horum igitur præ
Pſal.17. cipuum & ſingulare ſtudium erat, illa Prophetæ verba in corde & in ore ſemper habere, Diligam te, Domine, fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & libera-
Mal.41. tor meus. Et Sicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei mei.

Quæri autem ſolet, ex hac duplici vita, cùm vtraque ſanctiſſima, Deoque gratiſſima ſit, vtra ſit illi gratior atque præſtantior. Cui quidem quæſtioni cæleſtis magiſter in Euangelica huiusdiei lectione reſpondere videtur, cùm Marthæ quęrenti ait, *Mariæ optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Sed quoniam (vt Philoſophi tradunt) ſcire, eſt rem ex cauſis cognoſcere, non erit alienum, quod Dominicæ vocis teſtimonio verum eſſe cognoſcimus, cauſis etiam redditis comprobare, iis præſertim, quæ nos ad huius virę amorem & ſtudium excitare poſſit. Illud igitur hanc vitam maximè commendat, quod in ea actione verſatur ad quam præcipuè homo à Deo conditus eſt. Quam rem hac diſtributione atque ordine Seneca declarat, Ex terna ſiqui-
*Seneca. in Epiſt.* dem omnia, atque adeo totum hunc mũdum, quem oculis vſurpamus, ad humani corporis obſequium pertinere ait, corpus verò propter ſenſus datum eſſe definit, vt per eos magnifica Dei opera contueri & ſentire poſſimus. Senſus verò menti atque intellectui deſeruire ait, dum varias ei rerum differentias repręſentant, in quibus ipſe philoſophari queat. Porrò autem mentẽ ipſam, in qua intellectus ineſt atque voluntas, ad hoc nobis eſſe conceſſam, vt ex iis quæ ſenſuum miniſterio deprehenderit, in cõditoris ſui cognitionem & amorem aſſurgat. Ad quod officium hominem conditum eſſe Seneca teſtatur. Cõſtat enim quæ inferiora ſunt, ſuperioribꝰ deſeruire, nõ cõtrà. Nõ eſt enim dominus propter ſeruum, ſed ſeruus propter dominum, neque

eques

eques propter equum, sed propter equitem atq; sessorem equus. Non igitur mens nostra inferioribus seruire, sed inferiora menti seruire natura ipsa debent. Rectè ergo Seneca, externa omnia propter corpus, corpus verò propter sensus, sensus autē propter mentem, mentem verò propter diuinæ pulchritudinis speciem contemplandam & amandam conditam esse docet. Quod cum ita sit, consequens est, vt præstantissimum illud opus esse fateamur, ad quod & totus hic mūdus, & homo ipse præcipuè conditus est, quod quidem est contemplatiuæ vitæ proprium. *Idem.*

Adde etiam, quòd quicunque rectè philosophati sunt, in hac ipsa cōtemplatiuæ vitę actione humanam fœlicitatem & summum hominis bonum posuerunt, quamuis neque supernaturalem eius beatitudinem, neque supernaturalia Spiritus sancti dona naturali rationis lumine agnoscere potuerunt. Nos autē supernaturalia Spiritus sancti dona adiūgimus, quibus & intellectus nostri aciem dono sapientię illustramus, & volūtatem charitatis ardore incendimus, quibus hæ duæ supremæ animæ nostrę vires perficiuntur & nobilitantur, vt his veluti aliis subleuatæ, ad diuinę pulchritudinis speciem contemplandam attollantur. Ex his autem quæ diximus, huius vitę dignitas apertè colligitur. Inter omnia quippe Spiritus sancti dona principē locum obtinet Sapientia. Proprium autem sapientiæ opus est, diuina contemplari. Necesse est autem præstantissimum esse, quod à præstantissimo Spiritus sancti dono proficiscitur. Constat item, inter omnes virtutes atq; habitus, cælitus menti nostræ inditos, principatū tenere charitatem. Erit ergo nobilissimus actus, qui à nobilissimo habitu procedit, hic autem quis alius est, quàm summum bonum diligere? Quid verò aliud huius vitæ sectatores agunt, quàm diuinis amplexibus, diuinæque dilectioni vacare? Vt enim D. Gregorius ait, Tales amant, & ardent, & in ipso suo amore requiescunt: quia nihil hoc amore superius est, ad quod illum referre & ordinare debeant, ideoque in eo, tanquam in fine, pleniſſimè requiescunt. Qua quidem ex re huius vitę dignitas apertè colligitur, quādo id agit in terra, quod beatæ mentes in cælo semper exercēt. Vnde alia etiam eius dignitas intelligitur, nempe, quòd cùm multa virtutum officia simul cum vita finiātur, hoc tamē munus & officium tunc perfectius incipitur: cùm in hac vita finitur. Vt enim Apostolus ait, Charitas nunquam excidit, siue propheriæ euacuabuntur, siue linguę cessabunt, siue scientia destruetur, ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Quibus verbis Apostolus de- *Gregor.* *1.Cor.13.*

signare

ſignare voluit, charitatis munus & officium manere in patria, cum tamen alia Spiritus ſancti dona, & benignitatis officia ibidem locum habere non poſſint, vbi miſeria nulla, nulla imperfectio eſt. Quam quidem rem apertè Saluator expoſuit, cum Mariæ partem nunquam ab ea auferendam eſſe dixit. Fides enim & ſpes non erunt in patria: charitas verò, & diuinæ pulchritudinis contemplatio perpetuo in ea manebunt. Ex his autem illud etiam colligitur, nempe, hac familiari & aſſidua cum Deo, rebuſque diuinis conſuetudine paulatim hominem humana omnia dediſcere, & in ſpiritualem atque diuinum hominem euadere, Apoſtolo teſtante, qui ait: Qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt.

*1 Cor. 6.*

Hæc igitur omnia, fratres, ſatis indicant contemplatiuæ vitæ dignitatem. Vnde quiſquis huic ſtudio addictus fuerit, gloriari verè cum Propheta poterit, dicens, Funes ceciderunt mihi in præclaris. Verè enim fœliciſſimus eſſe putandus eſt, cui diuino beneficio hæc tam præclara ſors contigit, vt vitam omnem in hoc piiſſimo ſtudio inſumat. Quam rem D. Grego. Theologus eleganti deſcriptione teſtatur, qui cùm Epiſcopatus ſarcinam fuga & latebris declinaſſet, hoc nomine aduerſus accuſatores ſuos fugam ſuam tuetur, quòd contemplatiuæ vitæ amore, cui ſemper fuerat addictus, paſtoralem curã refugiſſet, ſic enim ait:

*Pſal. 15.*

*Theologus in Apol.*

Nihil mihi fortunatius eo homine eſſe videbatur, qui clauſis cõpreſſiſque corporis ſenſibus, atque extra carnem mundumque poſitus, in ſeque collectus, nec (niſi ſumma neceſſitate impellente) quicquam humanarum rerum attingens, & ſecum, in ſe, & cum Deo colloquens, ſuperiorem rebus in aſpectum cadentibus vitam agit, diuinaſque ſpecies & imagines puras ſemper, nec vllis terrenis & errabundis formis permixtas in ſeipſo circumfert, ac Dei, rerumque diuinarum purum omnino ſpeculum effingitur, luce que lucem, obſcuriori videlicet clariorem adiungit, ac iam futuri & qui bono fruitur, & cum Angelis verſatur, & adhuc in terris agens, terram deſerit, atque à ſpiritu in cœlo collocatur. Si quis veſtrum hoc amore correptus tenetur, quod dicam, intelligit, atque affectui ei, in quem tum incidit, facilè ignoſcet. Hactenus ille. Ex cuius verbis liquet, quanta ſit huius vitæ dignitas, quantumque à veritate aberrent, qui eam vt vacantem & otioſam contemnunt: vt pote quòd per eam homines ſibi ipſis tantùm, non etiam publicæ ſaluti & vtilitati proſpiciant. Aduerſus hos autem D. Bernard. ait, Otioſum non eſt vacare Deo, ſed negotium negotiorum omnium. Quod quicunque in cella non agit fideliter & feruenter; quidquid aliud

*Bernar.*

agit

agit,qūod non propter hoc agit(ſcilicet vt Deo ſeruiatur) in eo quod agit oriatur.Fœlix igitur ille eſt,fratres,qui ſe totum à mū-do abdicauit,totumque huic ſtudio addixit: qui videlicet curas omnes in hanc vnam curā,negotia omnia in hoc vnum negotiū, deſideria cuncta in hoc vnum deſiderium,amores omnes in hūc vnum amorem,& gaudia omnia in hoc vnum gaudium, ſtudia omnia in hoc vnum ſtudium commutauit. Quiſquis enim ob amorem Chriſti omnia reliquit,eadem centuplum aucta, non in altera ſolùm vita,ſed etiam in præſenti percipiet.

Erunt fortaſſe nonnulli inter vos, qui his auditis, ad huius pulcherrimæ vitæ amorē excitentur,& ad eam capeſſendam aſpirare incipiant. Hos igitur monitos volo,duobus primùm gradibus ad hanc vitam eſſe aſcendendum. Vt enim in Eccleſia nefas eſſe ducitur ad ſacros ordines promoueri per ſaltum, vt aiunt, ita præpoſterū eſt,hoc vitæ genus profiteri,niſi duo iſti gradus, vel ſaltem vnus eorum antè præceſſerit. Sicut enim prius Lia fecunda, quàm formoſa Rachel in matrimonium ducitur; ſic actiua vita contemplatiuam antecedere debet. Verùm dicet aliquis,Huic vitę mihi vacare non licet,vel quia opes mihi deſunt, quibus aliis ſubueniam, vel facultas in publicum prodeundi deeſt: quoniam domi incluſus maneo, ideòque liberum mihi non eſt, quæ aliena ſunt curare. Si hoc tibi non licet,eſt tamen gradus alter neceſſariò ſubeundus,nempe vt cupiditates omnes, earumque radicem,hoc eſt,immoderatum tui amorem ſuperare contendas,quo diuinæ dilectioni in mente tua locum præpares. Amor quippe immodicus ſui, & amor Dei non minus quàm vterque mundi polus ſibi mutuo aduerſantur. Amor quippe Dei omnia ad Deum,tanquam ad vltimum finem, dirigi & ordinari poſtulat, contrà verò immodicus amor ſui & Deum ipſum,& cætera omnia ad ſe, ſuamque vtilitatem deſtinari vult, atque ita ſe ipſum tanquam vltimum finem ſtatuit. Quiſquis igitur adhanc fœlicem vitam aſcendere patet, conſcientiæ puritati atque cupiditatum omnium cohibitioni diu multumque inſudare debet.In maleuolam quippe animam non introibit ſapientia, neque habitabit in corpore ſubdito. peccatis. Vnde Sponſa in Cantic.cùm ſponſum ad lectum inuitat (hoc eſt, ad internæ quietis, & ſpiritualium deliciarum locum) floribus illum reſperſum eſſe ait,hoc eſt,non prauis cupiditatibus ſed piis affectibus,& ſanctis deſideriis plenum. Libenter enim ſponſus ad huiuſmodi loca declinat.

*Simil.*

*Sapien. 1.*

*Cano.1.*

I.

Cæterûm quamuis has tantas laudes contemplatiua vita mereatur

reatur,actiua tamen vita tantum meriti atque laudis habet, vt in extremo iudicij die cæleſte regnum miſericordiæ operibus (quæ ad hanc vitam pertinent) tribuendum eſſe iudex ipſe di-
*Mat.25.* cat.Electis enim ad dexteram ſuam conſtitutis dicet: Venite benedicti Patris mei,percipite regnum,quod vobis paratum eſt ab origine mundi.Eſurijui enim, & dediſtis mihi manducare: ſitiui,& dediſtis mihi bibere:hoſpes eram,& collegiſtis me:nudus,& operuiſtis me,&c. Quærentibus autem piis quando hæc
*Ibidem.* in Dominum benignitatis officia contulerint: reſpondebit iudex:Amen dico vobis,quãdiu vni ex minimis iſtis feciſtis,mihi feciſtis.Hoc ſatis erat ad laudem & cõmendationẽ huius vitæ, quòd cùm cæteris quoq; piis operib⁹ æterna merces parata ſit, de his ſolùm in illo die ſe mentionẽ facturum eſſe Dominus teſtatur.Adde etiam quòd interdum ad hæc miſericordiæ opera ſic aſtringimur, vt altiſſima etiam contemplatio propter illam deſerendam ſit:quando laborantis proximi neceſſitas hoc à no-
*Augu.* bis requirit. Vnde eſt illud Auguſtini: Otium ſanctum quærit charitas,negotium ſanctum exigit neceſſitas charitatis. Quam ſarcinam ſi nullus imponat, contemplandæ veritati vacandum eſt. Ipſa quoque in Deum charitas quo magis amorem noſtrum excitat in eum,eo magis ad diligendos homines inſtigat
*Gregor.* propter Deum;quoniam (vt D.Grego.ait) quanto ea valentius attollitur ad ſumma, tanto potentius recurrit ad ima. Hoc autem nobis innuit flagrantiſſima illa Pauli in Deum charitas;ex qua tãtus dilectionis ardor in homines effluxit,vt poſteaquam totam ſpiritus ſui vim in exortandis Corinthiis effudiſſet, eoſque multis maximiſque ſalutaris doctrinæ monitis imbuiſſet,neque tam lõga & mirabili exhortatione calor ille dicendi
*2.cor.6.* deferbuiſſet,tandẽ ait:Os noſtrum patet ad vos ô Corinthij:cor noſtrum dilatũ eſt:nõ anguſtiamini in nobis.Quid eſt,quod ait. Os noſtrũ patet ad vos ô Corinthij? Metaphora ſumpta eſſe videtur ab iis qui nimio calore æſtuantes hianti ore auram captare non ceſſant,qua caloris incendiũ refrigerare queant:ſic diuinus hic vir ſalutis humanæ ardore incenſus erat,vt neq; continuũ monẽdi homines officiũ,neq; labores ob hanc cauſam ſuſcepti,non pericula,nõ vincula,non verbera ignem illũ ita refrigerare aut extinguere poſſent,vt non aperto ore alia atq; alia periculorum & laborum genera propter eos ſitiret:ideóque ait:Os noſtrũ patet ad vos ô Corinthij.Quem verò ipſe ignẽ in pectore geſtabat,in diſcipulorum mẽtibus accendere nitebatur,cùm
*Ibidem.* poſt hæc verba protinus ſubdit:Eandem autem habentes remuneratiõnem,tanquã filiis dico,dilatamini & vos:hoc eſt,eadem

charitati

charitatis & misericordiæ viscera non erga me solum,sed quam latissimè erga omne genus hominũ gestate. Quod initio nascẽtis Ecclesiæ fideles faciebant:qui non minori charitatis affectu Idolorũ cultoribus in calamitate positis,quam domesticis fidei succurrebant. Hinc D.Cyp.atrocissima peste Carthagini grassãte fideles sibi subditos ad hæc pietatis & misericordiæ officia in fidelibus exhibenda sedulo abhortabatur. Intelligebat enim vir sanctus,quàm summo illi misericordiarũ parenti grata esset in homines quos ipse ad imaginem suã fingit,misericordia. Quod si huius rei causam quæras,illa inter cæteras non postrema est, quòd viri misericordes cooperatores Dei in hominũ salute conseruanda sint. Cùm enim is mundi huius gubernationi perpetuò intentus sit,& inferiorũ causarũ ministerio, animantiũ, ac præcipuè hominũ(propter quos cætera cõdita sunt)vitas tuetur, & necessaria illis ad vitæ cultũ suppeditet;quisquis indigẽti proximo ac de salute periclitanti manũ porrigit,an nõ is Domino ad salutẽ hominũ cooperatur,& quodammodo paruus quidã Deus cum illo efficitur? Hoc enim à Deo vir misericors distat in hoc officio;quòd Deus quidẽ(cuius immensa bonitas & potẽtia est) omnibus prouidet,ipse verò(cuius tenues opes sunt)non omnibus,sed paucis hominibus cõsulit. Quam rẽ breuiter Ecclesiasticus significauit,cum ait,Misericordia hominis ad proximum suũ,misericordia autẽ Dei ad omnem carnẽ. Quod cùm ita sit, quomodo Deus non eximio illũ amore prosequatur,quẽ secum cernit cooperantẽ,& adiutrices manus ad opus,quod ipse indefessa cura molitur,porrigentem? Si enim qui recipit Prophetã in nomine Prophetæ,mercedẽ accipit Prophetæ(quòd hac ratione ad idem munus cooperetur,atq; ita Propheta cum illo efficiquodãmodo videatur)quid de illo sentiẽdũ est, cui ipsum Dñi opus vrget,& eandẽ salutis humanæ ruẽdæ curã suscipit? Nemo igitur Mariæ partem quam Dominus optimã prędicauit, sic attollat,vt Marthæ munus & officium deprimat,quæ hominem, Dei imitatorem,& germanum filium,ac penè diuinum efficit. Hoc enim munus electorum,& Deo charissimorum esse Paulus definit,cum ait;Induite vos sicut electi & dilecti Dei viscera misericordiæ. Sicut electi,inquit,& dilecti:videtis electorum, & eorum quos Deus diligit,proprium esse,misericordię viscera gestare. Itaque non contentus quacunque arida & ieiunia misericordia,viscera misericordiæ à nobis exigit,quod est multo maius,nec hoc contentus,non gestare tantum,sed induere ea voluit:quo significauit,totum hominem,hoc est,omnia eius facta dicta cogitata,misericordiam prę se ferre,misericordiam spirari,

cypri.

Es.18.

Matt. 10.

Col.3.

& omnia

& omnia tandem benignitatis & lenitatis ſpeciem exhibere, qua miſeros omnes & calamitoſos non modo à ſe non abigãt, ſed modis omnibus ad ſe trahant & alliciant.

Verùm hoc in loco illud non ſegniter aduertendũ eſt, hoc genus vitæ, quod in proximorum miſeriis lauandis cõſumitur, nõ prorſus contẽplatiuæ vitæ expers eſſe debere, hoc eſt, aliquo ſtudio ſanctarũ orationũ & meditationũ oportere iuuari, ne videlicet homo externis ſemper operibus vacans, & cum hominibus ſeculi aſſiduè verſans, rubiginis aliquid ex humanæ vitæ conſuetudine contrahat, ſi internis omnino deuotionis officiis vacuus ſit. Vehemẽter enim timendum eſt ne interius euacuetur, ſi totus ad externa dilabatur. Quã rẽ illa Marthæ verba innuere videntur, quibus ſororis auxiliũ poſtulat, Verè enim myſtica Martha à Maria petit adiuuari, quoniã actiua à contẽplatiua vita vigorẽ mutuat. Ideo namque hæ duæ mulieres, quæ in hodierna ſancti Euangelij lectione referũtur (quæ videlicet vtriuſq; vitæ huius imaginẽ referunt) ſorores fuiſſe perhibẽtur, quarum eſt, ſe mutuò germana charitate iuuare. Certè actiua ſine aliqua contẽplationis particula diu ſubſiſtere vix poterit. Quã rẽ cautè atq; prudenter D. Aug. admonuit, qui quamuis vbi proximus operanoſtra indiget, nos à veritatis contemplatione auocet, & in opmittat, ſubiungit tamen deinde; Non eſt omnino deſerẽda veritatis ſuauitas, ne ſi deſit ſuauitas, opprimat charitatis neceſſitas.

*Auguſt.*

II.

Verùm de his hactenus: iam enim tempus eſt vt ad ſacræ Virginis feſtũ veniamus, quamuis ea quæ hactenus dicta ſunt, non omnino ab eius laudibus abhorreant. Dum enim myſticæ Marthæ atque Mariæ officia explicauimus, ſacræ Virginis laudibus viam muniuimus, quæ vtriuſque ſororis officium in hac mortali vita pleniſſimè executa eſt. Quo argumento intelligere licebit quam hodie gloriam, quodq; præmium à filio receperit, quæ illi vtriuſq; ſororis huius officio perfectiſſimè famulata eſt. Ne me verò hoc fingere exiſtimetis D. Anſelmũ, ſacræ huius Virginis ſtudioſiſſimũ, in medium proferã, hæc ipſa quæ diximus prædicantem. Videamus, inquit ille quid alij, qui Marthæ officio fungũtur, operẽtur, & quid ſacra Virgo operata ſit. Alij quẽlibet hoſpitem in domo ſuſcipiunt, hæc non quemlibet, ſed proprium Dei filium (qui nõ habet vbi caput reclinet) nõ in domo, ſed in vtero ſuſcepit. Alij nudũ quẽlibet veſte mutabili atq; corruptibili operiunt: hæc verbum Dei virginea carne operuit, quæ ſine fine incõmutabilis atque incorruptibilis permanebit. Alij quẽlibet eſurientẽ & ſitientẽ cibo & poto exteriori reficiant; hæc Deũ hominum

*Anſelm.*

*Lucæ 9.*

hominum humanitus indigentē:non ſolum exterioribus cibis pauit:verum etiā vteri ſui lacte aluit,& vt breuiter ſex illa miſericordiæ opera percurramus;quæ cum vni ex minimis eius fiūt Deus ſibi facta confitetur,hæc non quemlibet ex minimis, ſed ſummū Dei filium hoſpitem ſuſcepit:,nudum pannis operuit, eſurientē pauit,ſitientem lacte potauit,infirmum per infantiā & ætatē non ſolùm viſitauit,ſed etiam fouendo,leniendo,geſtādo frequētauit,vt merito de ea dicatur, Martha aūt ſatagebat circa frequens miniſteriū.Cōprehenſo & crucifixo, quaſi in carcere poſito,adfuit,ſicut ſcriptū eſt .Stabat autē iuxta crucē Ieſu mater eius.Inter hæc autē turbabatur,& ſolicita erat cū fugeret in Ægyptū à facie Herodis,qui eius filiū adeò perſequebatu , vt multos ſuſpectę ætatis pueros occideret.Turbabatur etiā,cum Iudæos inſidiantes,& mortē ei inferre moliētes cognoſcebat. *Ioan. 19.*

Ad vltimum turbata eſt valde,& iuxta Simeonis vocē,ipſi⁹ animam pertranſiuit gladius, cùm videret filium ſuum comprehendi,ligari,flagellari,cōſpui,ſpinis coronari,derideri,colaphizari,crucifigi,mori,ſepeliri.Vnde benè ei congruit quod dicitur,Martha,Martha,ſolicita es ,& turbaris erga plurima.Hactenus Anſelmus. Sed quonam modo Maria noſtra alterius Mariæ ad pedes Domini ſedētis officium executa ſit,quæ verbum eius deuotiſſimè audiens,hoſpitium illi in anima ſua parabat;quis pro dignitate poterit explicare ? De ipſa nāque D. Auguſt. ait,Materna propinquitas nihil Maroſtriæ potuiſſet,niſi fœlicius Chriſtum corde quàm carne geſtaſſet. *Luca 2.* *Augu.*

Sed expendamus,quæ nam ſint præcipuæ illæ virtutes quæ hoſpitium in corde noſtro Deo præparant.Harum prima,fides eſt:fides inquam,quæ per dilectionem operatur, quæque tantum diligit, quantum credit,de hac enim Apoſtolus ait,Chriſtum per fidem habitare in cordibus noſtris.Quæ autem fides illuſtrior,quàm eius cui dictum eſt,Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur in te ea quæ tibi dicta ſunt à Domino; Virgnitas quoque habitaculum Deo parat,ſicut B.Lucia dixit,caſtè viuentes templum eſſe Spiritus ſancti.Quæ autē virginitas ſublimior,quàm eius quæ prima inter omnes fœminas virginitatis votum emiſit,& hoc pulcherrimum inuentum excogitauit?Propter quod meritò Virgo virginum appellatur. Humilitas quoque Dei templū efficit,ipſo dicēte,Super quem requieſcet Spiritus meus,niſi ſuper humilē & manſuetū &c.Quæ verò humilitas maior quàm eius quę non minus humilitate,quā virginitate Deo placuit?Sed inter hæc,charitas maximè hoſpitium Deo parat.Vt enim Ioannes ait,Deus charitas eſt , & qui *Epheſ. 3.* *Lucæ.1.* *Eſaiæ 66* *1.Ioan.4.*

manet in charitate,in Deo manet,& Deus in eo.Quæ verò chà ritas maior,quàm eius quæ plena gratia fuit,quæ videlicet Deũ non modo dilexit vt Deum, ſed etiam vnigenitum & amãtiſſimum filium; vbi cùm amore gratiæ, amor quoque naturæ interfuit. Poſtremo puritas & ſanctitas præcipuè locum Deo
*Pſal.92.* parant.Domum enim Dei decet ſanctitudo in longitudine dierum. Quæ autem puritas & ſanctitas maior quàm huius ſacratiſſimæ Virginis quæ(quod nulli ſanctorum contigit) ab omni
*Auguſt.* etiam venialis peccati labe perpetuo immunis fuit?Hinc D.Auguſtin.O mater Domini, ſicut in primâ fœmina abundauit delictum,ſic in te ſuperabundauit omnis plenitudo gratiæ,& ideò
*Idem.* ſuper omnes ignara dilecti.Idéque rurſus,Charitatis,feciſti,vt non ſolùm Maria non peccaret,ſed nec peccatum quidem cogitare potuerit.Quid verò mirabilius,quàm in tota vita ne ſemel quidem in veniale peccatum incidiſſe?Clamat ſanctus Euãge-
*1.Ioan.1.* liſta: Si dixerimus quia peccatum non habemus,ipſi nos ſeducimus,& veritas in nobis nõ eſt. Denique Apoſtolos Dominus
*Matth.6.* orare docuit,Dimitte nobis debita noſtra; quoniam ipſi quoque,quamuis Spiritu ſancto pleni,& in gratia confirmati,nõ tamen omnino à venialibus peccatis immunes extiterũt.An non ergo mirabile eſt,cum ſepties in die cadat iuſtus,fœminã ſimilẽ nobis paſſibilẽ,ſexaginta & eo amplius annis, quibus in hoc mundo cum immũdis hominibus verſata eſt,nunquam neque verbo,neq; opere,neque cogitatione in peccatum vllũ veniale incidiſſe? Hoc planè non humanæ, ſed angelicæ puritatis eſt. Quid verò mirum angelica puritate effulſiſſe, quæ Angelorum Dominum,& gratiarum omnium fontem nouem menſibus in vtero geſtauit?Benedixit olim Dominus domui Obededõ,quo
*2.Reg.6.* niam eius arca tribus apud illum menſibus manſit.Qua ergo is benedictione,quibus opibus Virginẽ locupletauit,in cuius virgineo vtero non vmbratilis arca illa,ſed idem ipſe Dominus nouem menſibus habitauit; & in cuius mente, tanquam in regali palatio cunctis virtutum gemmis adornato, perpetuo manſit?

Quæ igitur ſic Marthæ atque Mariæ officium non vno aliquo die,ſed per omnem ætatem adeò perfectè executa eſt, quã hodie mercedem,quam gloriæ coronam pro tot tantiſque meritis à filio recipiet?Quis aſcendenti ei locus in cœlo parabitur? quæ deſcendenti in hunc mundum Dei filio tale parauit hoſpi
*Bernar.* tium?Rectè enim D.Bernar.Neque in terris locus vllus dignior virginalis vteri templo,in quo Dei filium Maria ſuſcepit, neq; in cœlis regali ſolio,in quo Mariam hodie filius ſublimauit.Fœlix nimium vtraque ſuſceptio,in effabilis vtraque,quia vtraque

inexcogita-

inexcogitabilis est.

Sed inter hæc omnia danda nobis opera est, fratres, vt paulisper oculos ab externa Virginis gloria deflectentes ad internam mentis eius letitiam contemplãdam (quatenus ruditati & ignorantiæ nostrę conceditur) penetrare valeamus. Ad hoc igitur sciendum est, familiare viris sanctissimis semper fuisse, cum ab infimo ad summum dignitatis gradũ euecti essent, aut magnis opibus locupletati, vix vnquam ab illa infima sorte & conditione, in qua fuerunt, oculos dimouere, quo vocantis Domini gratiam pristinæ vilitatis comparatione apetitus agnoscerent, atque ita in se quidem humiles, Deo autẽ grati atque deuoti permanerent. Sic Paulus pristini erroris sui memor, se ipsum contumelioſum, blasphemum & persecutorem appellat. Sic Dauid ad regni solium euectus, prioris fortunæ memoriam non deposuit, sicut ipse ait: Et elegit Dauid seruum suum: & sustulit eum de gregibus ouium, depost fetantes accepit eum, pascere Iacob seruum suum, & Israel hæreditatem suam. His exemplis, fratres, collatione facta, beatæ Virginis mentem atque animum vtcunque coniicere poterimus. Cùm ipsa enim ex altera quidem parte recoleret, se olim cuidam humili fabro (qui securi & serra, quotidianoque labore sibi victum parabat) fuisse desponsatam, illiq; in domesticis curis extitisse subditam & obsequentem, ac deinde ad eam doloris & calamitatis magnitudinẽ peruenisse, vt vnigenitum filiũ tanquam facinoroſum & seductorem inter latrones appensum in cruce vidisset, seq; à perfido populo facinorosi & seductoris matrem æstimatam & appellatam fuisse, ex altera autem animaduerteret, se à Deo in matrem electam, & super omnes sanctorum patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, cæterorumq; Sanctorũ ordines, atque supra Cherubin & Seraphin exaltatam, & iuxta filij solium, vt veram eius matrem collocatam, vt supra se nihil nisi conditorem suum, infra se verò quicquid à Deo conditum est, cerneret, cum hęc, inquam, omnia prudentissima & sanctissima Virgo cum animo suo cogitaret, qua, quæso, mente, quo animo erga tantorum bonorum largitorem esset? quo illũ amore diligeret? quas illi gratias ageret? quibus laudibus eius immẽsam bonitatẽ prędicaret? Hoc vtcũq; cõiici potest, verbis autẽ explicari nõ potest. Quid verò, cùm se à cunctis beatarum mentiũ agminibus in tãto pretio & honore haberi vidit? Quẽadmodũ enim cũ Deus pater primogenitum in orbem terræ introduxit, Angelis præcepit, vt hominem illum tanquã verum Deum adorarent ita cum eiusdem filij matrem hodierno die in cœlum intulit, & in solio sibi

1. Tim. 1.

Psal. 77.

Hebr. 1. Simil.

debito collocauit,iisdem Angelis præcepit,vt illam tãquam Domini sui matrem, & cœlorum atque Angelorum Dominam & Reginam agnoscerent,susciperent, & humili obsequio & reuerentia honorarent. Quis igitur animus,quis sensus beatissimæ Virginis erat, cùm ita se ab omnibus cœlestis curiæ ordinibus suspici & honorari cerneret? Cùm Dauidi Dominus per Nathan Prophetam æternam regni sedem promisisset, seque ex tam infima conditione ad tam amplam dignitatem extulisset, tanto amoris ac deuotionis affectu incensus fuit, vt tunc vel maximè eor suũ se inuenisse diceret,quo ardentissimo affectu Dominum oraret, eiusque magnificentiam prædicaret, quòd se vnum ex cunctis hominibus ad regni solium elegisset,dignumq; fecisset in quem tam magnifica dona conferret. Quod si Dauidis animus sic affectus fuit qualem beatissimæ Virginis animum hodierno die fuisse putandum est, quæ se non solùm inter omnes homines,sed inter omnes etiam creaturas,quæ sunt, erunt & fuerunt,exaltatam vidit,quæ tamen se in hoc seculo pauperis & humilis fabri sponsam fuisse recolebat, extremamque crucis & mortis filij ignominiã pertulerat? Quid verò cùm hãc adeò stupendam dignitatem diuinæ largitatis & gratiæ munus esse clarissima luce cognouit? Hoc est enim quod illa in Cantico suo apertè cecinit,cum ait; Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quibus verbis ostendit, hanc tantam maternæ dignitatis gloriam supra omne meritum esse, soloque diuinæ gratiæ beneficio sibi contigisse, hoc enim est quod ait, Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Quo in loco,humilitatis nomine, non humilitatis virtutem,sed conditionis suæ vtilitatem significauit,ideoq; gratuitum diuinæ mentis respectum huius tantæ dignitatis causam fuisse testatur. Quid verò cùm post hanc tãtam gloriam amantissimum & desideratissimum filium vidit non iam in humili gremio matris, sed in sinu omnipotentis Dei Patris, non vbera sugentem, sed sanctorum animas beantem: non inter latrones pendentem: sed inter cœlestes spiritus regnantem: quo tunc affectu illa Sponsæ verba in Cant. dicere potuit, Inueni quem diligit anima mea, teneo, nec dimittam.

Add hanc tantam gloriam, fratres, post tot labores beatissima Virgo hodie euecta est; ad hanc nos à Deo conditi atque in sacro baptismatis fonte hæredes eius instituti sumus: hæc nos tãta fœlicitas manet, hanc nobis Christus Dominus sanguinis sui pretio emit. Ad hanc igitur toto studio cõtendamus, nihilq; eorũ quæ oculis vsurpamus, eius amori anteferamus. Vita breuis

medicus

modicus labor,optatiſſima verò& ſempiterna merces.Nihil ergo nos ab hoc itinere remorettur,nihil detineat , non carnis illecebræ,non terrenæ opes,non mundi gloria,non vita,non mors,nõ denique quidquid in hoc ſeculo vel optamus,vel timemus,hęc omnia poſt ſe relinquat ſempiternæ fœlicitatis amor.Ibi & beatiſſimæ matris & filij gloria perfruemur,ibi diuinæ pulchritudinis cõtemplatione ſatiabimur,ibi electorum omniũ gaudia nobis quoque cum illis mutuæ dilectionis iure communia erunt: quæ nobis Chriſtus Dominus cõcedere dignetur, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

## In Aſſumptione beatiſsimæ virginis Mariæ concio ſecunda,in qua primùm de magnitudine meritorum atque laborum Virginis, ac dę magnitudine item gloriæ, ad quam hodie aſſumpta eſt , igitur: Secundò verò loco, quid nobis facto opus ſit vt ad eius gloriæ conſortium veniamus , differitur.

THEMA. *Optimam partem elegit ſibi Maria,quæ non auferetur ab ea.* Lucæ 10.

HODIE, fratres chariſſimi, beatiſſima Virgo Maria ex hac lacrymarum valle cum ſumma totius curiæ cœleſtis lætitia in ſuperas illas ſedes in ęternum regnatura migrauit. Hodie exilium in patriam , mortem in vitam , mærorem in gaudium, laborem & lacrymas fœlici commertio in æternam lætitiam commutauit.Hodie ſanctarum animarum ſepta agminibus , & Angelorum vallata choris,ad ętherium thalamum, ſibi ab ęterno deſtinatum,cum clamore & iubilo deducta fuit. Si enim B. Martini, multorumque aliorum Sanctorũ corpora hymnis canora cœleſtibus turba ad tumulũ vſq; proſecuta eſt,quid de ſanctiſſima Virgine pietas Chriſtiana credere debet , quę tanto maiori gloria digna fuit?In libro Regũ legimus , Dauidẽ olim arcam Dei cum hymnis & canticis,cum clamore & iubilo, maximaq; totius populi frequentia ad locum quẽ ei parauerat, adduxiſſe.Qua ergo hodie lætitia,quib, cœleſtiũ virtutũ laudibus & canticis , non vmbratilis , ſed vera arca in qua Dei filius nouem menſibus requieuit,ab eodem filio in cœlum deducta eſt? Quæ igitur dum in hac vita maneret dignum Dei filio & in corpore, & in anima ſua parauit hoſpitium qualem hodie ab 2. *Reg.* 6.

eodem filio hospitalitatis huius mercedem accepisse credenda est? Hac enim de causa lectio sancti Euangelij, quę hospitium describit, quo Martha & Maria Magdalena Dominum excepe-runt, (quarum altera corpus Domini necessaria ministrando pascebat, altera eius verba audiendo, ipsius animam reficiebat in hac sacra sollemnitate legitur, vt in hoc pię hospitalitatis officio beatissimę Virginis officium, quod erga Dei filium exer cuit, intelligamus, quæ, præterquam quòd illum in visceribus suis excepit, & humanitatis nostrę veste induit, non semel aut iterum, sed toto vitæ eius tempore ad crucem vsque illi mini-strauit. Ex huius autem hospitalitatis & officij dignitate, mercedis magnitudinem, quam hodie mater à filio recepit poterimus vtcũque coniicere. De hoc igitur hodie dicturi, cœlestẽ opem, eiusdẽ sacratissimæ Virginis interceſſione suppliciter implorem⁹.

AVE MARIA.

*Partitio.* Duo à nobis præsentis solennitatis ratio exigere videtur, alterum vt dignitatis & gloriæ magnitudinem, ad quam hodie beatissima Virgo euecta est, explicemus, alterum vt qua via nobis eò eundum sit, quò illa hodie glorioſa processit, exponamus. Illud enim ad eius gloriam, hoc ad nostram pertinet salutem, frustra enim eius gloriæ magnitudinem prædicamus, si ab eiusdem gloriæ consortio, vitio nostro secludimur.

I.

Vt autem gloriæ magnitudinem, quam hodie beatissima Virgo à filio suo percepit, intelligamus, meritorum eius magnitudo expendenda prius est, quandoquidem vitæ meritis, retributionis merces respondet in cœlis. Constat autem ex communi Patrũ sententia, cœleste præmium charitatis ita respondere, vt quo maior fuerit charitas, hoc & præmium sit magnificentius. Quę quidem res pauperibus & illiteratis hominibus maximo solatio esse debet, quia quamuis opibus & doctrina destituti, nihil egregium in Ecclesiæ luce moliantur, si tamen in angelo suo constituti, diuinæ pulchritudinis contemplationi & amori vacantes in eo ipso amore proficiant, & quotidie amando maiora diuini amoris incrementa capiant, maiorem in cœlo gloriam percipiẽt, quàm qui multa egregia pietatis opera patrauerint, si minore charitate præditi ex hac vita decesserint. Quæ res hodierna quoq; sancti Euangelij lectione comprobatur, in qua Dominus collatione Marthæ atque Mariæ facta (quarum altera Christo Domino ac discipulis eius ministrabat, altera ab hoc officio feriata, ex docentis ore pendebat, totaque in eius amore suspensa erat) Mariæ quiescentis officium operoso Marthæ officio prætu

lit di-

sit dicens, *Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Apostolus verò non modò charitatis, sed etiam piorum laborum in cœlesti retributione habendam esse rationem docet, cùm ait, Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Hinc Martyrum Christi gloriam meritò insignem esse confitemur, quòd summos labores propter Christum perpessi fuerint. Cum ergo cœlestis præmij magnitudo primum quidem Sanctorum charitati, deinde verò labori respõdeat, hęc iam duo in sacra Virgine expendere incipiamus.

Quod verò ad charitatem eius attinet, quæ vis orationis non hominùm modò, sed etiam Angelorum pro dignitate illam explicare queat? Vt enim riuus fonti, à quo scaturit, ita charitas gratiæ magnitudini, à qua profluit, respondet. At sanctissima Virgo priusquam nasceretur, fuit plena gratia, & cum ab Angelo salutata fuit, plena etiam gratia prædicatur, & vbi Dei filium concepit, superueniente Spiritu sancto, copiosior in eam effusa est plenitudo gratiæ. In die verò Pentecostes cum Apostolis otans longè maiorem quam illi gratiæ plenitudinem adepta est. Sed quid ego singularia hæc persequor, cùm certissimè constet, sanctissimam Virginem nihil vnquàm in tam longo vitæ spatio aut egisse, aut dixisse, aut animo agitasse, quo non incrementum perceptæ gratiæ mereretur. Qualis ergo charitas ab hoc inexhausto & perenni gratiæ fonte promanasse credenda est? Adde etiam totius vitæ consuetudinem in amantissimi filij contubernio atque conspectu transactam, quem nunquam aspexit, quin ardentissimi amoris facibus inflammaretur. Charitatem verò suis actibus magis quàm aliarum virtutum actionibus intendi constat, præsertim cum intensiores vehementioresque sunt. Hæc de virginis charitate breuiter, nunc eius labores enumerare incipiamus. *Luc. 1. Act. 2.*

Primus eius labor & cruciatus extitit Simeonis vaticinium: qui ad Virginem de filio loquens ait, Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur: & tuam ipsius animam pertransibit gladius. Ex hoc igitur tempore doloris gladius in purissimo & amantissimo eius corde ferè semper infixus hæsit. Cum enim amoris magnitudinem doloris magnitudo consequatur, quæ tam ardenti charitate diligebat filium, quo dolore fauciata est, cum futuros filij cruciatus & dolores Simeone prophetante cognouit? Alius post hunc labor, fuga in Ægyptum, extitit, habitans apud eos qui animam Virginis iniquis operibus cruciabant. Si enim Pauli *Luc. 2. Mat. 2. Act. 17.*

ſpiritus,dum Athenis ageret, incitabtur inſeipſo,videns idolo latriæ deditam ciuitatem,quo dolore intemeratæ Virginis pectus cruciaretur,cùm hominis adimaginẽ Dei conditos omne genus reptilium & muſcarum pro vero Deo colere videret. Alius,& incomparabilis labor fuit,cùm ſtans ante crucem piis oculis lacerum amantiſſimi filij corpus, luxata mẽbra,diſrupta verberibus terga,ſpinis obſitum caput,transfixos ferro pedes & manus,depreſſum põdere ſuo corpus,confoſſum latus contemplata eſt.Quo quidem tempore haud dubium quin piiſſimum illius cor cum filio ita cruci affixum fuerit, vt quidquid ille in corpore paſſus eſt, illa fuerit in corde perpeſſa. Cum illo ergo vinculis ligata,alapis cęſa,opprobriis ſaturata,verberibus attrita,ſpinis coronata,cruci affixa,felle & aceto potata fuit. Huius autem doloris vim & acerbitatem quæ vis orationis explicare, quæ mens cogitatione conſequi poſſit?Qua in re nunquam ſatis in hac parte mirari queo diuinæ ſapientiæ conſilium.Cùm enim facilè Chriſtus Dominus potuiſſet,vel inſcia,vel abſente matre,acerbiſſimum paſſionis ſuæ calicem haurire, voluerit eã & præſentem adeſſe,& tantorum dolorum,atque tormentorũ teſtem atque ſociam fieri.Cùm quidam vir nobilis ex medicorum cõſilio pluribus cauteriis vlceri(quo grauiſſimè laborabat) impreſſis,mederi decreuiſſet, omni ratione curauit, vt inſcia vxore(quam vnicè charam habebat)hæc carnificina perficerẽtur, ne dilectæ vxoris animus hoc tã diro ſpectaculo cruciaretur.Si igitur tu,Domine Ieſu,ſanctiſſimam matrem tuam ita dilgis,vt poſt ęternũ Patrẽ nihil nec in cælo,nec in terra charius habeas,cur dedita opera huius tanti doloris conſciã, & teſtem,& participem eſſe voluiſti? Quis autem adeò diuinarum rerum imperitus erit,qui hoc caſu magis quàm ſummo diuinę ſapientiæ conſilio factum eſſe credat.Conſilium autem fuit,vt perfectiſſima inter omnes ſanctos hac ſumma charitatis & patientiæ laude (quæ Deo ſupra cuncta alia obſequia gratiſſima eſt)minimè deſtitueretur. Quòd ſi rurſus quæras, cur amator hominum Deus tantoperè ipſorum lacrymis & mærore delectetur? Ad hoc facilè reſpondemus, nequaquam illum doloribus noſtris oblectari,oblectari tamen noſtra in illum fide,charitate & patientia:quæ virtutes nullibi magis quàm in rebus arduis ac difficillimis probantur & perficiuntur, Hac igitur de cauſa quos Deus chariſſimos habet, maximis in hac vita laboribus exercet,ac perficit.Nullum quippe aliud probatæ atque perfectę virtutis certius argumentum eſt. Quò minus mirandum erit,ſi Dei filius,qui miro charitatis affectu piam matrem proſequebatur

sequebatur,noluerit eam hac tanta laude priuari, cuius meritum,& gloria erat in æternum permansura.

Postremus autem Virginis labor fuit,tamdiu in hoc mundo post filij ascensum in cælum permansisse. Quãtus autem hic cruciatus fuerit,quis pro dignitate poterit explicare? Si enim Tobiæ mater filij peregrè profecti absentiam continuis lacry- *Tob.10.*
mis deflebat:si Apostolus Paulus ob eximiam in Christum charitatem tanto eius videndi desiderio flagrabat,vt dissolui cuperet,vt eius præsentia frueretur: si Dauidi regi dicere licuit, Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarũ,ita desiderat anima mea ad te Deus:quale beatissimæ Virginis videndi filij desiderium *Phil.1.*
fuisse putandum est,quæ tanto maiore charitatis ardore flagrabat?Si de sanctis omnibus verè dictum est, quòd mortem habeant in desiderio,& vitam in patiẽtia, quid de hac sanctissima *Psal.41.*
Virgine credendum est?Quidam verò magnus Christi amator tam ardenti desiderio mortem sitiebat, quo desideratam illius faciem cerneret,vt frequẽter, ad mortuorũ funera visenda properaret,vt mortis conspectu lætaretur, quòd ea optant sibi obuenire aliquando deberet.Beata verò Catharina Senensis tanto videndi sponsi sui ardore æstuabat,vt hanc ad illum orationem non sine multis lacrymis,& amarissimo corde, effunderet: Mi dulcissimè,& super omnia dilectissime Domine,cur quæso me tãdiu à tuo suauissimo complexu diuelli finis,Iã Domine nulla me huius vitæ delectatio tenet,nihil aliud cupio,nihil quæro nisi te,nihilque aliud diligo nisi te.Cur ergo viliissimi huius corporis gratia ab hac tãta excludor fœlicitate?O clementissime omnium dominantium Domine,educ quæso de carcere animam meam,& de corpore mortis huius libera me.Huic autẽ petitioni Dominus ita respondit:Ego quidem amantissima filia quandiu inter homines versatus sum,nunquam voluntatem meam sed eius qui misit me,semper impleui. Vnde quamuis ego magno vrgerer desiderio Pasca cum discipulis meis celebrandi,& salutis humanę opus perficiendi,tempus tamẽ à Patre meo,definitum humiliter expectaui. Idem ergo te facere conuenit,vt *Luca.22.*
videlicet patienter tempus tui transitus expectes,quod à me cõstitutum est. Tum illa,Fiat,inquit,amantissime Domine, in me tua voluntas,sed interim tamen ego petitiunculam quandam a te petò, ne confundas faciem meam. Peto igitur atque obsecro,vt quando per te mihi modò præsentiæ tuę deliciis frui nõ licet, fruar tamen acerbissimis doloribus tuis:vt quãdo gaudiorum tuorum in cælis particeps esse non possum,dolorum saltem tuorũ in terris particeps efficiar.Hæc beata Catharina.His

igitur

igitur exemplis, fratres, ceu gradibus quibusdam ad beatissimæ Virginis desiderium intelligendum vtcunque assurgere poteritis. Si enim quæ maior est dilectio, hoc ardentior dilecti videndi, & eius præsentia fruendi cupido est, quæ tantum in charitatis virtute cæteros omnes sanctos anteibat quanto maiore videndi amantissimi filij desiderio flagrabat? Hoc planè nulla mēs, nulla cogitatio nostra assequi potest. Adde, quod prudentissima Virgo (quæ diuinis quotidie illuminationibus erudiebatur) non erat suæ dignitatis ignara. Ab ore enim Angeli, diuinæ veritatis interprete, audierat, se inter omnes fœminas benedictam. Ipsa
*Lucæ 1.* quoque multo antè Spiritu Dei acta dignitatem suam prædicauerat, dicens, Quia fecit mihi magna, qui potens est. Et Beatam me dicent omnes generationes. Sciebat vtique se matrem Dei, ac proinde tanto præstantiorem in cælis locū super omnes beatarum mentium ordines habituram, quāto maior gloria Regis matrem, quàm Regis seruos & ministros decet. Quæ igitur hæc omnia probè tenebat, quo animo fuisse putanda est, cùm hoc adeò ingens & ineffabile bonum tam lōgo temporis spatio
*Prouc. 13.* differretur? Verè enim à Sapiente dictum est, Spes quæ differtur, affligit animam.

Verùm huic dolori perfectissima eius obedientia occurrebat, quæ mærorem lenitet, quæque illam diuinæ voluntati plenissimè subiiceret. Semper enim voluntas illa adeò diuinę voluntati
*Simil.* consentiens & subdita erat, vt quemadmodum cælum orbes motoribus suis sine vlla mora subduntur ad motum (quoniam nihil in se habēt, quod huic motui repugnet) sic beatæ Virginis voluntas ita Deo subdita erat, vt nihil penitus in ea esset, quòd diuinæ voluntati vlla ex parte contrairet. Itaque cùm in oratio-
*Matth. 6.* ne Dominica docebat, Adueniat regnum tuum, magnum in ea videndi eius regni desiderium excitabatur. Cùm verò protinus adiiciebat, Fiat voluntas tua, statim hoc ipsum desiderium diuinæ voluntati plenissimè subdebatur. Hanc autem virtutem alij obedientiam, alij sui ipsius abnegationem, alij resignationem, quidam vero vt hanc ob emperandi propensionem magis amplificent, propriæ voluntatis annihilationem nuncuparunt, hoc videlicet insinuantes, vt quidquid in nobis proprium, quidquid à diuina voluntate dissonans & alienum esset, non solùm eraderetur, sed etiam (si id fieri posset) ad nihilum redigeretur. Qui autem hoc dixerūt, non quid fieri ab hominibus soleat, sed quo potissimùm eniti debeant, admonere voluerunt. Hoc autē quod in sanctis aliis minus inuenitur, in hac sacra Virgine perfectissimè atq; plenissimè deprehēsum fuit. Ideò nihil in illa erat, quod

illam

ctiam à diuinæ voluntatis amplexu retraheret. Quo factũ est, vt Virginis voluntas sic in diuinã voluntatem transiata esset, vt ex duabus volũtatibus vna quodammodo effecta, & quasi conflata videretur. Itaque adeò libenter vitæ huius exilium sustinebat, vt si diuinæ volũtatis esse intelligeret, vlque ad extremum iudicij diem in eodem permanere, minimè recusasset. Sed hęc tamẽ obedientiæ alacritas & facilitas nihil impediebat, quo minus huius tam diuturni exilij labor magni apud Deum meriti esset. Alacritas enim & promptitudo voluntatis minuit quidem laboris acerbitatem, sed præmij magnitudinem adeò non minuit, vt etiam cumulet: Hilarem enim datorem diligit Deus. 2. Cor. 9.

II.

Expẽdimus vtcunque Virginis meritainunc meritorũ præmia videamus. Si igitur præmij magnitudo charitatis magnitudini respondet (vt antè diximus) quale, quæso, præmiũ tantæ charitatis constitutũ erit, quæ tam longo interuallo Sanctorum omnium charitatem superauit? Nam vt breuiter hanc partẽ absoluam, omnes illi Deum tanquam Dominum, nemo verò tanquam filium, sicut ipsa, dilexit. 1. Cor. 3. Præterea, si (vt Apostolus ait) vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem, qualem hodie mercedem percipiet, quę tot labores cum Christo, & propter Christum passa est? Ait ad discipulos suos Dominus, Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus Luca 22. meis: & ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. At hi paruo tempore Christum secuti sunt, quem tandem passionis tempore (quod minimè decebat) deseruerunt. Quod igitur regnum illi paratum erit, quæ ab infantia ad crucem vsque filium secuta est, & quæ iuxta crucem stetit, vbi & amantissimi filij vocem loquentis audiuit, & sanguinis riuos ab eius vulneribus defluentes piis oculis vidit, & ignominiatũ filij, tanquam vera eius mater, particeps effecta est? Si verò martyribus tam copiosa in cœlo merces constituta est? quod martyriũ cum hoc Virginis martyrio comparari potest. Nullus enim martyrum tam charam corporis sui vitam habuit, quàm Virgo filij: vnde consequens est, vt maiorem dilectionẽ maior cruciatus consequeretur. Præterea, si rectè à Salomone dictum est, Desiderium si compleatur oblectat animam? & Lignum vitę desiderium veniens: si sacra Virgo tanto videndi filij desiderio æstuabat, quo nunc gaudio repleta fuit, cùm amantissimi filij faciem videre, brachijs stringere, oscula figere, & amantissima eius præsentia frui dată est? Ad hæc, si gratia, & gloria ita sibi inuicem respon-

Ioan. 19.

Prou. 13.

Ibidem.

dent, vt

dent,vt magnitudini gratiæ ſublimitas reſpondeat glorię,qualis eius erit gloria,in quam tota ſe infudit plenitudo gratiarum:
*Bernar.* Rectè enim Bernardus,Quantũ,inquit,gratiæ in terris adepta eſt præ cęteris,tantum in cœlis obtinet glorię ſingularis. Quòd
*1.Co.2.* ſi oculus non vidit,neque auris audiuit, neque in cor hominis aſcendit,quę pręparauit Deus diligentibus ſe; quid pręparauit gignenti ſe?

Quę cum ita ſint,quis(vt idem Ber.)cogitare ſufficiat,quam
*Bern.* glorioſa hodie mundi Regina proceſſerit:& quanto deuotionis affectu tota in eius occurſum cęleſtium legionum prodierit multitudo:& quibus gaudiis redundauerit cum Regis ac Domini ſui matrem in cœlos aſcendentem vidit? Qua lętitia ſanctarum Virginum chori perſultarunt,cum virginum reginã venientem viderunt?Quid ſancti Confeſſores cùm eius gloriam contemplati ſunt,quam ipſi dum viuerent,humilitatis, puritatis charitatis,omniumque virtutum ſibi exemplar propoſuerunt: Quid triumphalis Martyrum exercitus, cum dolorum ſuorum ſociam,& plus quam martyrem in paſſione filij,gratulabundi & lętantes exceperunt, Quid Prophętę, qui Spiritu ſancto pleni, tam multa de ea olim vaticinati ſunt?Quid ſancti Patriarchę, cũ filiam ſuam in tanta gloria & fœlicitate cęleſtes ſedes petentem admiratę ſunt?Longè tamen maior beatarum mentium admiratio extitit,cum mortalem naturam ſupra immortales ſubſtantias euectam,& fœminam carnis pondere circumdatam, ſpiritibus ipſis qui ab omni corporea mole ſecreti ſunt,puriorem & ſanctiorem viderunt.Hinc admirantes dicere cœperunt: Quæ eſt iſta quę aſcendit de deſerto,deliciis affluẽs,innixa ſuper dilectum ſuum?Quę eſt illa quę aſcendit ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhę,& thuris,& vniuerſi pulueris pigmentarij?Quę
*Cant.8.* eſt iſta quæ aſcendit quaſi aurora conſurgens,pulchra vt Luna,
*Cant.3.* electa vt Sol,vtpote quæ Sole amicta,luci illi inacceſſibili videtur immerſa , Quàm familiaris huic Soli facta es ô Domina,
*Cant.6.* quam proxima,quam intima.Quantam inueniſti gratiam apud eum?In te manet,& tu in eo; veſtis eum,& veſtiris ab eo. Veſtis eum ſubſtantia carnis,& veſtit te ille ſuæ gloria maieſtatis: Veſtis nube Solem,& Sole ipſo veſtiris.

Verum hæc admirantes Angeli dicunt, Quid ipſe digniſſime & ſanctiſſimæ matris filium ? quam læto vultu,quam ſerena facie,quam diuinis amplexibus hodie ab eo ſuſcepta & ſuper omnem eſt exaltata creaturam,cum eo honore,quo tanta mater digna fuit,cum ea gloria,quæ tantum decuit filium: Felicia prorſus oſcula labiis impreſſa lactantis,cui virgineo mater applaudebat

debat in gremio. Sed quanto nunc fœliciora censebimus, quę ab ore sedentis in dextera patris hodie in beata salutatione susce- 2. Re. 2.
pit. Verum ad quem putatis locum ad quam sedem sublata est? Cùm Bersabee post Dauidis mortem, ad Salomonem filium in aulam regiam ingressa fuisset, filius in occursum matris progrediens, iuxta thronum suum matri thronum apponi iussit. Si hac igitur gloria Salomon adulteram matrem honorauit, qua gloria Virginis filius virginem matrem hodie decorauit? Super omnes igitur Sanctorũ ordines, super omnes Angelorũ choros exaltata ad dexterã filij gloriosa hodie consedit, vocẽ illam ex Cant. libr. Cant. 3.
repetens; Inueni quem diligit anima mea, tenui, nec dimittam.

III.

Sed quid nostra refert, fratres, quòd Virginis gloriam prædicamus, si ab eiusdem gloriæ communione ignauia nostra secludimur. Itaque iam dudum desiderare vos credo, vt quibus potissimum gradibus ad huius tantæ gloriæ consortium perueniatur exponamus. Multi sunt planè, quos mistyca illa scala Iacob adumbrabat. Vnus tamen est, qui omnia præstat, nempe non Ge. 28.
vulgare & languidum, sed ardens & incitatum eius gloriæ consequendæ desiderium: hoc enim omnia quæ ad eam obtinẽdam necessaria sunt, simili ardore concupiscere facit.

Sed dicetis forsitan: Rectè sanè, bene habet: in tuto iam salus nostra sita est, quando nemo est, qui non ad fœlicitatem istam aspiret, qui non vehementer eius desiderio flagret. Imò verò, fratres, longè aliter se res habet: atque vtinam ego in hac repseudopropheta essem. Arbitror enim minimam hominum partem hoc desiderio teneri. Ad quod non leui coniectura ducor: ait. n. D. Augustin. Aug. in Conf.
rat, qui eam iis, quæ in terra præstantissima habentur, facilè anreponit: hoc est, qui, cum aut terrestris patrimonij, aut alicuius insignis vtilitatis iactura facienda sit, terrena omnia perire maluit, quam ab illa spe cælestium bonorum excidere, talis sempiternam illam feliciratem verè desiderat. A quo tamen affectu adeo longè vulgus hominum abest, vt non modo quæ pretiosissima in vita habentur, sed etiam quæ viliſsima & abiectissima sunt illi fœlicitati præferat. Si enim quoties in lethale crimen incidimus, summum illud bonum amittimus, nos autem pro rebus nihili huiusmodi crimina committimus, an non vilissima quæque huius mundi, regno illi anteferimus? Quod cum facimus, quonam modo nos eius desiderio flagrare dicimus?

Quia verò peruersio hæc ex immodico terrenarum rerum amore nascitur, hunc à se primum abẽgare debet, quisquis in cœ-

lum

lum contendere parat. Hic enim mentem noſtram à cæleſtibus ad terrena adeo potenter auocat, vt qui eo vinctus eſt, vix aliud cupere aut cogitare, vix aliud quærere aut ſapere, niſi carnalia & terrena ſciat. Vbi enim eſt theſaurus eius, ibi & cor, & omnis
Matt. 6. cura & cogitatio eius. Hanc igitur immoderatum terrenarum rerum amorẽ ab anima ſua primum pellere debet, quiſquis per illam ſcalam Iacob (cuius modo mentionem fecimus) in cælũ aſcendere cupit. Cuius cum multi ſint gradus, primus tamen omnium à terra eleuatur: quo intelligimus, terram primum eſſe deſerendam ei qui in cœlum aſcendere deſiderat. Quæ quidem res non modo veræ ſanctitatis initium, ſed magna etiam ſanctitatis portio eſt. Hinc Origenes, ſanctitatis nomen (quod frequenter in literis ſanctis repetitur) definiens, ad Græci nominis etymologiam recurrit, quod eſt, ἅγιος, quod ab α, & γῆ compoſitũ hominem ſine terra ſignificat: hoc eſt, qui terrenarum rerũ ſtudio & amore ſublato, ſe totum diuinarum rerum ſtudio & amori tradidit. Quemadmodum, ait ille, quæ Deo ſanctificata ſunt (vt ſacra vaſa, cæteraque ſimilia) à profanis vſibus ſeceruntur: ita qui veræ ſanctitatis amatores exiſtunt, terrenis curis & negotiis minimè implicari debent. Hoc eſt autem quod Petrus
Origen. in Leuitic.
1. Petr. 2. Apoſtolus obnixe à nobis exigit, cum ait; Obſecro vos tanquã aduenas & peregrinos abſtinere à carnalibus deſideriis, quæ militant duerſus animam. In quibus verbis vult nos Apoſtolus nõ tanquam ciues, ſed tanquã aduenas & peregrinos in hoc mũdo verſari: ideoque verat, ne altas carnalium deſideriorũ radices in eo iacimus, quibus terræ affixi, peregrinationis noſtræ memoriam deponamus. Proprium enim peregrini eſt, ad patriam tendere, eo curſum dirigere: in ea, mente, ſtudio & cogitatione verſari, nul ibi radices figere, & loca omnia, ad quæ declinat, nõ tãquam patrias ſedes, ſed tanquam hoſpitia, quæ protinus deſerenda ſunt, exiſtimare. Idem autem facit, qui patriam in cœlis quærit, qui in hoc mundo ſe tanquam aduenam & peregrinum gerit: vt qui ſciat cum Apoſtolo non habere ſe hic ciuitatẽ manentem, ſed futuram inquirere. Quàm ſit autem ſpiritualis peregrinatio nobis neceſſaria, mira figura Zacharias Propheta deHebr. 13. ſignauit: qui poſteaquam aquas viuas è Hieruſalem ad mare orientale, & ad mare nouiſſimum dimanaturas eſſe prænunciauit (per quas Euangelij grãtiam, quæ aquarum nomine ſignificatur, per vniuerſum mundum dilatandam intelligit (paulò poſt
Zach. 14. ſubiungit: Et omnes qui reliqui fuerint de vniuerſis gentibus, aſcendent vt adorent Dominum Regem exercituum, & celebrent feſtiuitatem Tabernaculorum. Et erit, qui non aſcende-

rint

rint de familiis terræ ad Hierusalem, vt adorent Regem Dominum exercituum, non erit super eos imber. Mira planè lex, nec minus miranda comminatio. Cur enim Dominus veteris legis festa & cæremonias, aduentu Christi antiquatas, modo renouat? Cur item ex tam multis veteris legis solennitatibus, hanc vnam Tabernaculorum potissimum elegit, quam inuiolatam esse voluit? Hoc certè argumento apertè liquet, Zachariam Prophetã ab occidente litera ad viuificantem spiritum traducere nos voluisse. Festum autem Tabernaculorum ad hoc lege institutum fuerat, vt in eo filij Israel antiquam illã quadraginta annorum peregrinationem, quibus ab Aegypto egressi, per desertum vagantes, non in domibus, sed in tabernaculis (tanquam peregrini, qui sedes patrias inquirunt) morabãtur, ad memõriam reuocarent. Hoc autem festum, quod iuxta historiæ seriem iamdudum cum cæteris veteris legis cęremoniis antiquatum est, iuxta spiritualem intelligentiam vult Dominus à fidelibus perpetuò celebrari; vt sicut illi quadraginta annorum spatio se tanquam peregrinos, qui patriam inquirebant, gesserunt; ita nos quamdiu in hoc corpore militamus, peregrinos in hoc seculo nos esse cre damus, qui ad cælestem patriam (quæ nobis ab origine mundi parata est) indefesso cursu contendamus, ad nihil videlicet aliud nos conditos, & in hanc lucem editos intelligentes, quam vt hoc breuis æui spatio pietatem colentes, & autorem tan: ę fœlicitatis Deum debitis obsequiis promerentes, sempiternę quietis & fœlicitatis sedem percipere mereamur. Ad hanc enim curam & studium nati sumus, ad hoc à Deo alimur & sustentamur, ad hoc misericorditer & patienter ab eodem expectamur; ad hoc tot internis & externis Dei & Ecclesiæ vocib' quotidie inuitamur; ad hoc nobis cęlũ, terra, mare, Sol, Luna, cæteraque cæli astra & elementa famulantur, vt nos eorũ autori debitum famulatus obsequium exhibeamus. Super eos verò qui aliter se gerunt, qui hoc Tabernaculorum festum in spiritu non celebrant, qui videlicet omnes curas & cogitationes suas ad terrenas cupiditates nõ tãquam peregrini, sed tanquam mundi ciues abiecerunt, minatur Dominus cælestem imbrem, hoc est cælestem gratiam defuturam, quæ sola mentem refixit, sola sitim eius sedat, sola terram cordis nostri fecundat, & æternæ vitæ fructus germinare facit. Nulla autem grauior pœna legis huius trangressoribus apponi potuit. hoc enim spirituali imbre sublato, cor nostrum protinus velut terra deserta & inculta manet, quę nihil aliud quam tribulos & spinas in ignem coniiciendas profert. Hunc autem peregrini hominis affectum atque animum ideò tantoperè nobis

*Exod. 23.*

*Deut. 16.*

*Exod. 10.*

Dominus

Dominus commendat, quòd intelligat, omnium malorum nostrorum causam esse, quod in hoc mundo nō tanquā incolæ & peregrini, sed tāquā ciues atq; domestici nos gerimus. Sic enim vitā nostrā instituimus, sic terrenis rebus affixi sumus, quasi ad hanc solum vitam nati essemus & nihil à morte expectaremus, neque post eam vllum iudicium aut vllum siue præmium, siue supplicium superesse crederemus. Hi sunt autem quos Prophe ta in terra obliuionis degere significauit, cum ait, Nunquid co-
*Psal. 87.* gnoscentur in tenebris mirabilia tua, & iustitia tua in terra obli uionis? Quid terram obliuionis appellas? Finxerunt Poëtæ ante inferorum aditum esse Lethæas quasdam aquas, è quibus defunctorum animæ bibentes, omnium quæ in hoc nostro orbe geruntur, obliuiscerentur, hoc planè fabulā esse constat. At generis humani hostis alias similes his aquas habet, quas seculi hominibus propinasse videtur, quæ illos sic de mēte deducunt vt sui ipsorū, hoc est, vt finis, cuius gratia conditi à Deo sunt, & eorum quæ ad hunc finē consequendum necessaria sunt, penitus obliuiscantur. Hi sunt igitur qui in hac terra obliuionis habitare dicuntur. Tu igitur, qui tota ferè vita nunquam seriò de Deo, de anima tua, deque salute tua cogitasti, qui nunquā ad te ingressus, intra te rationem inire atque dicere cæpisti, Quis me condidit? ad quid condidit? ad quid in hanc lucem processi? quis autor, & quis finis vitæ meæ? quid hactenus designaui? in quo vitam & annos expendi? quis me manet exitus? quæ post hanc vitam sors? quisquis, inquam, hæc nunquam serio cogitasti, in hac vtique terra obliuionis habitas in qua neq; mirabilia Dei neque iustitia mandatorum eius agnoscitur, aut cogitatur. Cuius illa pœna est quam is per Propheram comminatur, cum
*Oseæ 4.* ait: Oblita es legis Dei tui, obliuiscar & ego filiorum tuorū. Et
*1. Cor. 14.* illa item, Ignorans, ignorabitur. Nam agnoscis Deum nō agnoscens ab eo: & ita cum fores cœli pulsaueris audies funestā illā
*Matt. 25.* Domini voce, Amen dico vobis, nescio vos. Quicunque igitur hoc modo in terra obliuionis habitant, hoc Tabernaculorū festum non celebrāt, vt pote qui non tanquam peregrini & incolæ, sed tanquā huius mundi ciues se in eo gerant: ideoq; futurorum obliti, sola præsentia captant, sola cogitant, sola sectātur.

Sed dicet fortasse aliquis, Qui fieri potest vt amorem à rebus visibilibus ad diuisibilia transferam, cum has coram videā, harum specie delecter, & fructu viuam, & cōtubernio fruar, spiritualia autem neque oculis cernere, neque manibus cōtrectare, neque aliquo externo sensu percipere queam? Quamuis enim spiritualia quæ non videntur, longo interuallo iis quæ vidētur,

præstan-

præstantiora atque diuiniora sint, vehementer tamen amorem erga illa impedit, & earum species nullo sensu percipi potest

*Responsio prima. Matt. 27.*

Ad hoc igitur primum illud respondemus, nos quidem nõ nostra, sed diuinę gratiæ virtute (quæ piis mentibus per Christum donatur) hoc præstare posse. Quid enim aliud significat, quòd pecunia illa quę Dominici sanguinis pretium extitit, sepultura in agro figuli empta est, in qua peregrini tumularentur? Quid autem sepultura, nisi quietis & mortis locus est? At sanguinis huius prerio atq; merito hęc sepultura cõparata est. in qua spirituales isti peregrini quiescant, & in qua mũdo mortui atque sepulti, soli Deo viuãt. Hoc autem modo mũdo mortui sunt, qui neque secundis rebus efferuntur, neq; aduersis cõtrahuntur, neque honoribus tument, neque iniuriis cõmouentur; sed in quauis fortuna eundẽ animi statum retinere conantur. Ex hac autẽ spirituali morte placidissima quies animi oritur, quam nec prospera mundi, nec aduersa interturbare possunt. Quisquis enim terrenarum à se rerum amorem abdicauit, non habet cur vel earum prouentu gaudeat, vel earum iactura torqueatur. Qui autẽ hoc animo est, verus in hoc mundo peregrinus est, & in hac peregrinorũ sepultura requiescit, quæ illi sanguinis Christi pretio empta est. Hoc igitur primũ est quo vnigenitus Dei filius adiuuat peregrinationem nostram.

Adiuuat etiam beatissima eius mater, assidua intercessione, quæ (vt D. Bernar. ait) mediatrix pro nobis ante filium est, sicut filius ante Patrem. Cum enim recolit peccatorũ occasione, Verbum Dei carnem nostram induisse (vnde ipsa ad tantam dignitatis celsitudinem euecta sit) quomodo non maximam eorũ curam geret, qui huius tantæ gloriæ occasionem illi præbuerunt? Præterea cum virginis in Deum charitas tanta sit, quantam paulo ante explicauimus, fieri non potest, quin ea quæ tanto in Deum amore flagrat, non maximo etiã amore homines ad imaginem Dei conditos prosequatur. Quo enim ardentius charitas fertur in Deum, eo etiam vehementius in eos rapitur, quos tanquam diuinũ aliquid diligit propter Deum. Quod mystice thalamus ille significat, quem iuxta Orientalis portæ introitũ Eze- *Bernard.*
chiel Propheta in illius admirãdi ac mystici templi fabrica de- *Ezec. 40*
scripsit: cuius parem longitudinis & latitudinis mensuram esse ait. Thalami autẽ nomine D. Gregorius hoc in loco charitatẽ *Gregor.*
intelligit: in qua, velut in spirituali quodam thalomo cælestis sponsus requiescit. Deus enim charitas est, & qui manet in cha- *1. Ioan. 4.*
rirate, in Deo manet, & Deus in eo. Hic ergo charitatis thalamus parem longitudinis & latitudinis mensuram habet: quo-

niam charitas quantum se versus Deum in altum effert, tantum se per fraternæ salutis amorem in latum porrigit. Quæ cum ita sint, qua quæso Virgo beata dilectione naturæ suæ consortes diligere credenda est, quæ tantopere Deum diligit? Quid verò ad se piè & suppliciter confugientibus non impetrabit, quæ simul & mater misericordiæ est, & iudicis mater? Vt enim misericordiæ mater, pro nobis orabit: vt verò iudicis mater, quod petierit, impetrabit. Quod quidé eius auxiliũ vt iustius promereamur, erit sanè operæ pretium vt eiusdem Virginis Psalterium (quod omnem filij matrísque vitam cõtinet) illi quotidie quãta poterimus deuotione offeramus. Hoc enim officio vtrique, hoc est, matri simul & filio poterimus gratificari. Constat enim inter omnes precandi formas & spiritualia exercitia, nullum esse cui tot gratiæ à Romanis Pontificibus concessæ sint; quas ætate nostra Pius V. Pontifex Maximus non modo confirmauit, sed etiam auxit & locupletauit. Constat etiam nullum esse studium quo facilius mens nostra ad diuinitatis cognitionẽ & amorẽ assurgere valeat. Cùm enim quamdiu hac corporis mole septi sumus, Deum nisi per opera & beneficia sua cognoscere nequeamus, certum est, omnium siue operum, siue beneficiorũ diuinorum Christi incarnationem & passionem maximum extitisse: quam in hoc Virginis Psalterio recolunt, quicũque illud piè ac religiosè meditantur. Qui autem hoc agunt, Mariæ, vtiq; officium exercent, quæ sedés secus pedes Domini audiebat verbum illius, cæleſtiaque mysteria, quæ ab ore narrantis excipiebat, intra pectus suum deuotissimè condebat. Quod quidem officium Saluator ipse pio sororis officio (quamuis maximè laudabili) prætulit, cùm ait: *Mariæ optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Quam quidem partem D. Bernardus his verbis cõmendat: Mariæ quidem vita eligenda, Marthæ verò toleranda est. Ea enim vita, quæ semper cum Deo versatur, semper Deum intuetur, plan è optanda: sed altera tamen ob parendi necessitatem & humanę vitæ necessitatẽ patienter est toleranda. Ad illã pertinet gaudium & lætitia, huius verò propria est patientia.

*Bernard.*

Sed ais forsitan; Vita hæc ad eos magis pertinet, qui monasteriis inclusi, & à molestissimis huius seculi curis & negotiis feriati se totos diuinarum rerum contemplationi tradere possunt. Sit ita sanè: non tamen desunt alij in seculo, qui diuini Spiritus fauore adiuti, sint etiam cœlestis huius vitę sectatores: qualis sancta illa fœmina extitit, quam D. Hieron. ait in vrbe turbida eremum inuenisse monachorum. Adde etiam, quod quicunque negotiis familiaribus implicati sunt, quæ vel imperat charitas, vel

*Hieron. in Epist.*

domestica

domeſtica exigit neceſſitas,non omnino diuinæ contemplatio nis expertes eſſe debent. Oratio enim cõtemplationis particula quædam eſt:quæ piè in Chriſto viuere volentibus familiaris admodum eſſe debet:alioqui,quis ſine eius ope inter ſeculi homines verſans,inter tot laqueos & pericula,inter tot hoſtium tentationes & inſidias tutus incedere poterit?Monachos igitur ſtatus ſui profeſſio ,ſeculi autem homines periculi ſui magnitudo ad orandi ſtudium adigit:illi, vt indies ſanctiores euadant,hi, ne præſentibus malorum periculis deteriores fiant. Illi , vt monaſticæ vitæ perfectionem aſſequantur,iſti,ne Chriſtianæ vitæ innocentiam amittant.Qua quidem ex re intelligere licet,egere Martham auxilio & ſocietate Marię.Quod planè eadem ipſa confitetur , cùm ſe ab ea poſtulat adunari Actioni enim non omnino deeſſe debet oratio:neque rurſum contemplationi(vbi id fraterna charitas aut neceſſitas vrget) piæ actionis operatio; ſed altera alteram tanquam fidelis & germana ſoror adiuuet,& ab altera iuuetur ne vel oratio ſterilis & ieiuna, vel operatio arida ſit atque moleſta , ſi fuerit orationis pinguedine & ſolatio deſtituta. His igitur duabus aliis ſuffulti,fratres,facilè in ſublimia feremur,atque ad cæleſtem patriam euolabimus : in qua præter innumera alia gaudia,fidelibus operarijs propoſita, beatiſſimæ Virginis Mariæ(quæ in cæleſtem illam Hieruſalem hodie aſſumpta eſt)fœlici contubernio in omni æternitate perfuemur preſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum,Amen.

## In eodem feſto aſſumptionis B. Virginis Mariæ concio tertia:in qua primo loco Euangelica lectio,ac præcipuè verba Thematis explanantur, deinde de huius diei feſti gloria,& communi Virginis,ac cæleſtis curiæ lætitia agitur.

THE. *Vnum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit,quæ non auferetur abea.* Lucæ 10.

INter omnes dies feſtos, quos Eccleſia in ſacratiſſimæ Virginis laudem & honorem celebrat , non dubium quin hodiernus dies principem ſibi locũ vindicet. Cæteris enim diebus ea myſteria recolit,quæ in hoc mundo celebrata ſunt,hoc eſt, in hoc mari magno,in quo nunquam tempeſtates,&procella,nunquam turbidi fluctus & nubiladeſunt,ideoque vix aliquid adeo fauſtum & fœlix euenire in eo poteſt , quod non aliqua triſtitiæ

nebula respersum sit. Magna fuit ea lætitia qua beatissima Virgo mundi Saluatorem enixa est, quam Angeli cœlestibus cantieis & diuinis laudibus illustrarunt: sed hanc tamen letitiam stabuli horror, præsepij duritia, pauperes panni, & infantis vagitus, *Luc. 2.* & lacrymæ temperarunt. Magna fuit Virginis lætitia, cùm octauo à natiuitate Domini die glorioſum & salutare Iesu nomen (quod est super omne nomẽ) puero impositum fuit: sed ea tamen cum pretiosi sanguinis profusione, & filij lacrymis atque dolore *Ibidem.* coniuncta fuit. Magna item lætitia paulo post consecuta est ex Simeonis & Annæ viduæ testimonio, cum infans in templo Domino offerretur, vbi pater & mater mirabantur super his quæ dicebantur de illo: sed qualis mæror hanc lętitiam consecutus est, cum senex inter varia laudum prędonia, agones & certamina filij, & matris dolorem, & gladium, eius animam sociantem, vaticinatus est? Iam verò resurrectionis faustissimum gaudium, quod intemeratæ Virginis animam miro modo lętificauit, non ita lætificauit, vt recentis sanguinis & acerbissimæ passionis imaginem ab eius mente penitus aboleret. Vulnera quippe illa Virginis animo, quandiu vixit, altissimè semper impressa fuerunt. Iam verò Ascensionis Dominicæ gloria atquæ lętitia quàm magna & miranda fuit! Quid enim mirabilius, atque homine Deo dignius, quàm vt in cœlum, cœlorum conditor ac Dominus, per mediam aeris regionem propia virtute conscenderit? Ad hæc tanta Virginis lætitia non omnino doloris expers fuit, cùm se ab amantissimo filio diuelli, & illo discedente, in valle miseriarum *2. Reg. 6.* relinqui vidit. Si vaccæ illæ arcam Domini è regione Philistinorum in terram Israel ferentes, aeres mugitus edebant, quod à vitulis suis separarentur, quid de hac matris & filij separatione sentiendum erit? Videtis ergo, fratres, omnia beatæ Virginis festiua gaudia, quæ in hac vita præcepit, doloribus semper admixta fuisse. At verò in huius diei gaudio nullus miscetur extraneus, nulla interuenit vel exigua mæroris nubecula, quæ huius diei serenitatem inficiat; sed contrà potius omnia lætà & iucunda, omnia fausta atque fœlicia. Hæc enim dies terminus laborum, linis lacrymarum, & placidus atque tutus longissimæ nauigationis portus extitit. De huius ergo diei lætitia hodie dicturi, cœlestem opem, eiusdem sacratissimæ Virginis intercessione, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

*Partitio.* Primo loco lectionem sancti Euangelij, ac præcipuè Thematis verba (quæ singularem quandam philosophiam continent) explanabimus: ac deinde ad sacratissimæ Virginis laudes, &

des,& festum eius diem veniemus. Ait ergo sanctus Euangelista intrasse Dominum in quoddam castellum, ibique à muliere quadam hospitio exceptum: *Cuius erat soror nomine Maria: quæ sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium.* Cumque Martha sororis auxilium à Domino postulasset dicens, *Domine, non est tibi curæ quòd soror reliquit me solam ministrare?* ille Mariæ causam & patrocinium suscipiens, ex postulanti sorori ait: *Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum est necessarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Magna hoc in loco inter Doctores quæstio est: quid sit hoc vnum, quod necessarium esse Saluator ait? Non defuerunt enim qui literæ nimium adhærentes dicerent, hac oratione Dominũ non multa ad prandiũ fercula, sed vnum tantum esse necessarium ac sufficiens voluisse significare. Verum hac opinione, cęterisque prætermissis, si rem ipsam, de qua agebatur, attentius inspiciamus, inueniemus planè, vnum illud esse necessarium, quòd Maria agebat, nẽpe Deo per cognitionem & amorem indissolubili charitatis vinculo adhærere. *Pro. 16.*

Sed dicet aliquis forsan, quonam modo vnũ hoc tantũmodo necessarium esse dicatur; cùm multa alia ad corporis salutẽ necessaria esse videamus: An non edere, bibere, cæteraque, sine quibus hæc vita non transigitur, necessaria quoque esse perhibẽtur. Sunt fateor ista quoque necessaria: sed quemadmodum stellæ (quarum splendor à cœlis ad terram vsque, hoc est, ad remotissima loca pertingit) vbi in lucẽ Solis incurrerint, splendorẽ suum amittunt: sic planè diuinitatis cognitio atque amor adveram salutẽ nobis necessarius est, vt terrena omnia, huic necessitati comparata, minimè necessaria esse dicantur. Vt enim quæcunque inter creaturas, bona & pulchra sunt, diuinæ bonitati & pulchritudini collata, nec bona nec pulchra sunt, nec omnino sunt: ita omnia alia quæ ab hominibus necessaria esse putantur, si cum pietatis & iustitiæ necessitate comparentur, necessitatis nomẽ amittunt. Adde etiam, quòd secluſa hac ipsa comparatione, verissimè à Domino dictum est, hoc vnum esse necessarium: quia si quis hoc vnum fideliter præstiterit, omnium aliarum rerum, quæ ad tuendam vitam dicuntur esse necessaria, compos erit. An nõ hoc apertè Saluator declarauit, cùm ait, Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis? An non idem etiam illa Psalmographi verba pollicentur, Timete Dominum omnes sancti eius: quoniam nihil deest timentibus eum? Diuites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum non deficient omni bono. Liquet igitur, siue hac ratione, siue ea *simile.* *Simile.*

quam antè commemorauimus, veriſſimum eſſe quod veritas dixit, vnum eſſe tantummodo neceſſarium, cætera verò huius comparatione velut otioſa & ſuperuacanea eſſe.

I.

Hoc ita conſtituto, libet nunc, fratres, rem omnium maximè mirabilem inter omnia, quæ hactenus in mundo contigerunt, quęque in poſterum futuris ſeculis contingent, paulò fuſius explicare. Permitte autem mihi ſeptem illa mundi miracula, quæ à ſcriptoribus gentium referuntur, breuiter enumerare. Inter quæ primùm Babylonis muri numerantur, qui (vt Plinius ait) ſexaginta millibus paſſuum protendebantur, eſque latitudine erant, vt ſex per eos currus ingredi ſine offenſione poſſent. Referuntur & Pyramides Ægypti, miræ magnitudinis & artificij: & Rhodi Coloſſus in Solis honorē formatus, qui ſexaginta cubitis in altum attollebatur: & Mauſoleum Artemiſiæ Reginæ: hoc eſt, inſigne ſepulchrum quod hæc fœmina viro ſuo Mauſolo ad ſempiternam eius memoriam ædificauit: templum quoque Dianæ, quod Epheſi bis centum annis miro opere extructum fuit: quòd tamen quo die Alexander Magnus natus eſt, arſiſſe dicitur. Hæc & quædam alia his ſimilia ſunt quæ homines inter maxima mundi mirabilia numerant. Ego autem hac Domini ſententia conuictus, rem adeò mirabilem vobis modò ante oculos ponam, vt hæc ipſa quæ commemorauī, & quæcunque alia humano ingenio fingi poſſunt, huic collata, neq; mirabilia ſint, nec omnino aliquid ſint. Si enim ex his quæ diximus, apertè conſtat, vnum tantùm eſſe in hac vita neceſſarium (quod ſuperius expoſuimus) cętera verò omnia huic vni collata velut otioſa & ſuperuacanea, ac omnino nihil eſſe, quid, quæſo, mirabilius quàm fidelem hominem, qui hęc ipſa certa & indubitata fide tenet, omnia alia ſtudioſiſſimè curare, & illud ſolùm negligere, quod ſolùm ſpretis omnibus, vt pote ſolùm neceſſarium captandum erat? Hæc res, quam quotidie oculis cerno (imò vix aliud in vita hominum cerno) tanta me admiratione afficit, vt vix vllo tempore hūc ab animo affectum excutere poſſim. Quia verò iuſtiſſimum eſt vt hoc eodem admirationis affectu vos quoque, fratres, concutiamini, quo omnem diuini numinis offenſionem vehementius vitare poſſitis, rem totam & cauſam eius, à prima repetens origine, vobis ante oculos ponam. Expendamus igitur, quis hunc mūdum condiderit, & cui potiſſimum, & in quem vſum condiderit.

Deum autē eſſe huius tantæ molis architectū & conditorem, non modò catholica fides, ſed ipſa quoque ratio & humana philoſophi

losophia confitetur. Cùm autẽ vel ex ipsius Aristotelis sententia constet hominum gratia hunc mundum esse cõditum (Sumus enim nos, inquit, ille, quodammodo finis omnium) quærendum protinus est, cuius rei gratia homo ipse cõditus sit, propter quẽ cætera facta sunt. Nũquid enim hic tantus artifex tam nobilem creaturam frustra condidit? Nunquid, ait, Propheta, vanè constituisti omnes filios hominum? Quis hoc nisi mẽte captus affirmare audeat? Frustra enim cætera condidisset, si frustra esset homo, cuius gratia cętera cõdita sunt. Quòd si propter aliquem finem condidit, nunquid in hoc condidit, vt vel cõgerẽdis opibus, vel vanis honoribus captandis, vel vt Sardanapali more omnibus se deliciis & turpissimis voluptatibus dederet, atque ita in porcorum naturam qui in cœno volutantur, degeneraret? Quis mentis compos credere possit, perẽnem illum sanctitatis & bonitatis fontem in hũc finem tam nobilem creaturam destinasse? Fides igitur catholica atque ratio ipsa nos docet, optimum cõditorem in optimum finem hanc adeò nobilem creaturam condidisse. Nullus autem præstantior finis, quàm vt autorem, & mundi principem atque parentem, eundemque summum bonum (sicut Augustinus ait) intelligeret, intelligẽdo amaret, amando frueretur, atque ita demum diuinitatis eius consors & particeps fieret. Ad hoc igitur munus & officiũ homo cõditus est, ad hoc ipsum illi mundus seruit, dum & cõmeatum suppeditat, quo vitã corporis tueri & conseruare possit, & diuinæ bonitatis & sapientiæ argumẽta præbet, quibus ad illius cognitionem & amorem assurgere valeat. Hæc igitur vna causa extitit, cur naturæ conditor, & hominem, & amplissimum hoc rerum omnium theatrũ creauerit. Vnde factum est, vt cùm ante diluuij tempus homines vix vllam diuini honoris & religionis curam habuissent, neque id præstarẽt cuius gratia cõditi erant (omnis quippe caro corruperat viam suam) nullam diuina mẽs causam esse putauit, cur diutius mundum hunc inferiorem esse pateretur. Itaque illum funditus deleuit, & alluuione obrutũ sepeliuit.

Aristot. Psal. 88. Augus. Gene. 6.

Hęc igitur prima causa est, cur homines pietatem colere debeant: quãdo in hunc præcipuè vsum à Deo fi ti atque formati sunt, frustra quidem victuri (quicquid aliàs moliantur) nisi huic officio satisfaciant. His adde diuinæ maiestatis amplitudinem, infinitasque eius laudes, propter quas (vt nihil ab eo vel antea perceptum, vel in futuro tempore sperãdum esset) iustissimum erat, vt si mille mortes ob eius gloriam quotidie nobis obeũdæ essent, libentissimo animo eas oppeteremus, & ne hac quidem re illum pro dignitate venerari possemus. Omnes enim ratio-

nes & cauſæ quæ nos ad inſignium perſonarum obſeruantiam adigũt, in vno illo cũ infinita acceſſione pleniſſimè inueniuntur. Itaque ſi nos regia dignitas, ſi cõſanguinitatis neceſſitudo, ſi amicitiæ ratio, ſi nobilitas, ſi bonitatis & ſanctitatis ſplendor, ſi opes & potentia, ſi inſignis ſapientia, ſi veneranda canicies, ſi
*Sap. 11.* percepta beneficia, ſi ingentis vtilitatis ſpes, & quidquid aliud eſſe poteſt quod nos in amorem, & obſeruãtiam, & venerationem aliorum hominum rapiat, an non hæc omnia in ſummo illo bono infinitis partibus aucta reperiũtur? an non hæc omnia ante illius ſplendorem ſic ſunt, quaſi non eſſent? an non velut momentum ſtateræ, ſic eſt ante illum orbis terrarum, & quaſi gutta roris antelucani, qui deſcendit in terram? Omnes enim
*Iſaiæ 40.* homines, inquit Iſaias, ſic ſunt coram eo, quaſi non ſint, & quaſi nihilum & inane reputati ſunt ei. Quo fit, vt omnis obſeruãtia, quæ omnis generis hominibus, quamlibet eximiis, aliquo iure debita eſt, cum ea quæ vni illi rerum omnium principi atq; parenti debetur collata, nulla ſit, ſicut perſonæ ipſæ, quamlibet excelſæ, illi comparatæ nihil ſunt.

II.

His etiam adde, quòd nos omnes ita ab vno illo pẽdemus, vt eius virtute ac poteſtate & viuamus, & moueamur, & ſimus: ita vt nec reſpirare, nec pedem aut manum mouere ſine illius ductu & imperio valeamus: ſine quo omnia quæcunque ſiunt in nihilum recideret, ex quo facta ſunt. Neque in præſenti modò, ſed etiam in futuro ſeculo, ac poſtremò omnibus in rebus quę ad vſum vitæ pertinent, ſic ab illius voluntate & poteſtate pendemus, vt nihil nobis ſine eius prouidentia ſiue lætum, ſiue triſte euenire valeat. Ipſe enim paupertatis atque diuitiarum, ægritudinis & ſalutis, mortis ac vitæ, gehennæ & cæleſtis gloriæ claues habet in manu ſua. Vnde apparet, quanto illũ ſtudio colere debeamus, qui omnibus in rebus ſic ab illo pẽdemus. Quid ſi his omnibus titulis Dominicę paſſionis & mortis beneficium omni obſequio & honore digniſſimũ adiecero? oleum vtique flammæ adiecerim, quæ ad cęlũ vſque pertingat. Conſtat igitur ex his quæ dicta ſunt, nihil eſſe in hominũ vita nec iuſtius, nec dignius, nec honorificentius, nec magis debitum, nec pluribus titulis commendatum, nec magis humanę naturę proprium, nec maiori cõtentione, maioribusque tum minis, tum promiſſis à nobis requiſitum, nec quod maiorẽ nobis commoditatem afferat ſeruatum, nec maiora detrimenta neglectum. Quid ergo indignius, quàm hoc ſolùm negligere, cętera verò curare?

Cùm ergo tot tantisque nominibus cõditori, cõſeruatori, &

ſalutis

salutis nostræ autori obnoxij simus, cùm omnia vitæ momenta vni illi debeamus, cùm omnia, quę siue in cęlo, siue in terra oculis vsurpamus, illius beneficia sint, cùm illius sit omnis sanctitas, omnis dignitas, omne decus & gloria, illiąue proinde omnis timor & amor, & omnis reuerentia & obedientia debeatur, quæ vis orationis, explicare queat, quanta sit hominum dementia, quanta cæcitatis & stuporis immanitas, nullam eius rationem habere, nullo eius amore & reuerentia tangi, nihil illi ex tot beneficiis acceptum ferre, nullas pro tãtis muneribus gratias agere, nihil eius leges & præcepta facere, nec illius autoritatem vereri, nec maiestatem honorare, nec bonitatem diligere? Cumque omnia præ illius recordatione nobis excidere deberent, aliorum omnium meminisse, ipsum verò memoria nostra penitùs eliminare: cùm cætera omnia præ illius amore deberemus fastidire, omnia propter vnum illum amare: cùm hoc solũ studium (vt antè diximus) necessarium: cætera verò superuacanea sint, hoc solum negligere, cætera verò studiosissimè curare. O rem omnium maximè deplorandam! ô insaniam detestandam! ô stuporem horrendum! ô plus quàm ferrea hominum præcordia! Obstupescite cæli super hoc (ait Dominus) & portę eius desolamini vehementer. Duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & fecerunt sibi cisternas dissipatas, quę continere non valent aquas. *Ier. 2.* An non contra hos illa etiam Mosis verba vsurpare meritò possumus, Generatio praua atque peruersa, hæccine reddis Domino populo stulte & insipiens? Nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit, & fecit, & creauit te? An non igitur hæc tanta hominum rebellio & peruicacia, supera & infera omnia stupefaciat? an non vel terra contremiscere, vel cautes etiam & rupes huius tantæ rei indignitate commoueri atque disrumpi meritò debeant? Si esset aliqua in mundo gens adeò immanis & fera, vt nullum in ea inter patres & filios fœdus, nulla amicitia esset, sed parentes filiorum, filij verò parentum carnibus vescerentur, & vtrique se mutuò vili pretio exteris nationibus diuenderent, quis non attonitus hanc tantam immanitatem obstupesceret, cùm maxima & arctissima naturæ iura (quæ nec ferę, nec serpentes violant) sic deleta & obliterata cerneret? At quanto, quęso, maiori necessitudinis vinculo rerum omnium parenti Deo astricti sumus, à quo non corpus modò, sed animam quoque, & omnia quæ ad vtriusque vitæ cultum requirũtur, trahimus? Quid ergo mirabilius, quàm non modò nullo amore erga hunc parentem affici, sed etiam rebus vilissimis & indignissimis eius amorẽ &

gratiam

gratiam commutare? An non igitur miraculum hoc(si ita loqui fas est) septem illa mundi mirabilia,quæ antè commemorauimus,longissimo interuallo superat?& tamen illa mundus in summa admiratione habuit;hoc nemo miratur? quod planè cunctis miraculis mirabilius est.

Video,fratres,vos huius tãtę rei indignitate stupefactos tacitè quęrere,vnde hic tãtus stupor in mores hominũ inuectus sit.Cùm enim videamus,animantia sic à naturę conditore Deo informata esse, vt nihil eorum prætermittant quæ ad naturam & vitam suam conseruandam requiruntur?quonam modo solus homo(cuius gratia cætera condita sunt)sic inuersus est, vt non modo in parentem suum Deum rebellis,&contumelioſus, sed suæ etiã salutis proditor sit. Hæc quæstio,fratres, adeò grauis atque difficilis est,vt multorum ingenia torserit,& multis, item magnarũ ruinarum occasio fuerit. Certè sanctissimus ille
Iob.7. Iob sic cum Domino agit,Quare me, inquit, posuisti contrarium tibi,& factus sum mihi metipsi grauis? Magna certè querela, multoque maior miseria. Cùm enim summa humanæ vitæ perfectio sic in imitatione diuinæ perfectionis &bonitatis posita sit,vt quo creatura fuerit illi similior,eò sit & perfectior? quæ maior miseria fingi potest, quàm non modò illi non esse similem, sed esse etiam contrarium? quando quod ille vult, ego nolo:quod ille diligit,ego detestor:quod ille odit,ego amplector:quod illum oblectat,me infęlicẽ cruciat. Ex quo planè sequitur,vt cùm salus &fœlicitas mea cum diuino cultu & pietate coniuncta sit,qui aduersus Deum rebellis & iniurius sum, necesse esse vt mihi ipsi grauis,hoc est,molestus,oneroſus,immo infestus & exitioſus sim.

Hæc igitur humanæ mentis absurditas multorum (vt dixi) errorum seminariũ fuit. Cùm enim huius seculi sapientes animaduerterent,quàm esset indignũ, rerum omnium parentem ac Dominum nõ modò non diligere & venerari,sed etiam obliuiſci atque cõtemnere,eò perducti sunt, vt alij Deum res humanas minimè curare dicerẽt,alij res, quæ apud nos gerantur, ignorare?alij verò ipsum neque hominis,nec rerum visibilium conditorem esse. Vnde Manichæorum error manauit, qui duo principia posuerunt:alterum visibilium, alterum inuisibilium: alterum bonorum,alterum verò malorum autorem:atque hunc ipsum hominis opificem &architectum fuisse dixerunt. Neque enim persuadere sibi poterant,bonum Deum rem adeòdetestabilem atq;deformẽ,qualis sceleratus homo est,cõdere potuisse cùm optimi & perfectissimi artificis opera omnia perfecta, &

numeris

numeris omnibus absoluta sint. Quæ quidem hæresis non modo Ariana antiquior, sed etiam diuturnior extitit. Ad tempora enim beati Petri Martyris vsque peruenit, cuius parentes hoc errore fuisse infectos in eius vita legimus. In quo etiã errore D. Augustin. ad trigesimum vsq; annũ perseuerauit: isq; in Confessionum suarũ libris longa oratione cõmemorat, quantũ se hęc quæstio, de origine videlicet & causa mali, torserit. Hæ igitur hæreses vtcũq; declarant quã detestabile atq; execrãdũ Philosophis etiam visum fuerit id quod in multorum moribus passim videmus: nempe diuinæ maiestatis, diuinarunq; legum neglectum atq, comtemptũ: hoc est, vnum illud necessariũ, quod ãtè diximus prætermittere, & cætera omnia, quæ sine illo sũt otiosa & superuacanea, & sæpè etiam perniciosa auidissimè consectari. August.

Ex iis autem quę diximus, tria quidem scitu dignissima colligere licet: Primum quidem, esse, originale peccatũ. Homo enim qui rectus à Deo conditus est, vt pote in optimo statu ab optimo opifice creatus, vitio suo à conditionis suæ dignitate degenerauit: quo factum est, vt à corrupta & læsa natura, corrupta quoque opera proderent. Deinde illud etiam sequitur, esse persecutores hominum dæmones, hoc est, principes tenebrarum: qui ideò hoc nomine appellãtur, quòd eorum perpetuum studium sit, tenebris & caligine mentes hominũ excęcare, vt conditorem suum ignorantes in eam peruersitatem & impietatem quam audistis, incidant. Postremò inter peccati supplicia, quæ in hac vita perditis hominibus inferuntur, extremum, maximeque formidandum esse, mentis obdurationem & cæcitatem ad quam vbi miserandus homo peruenit, hoc tam tetrum facinus molitur, vt salutis suę autore atq; parente neglecto, res inanes & ludicras amplectatur. Nimium in hoc loco immorati sumus, fratres, quòd huius tãtæ rei indignitas (vnde omnia mala oriuntur) non potuit breui orationis compẽdio explicari. Quocirca ab hoc loco digressi, quod reliquum est concionis in laudibus Virginis insumamus.

III.

In cuius festo sacra præsentis Euãgelij historia legitur, vt per eam primùm quidem Virginis officium & meritum, ac deinde præmium quod hodie percipit, aliqua saltem ratione intelligamus. Ipsa enim est, quæ Dei filium in huius mundi castellum venientem, virginalis vteri hospitio recepit: ipsa, quæ perfectissimę Marthæ atque Mariæ officiis functa est, quæ longè perfectius quàm Martha illi non vno die, sed tota vita ministrauit, ac lõgè deuotius & attẽtius quàm Marthæ soror, verba eius sem-

per

per audiuit,& eius dilectione flagrauit. Huius autem hospitalitatis,cæterorumque laborum ac meritorum cumulatissimum præmium hodierna die cum summa totius cælestis curiæ gratulatione atque ineffabili gaudio percipere meruit. Cui nos quoq; pro eo ac debemus quamuis exigui homunciones, pro modulo nostro congaudemus simul & gratulamur. In qua quidem sollemnitate cum multa sint, ac penè innumera, commemoratione dignissima; illud solum attingam, quod huius diei maximè proprium esse videtur: hoc est, qua celebritate ac lætitia hodierna die sacratissima Virgo à supernis ciuibus excepta sit.

Principio igitur constat, inter alia Angelorum ministeria hoc in primis numerari, quòd sint animarum nostrarum (si piè vixerimus) in cœlum portiores. *Luc. 19.* Sic enim mendicus ille Lazarus ex Euangelio ipso Domino referente, ab Angelis in sinum Abrahæ portatur. Sic etiam beati Patris nostri Dominici animæ in cælum ascendenti Angelorũ chori plaudentes occurrerunt: ipsumque ad cæleste regnum ouantes adduxerunt. *Greg.* D. quoque Greg. in libr. Dialogo. memorat, Angelos cum supernis ciuibus, virginem quandam sanctissimam, vita functã, cum laudibus & canticis in cœlum fuisse prosecutos, eorũq; voces in terris auditas; & quo illi altius ascendebant, paulatim defeciisse. Quòd si ex vngue leonem (quod aiunt) æstimare licet, iam tum coniicere poterimus, qua celebritate & pompa, quibus hymnis & canticis, & qua cælestis illius Senatus lætitia mater Regis æterni hodie excepta sit. In terrenis quippe regnis hoc videmus, quòd cum nouũ Regis nuptiæ celebrantur, ac filius regni hæres nascitur, aut etiam Rex ad Imperatoris dignitatem euehitur, & imperatoria corona redimitur, regni Proceres, quo quisque Regi charior, & in eius regno præstantior est, eo sumptus maiores in Principis *simil.* sui gratiam facere maioremq; letitiæ significationem dare. Cum igitur hoc die Regis æterni mater in cœlum conscenderit, vt regiam coronam, dignitati & meritis eius debitam, perciperet, superni illi ciues, qui tanto charitatis ardore communem Dominum & Regem suum prosequuntur, qua hodie lætitia persultarunt? qua frequentia ad hunc diem celebrandum conuenerunt? quibus hymnis & canticis matris Domini sui laudes prædicarunt? cum omnes intelligerent, gloriam matri Dei exhibitam, in Regis sui gloriam redundare. Quale autem hoc genus obsequij fuerit, nemo poterit mente complecti, nisi qui charitatis magnitudinem, qua communem Dominum sancti diligunt, potuerit pro dignitate æstimare, quæ solis ipsis, ac Deo cognita est.

Accessit & alia causa, quod cum superni ciues fœlicitatis suæ

gloriam

gloriã,& omnia gratiarum genera,quibus ad illã peruenerũt, humanitati Christi debeãt,hoc est innocentissimo illi agno,qui occisus est ab origine mundi,cui omnes salutem suam in Apoca. magnis vocibus acceptam ferant:cum igitur tantum honoris & gloriæ huic sacræ humanitati & sanguini debeant: consequens erat vt proximo loco beatissimæ Virginis se debitores profiterẽtur:ex cuius intemeratis visceribus illa caro,ille sanguis,illa humanitas delibata est.Illã igitur post filium, tanquã mediatricẽ salutis matrem gratiæ,ministram gloriæ,cœli fenestram,& vitę ianuam agnoscunt,diligunt,amplectuntur,& toto affectu reuerentur.Itaque hodierna die non solum in gratiam filij, sed etiã ob grati animi officium erga beatissimam matrem omnes è solitis suis surrexerunt,omnes virgini occurrerunt, omnes sacris eius pedibus prouoluti sunt,omnes eius laudes & gloriam cecinerunt,illique post filium salutis & fœlicitatis suæ beneficiũ acceptum retulerunt.Vbi Iudith vidua abscisso principis Assyriorum capite,Iudæorum populum ab imminenti exitio liberauit seniores populi & sacerdotes magnificis eam titulis ornãtes.Tu (aiebant)lætitia Israel,tu gloria Hierusalem,tu honorificentia populi nostri,Benedicta filia tu à Domino,quia per te fructũ vitæ communicauimus.Quãto igitur iustius hæ voces & laudes beatissimæ Virgini conueniunt,quæ non principis Assyriorum, sed serpẽtis antiqui capite cõtrito,non à diaboli seruitute,à morte peccati,& gehennæ incendio liberatos,cælestis regnis ciue effecit?Illam igitur meritis laudibus ornant,illis gloriam prædicant,illam magnificis titulis nuncupant,Tu(inquiunt) genitrix gratiæ,inuentrix vitæ, mater salutis.Tu stella illa orta ex Iacob, ex qua radius processit,qui vniuersum mundum illuminauit.Tu viuum & animatum templum Dei:in quo salus mundi nouem mensibus habitauit.Tu arca illa mystica testamenti,quæ cæleste manna,hoc est Angelorum & hominum panem continuisti.Tu aureum illud propitiatorium,per quod infensum sceleribus nostris diuinum numẽ placatur.Tu veri Salomonis thronus,tu aula regia:tu thalamus in quo cælorum rex & Dominus requieuit Tu hortus cõclusus,& fons signatus,qui nulli vnquã,nisi cælesti sponso,patuit.His igitur titulis,his vocibus Sanctorũ Patriarcharum & Prophetarum,cæterorumq; sanctorũ chori Virginis beatæ gloriã prædicabant Ibi sanctus Iacob mysticam illã scalam,quam is in somnis fuerat contemplatus,vidit,per quã salus mundi ad homines descendit.Ibi sanctus Dauid virgam illã ex radice Iesse ortam intuitus est,ex qua pulcherrimus ille flos ortus est,supra quem requieuit spiritus sanctus. Ibi Isaias intemeratam

*Apoc.3.*

*Iudi.vl.*

*Gen.28.*

*Esaiæ 11.*

meratam illam Virginem contemplatus est, quam is prædixerat
Iere. 31. Deum & hominem parituram. Ibi Hieremias fœminam illã vi-
Ezec. 44. dit, quæ nouo miraculo virum erat circundatura. Ibi Ezechiel Propheta orientalem illam portam demiratus est, quæ cæteris clausa, soli cælorũ Principi patefacta fuit. Ibi primus ille generis humani parens mulierem illam vidit, quæ antiqui serpentis (cuius fallacia mundus interierat) caput erat contritura, hoc est, eius potentiam & peccati regnum euersura.

Quæ autem vis orationis explicare valeat, qua lætitia simul & admiratione beatæ illę mentes completæ fuerunt, cum incomparabilem Virginis putitatem, & pulchritudinem, & clarissima virtutum eius odoramenta perceperunt? Eorum quippe nomine hodie canit Ecclesia: Vidi speciosam, sicut columbam, ascendentem desuper riuos aquarum, cuius inæstimabilis odor erat nimis in vestimentis eius, & tanquam dies verni circumdabant eam flores rosarum, & lilia conuallium.

Sed inter has tamen Sanctorũ laudes & voces multo dulcius Virginis auribus dilectissimi filij vox insonabat, qui placidissimo vultu matri occurrens his vocibus eã cõpellabat: Surge, propera
Cant. 2. amica mea, columba mea, formosa mea, & veni: Iã enim hiems transiit, imber abiit, & recessit, flores apparuerũt in terra nostra. Veni sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis. Ad electos Saluator in extremo iudicij die se dicturum esse ait: Venite bene-
Mat. 25. dicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me. Quanto ergo iustius hæc eadem verba ad matrem filius inclamabit? Veni inquiens, benedicta Patris mei, & accipe thalamum tibi ante mundi cõstitutionẽ præparatũ: quę me esuriẽtem pauisti, sitiẽtem potasti, nudum carne vestisti, & hospitem ac peregrinum in terris intra pudicum pectoris tui hospitium excepisti, lactasti, & omni pietatis obsequio fouisti.

Hoc igitur splendidissimo comitatu, hac communi supernorum ciuium lætitia, hodierna die ad Thronum sibi à Deo paratum beatissima Virgo deducta est. Hæc, fratres, solennitas, quæ nobis anniuersaria, illis continua est: quia & huius diei gaudia, & cætera eorũm gaudia quamuis vetustissima & antiqua sint, illis tamen noua semper & recentia in illa immarcescibili gloria videntur. Ad hanc autem gloriam nos quoque conditi sumus, ad hanc Christi sanguine redempti, ad hanc in sacro baptismatis fonte purgati, vocati, & Sanctorum ciues atque Dei hæredes effecti. Quid ergo agimus? Quid cessamus? quid moramur tanto-

rum

rum bonorum participes fieri? Quis nos detinet quo minus ad hanc tantam fœlicitatem remis velisque properemus? Filij hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Vt quid pro rebus caducis, fluxis & interituris gaudia amittitis sempiterna? Cur cùm ingẽtes in cęlo thesauros modico nunc labore recõdere possitis, otio magis atque desidia marcescere vultis? Quæ dementia esset, si militibus post victoriam, opulentissimam aliquam vrbem diripientibus & aliis spolia ampla colligẽtibus, aliis thesaurorum apothecas perfodientibus, aliis, onustos auro sinus deferentibus, & huc atque illuc prędandi studio circumcursantibus, vnus aliquis eorum cum pueris in platea luderet, & occasionem illam ditescendi, languore animi atque desidia impeditus, prętermitteret? Tales igitur nos sumus, qui cum multos seruorum Dei videamus omnibus rebus mundi spretis atque contemptis hoc vnum studiosissimè agere, hoc moliri, hoc votis omnibus captare, vt virtutũ meritis atque laboribus opes sibi sempiternas, & coronas in æternum mansuras comparent, nos puerili mente puerilium bonorum amore capti, ludicra bona veris, caduca sempiternis, fluxa mansuris, inania solidis, immunda puris, & mortalia immortalibus anteferimus. Opportunè ergo mihi nunc in mentem venit cum Salomone clamare: Vsquequo paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sunt sibi noxia, cupient, & imprudentes odibunt scientiam? Quid hic appellas scientiam: Non aliam certè, quam Christi philosophiam: quæ alio nomine vera sapientia nuncupatur: quam nemo, nisi qui piè Deum colit, ipsumq; magistrum habet, assequi potest. Hoc est enim quod tã multis modis epistolæ hodiernæ verba significant, quibus sapientia ipsa ex imperio Domini hoc modo loquens inducitur? Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi, In Iacob inhabita, & in Israel hęreditare, & in electis meis mitte radices: Et sic in Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui, &c. Animaduertite, quæso quàm multis verbis eodem tendentibus, hoc vnum designare voluit, perfectam veramque sapientiam nisi in piis hominibus nullo modo inueniri posse. Cur ita? Quia re vera omnis scientia, quæ à Dei timore seiuncta est, multis sæpè erroribus, & interdum etiam superbiæ obnoxia est. Hinc Propheta, Disce, inquit, vbi sit prudentia, vbi sit virtus, vbi sit intellectus: vt scias simul vbi sit diuturnitas vitæ & victus, vbi sit lumen oculorum & pax. Hæc enim vera & summa sapientia est, vt homo in animis huius vitæ curis spretis atque contemptis, Dei gratiam & amicitiã, animæ suæ

*Sim*

*Prou. 1.*

*Eccl. 24.*

*Bar. 4.*

salutem

ſalutem,& ſempiternam fœlicitatem omni contentione & ſtudio conſectetur. Hac vna re fœlix & beatus erit,vt nihil aliud poſſideat:ea verò deſtitutus,ſtultus erit & miſer, etiam ſi cæterorum bonorum omnium compos fuerit.Quam quidem mentem & ſenſum Chriſtus Dominus, qui eſt vera Patris ſapientia,
*Ioan.1.* & lux vera, quæ illuminat omnem homi nem venientem in hunc mundum,nobis largiri dignetur:qui cum Patre,& Spiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum.

## In feſto beati Bartholomęi Apoſtoli concio prima, ſecundùm vſum Romanæ curiæ:in qua lectio Euangelica explanatur,ac deinceps beati Apoſtoli martyrium exponitur.

THEMA. *Exiit in montem orare,& erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus eſſet, vocauit diſcipulos ſuos,& elegit duodecim ex ipſis,quos & Apoſtolos nominauit. Luc.6.*

*Apoc.2.* NOn omnes idoneos eſſe diuini verbi auditores declarat illa toties in Apocalypſi repetita ſententia:Qui habet aures audiẽdi,audiat.Multos enim ante corporis nõ cordis verbum Dei quotidie in Eccleſiis audire cernimus: qui tot concionibus auditis nihilo meliores euadunt.Cæterùm ad ſalutarem Euangelicæ hiſtoriæ fructum percipiendum non ſatis eſt idoneas habere aures, quibus Chriſti Domini doctrinam vtiliter audiamus,ſed perſpicaces etiam oculos habere conuenit,vt clariſſima virtutũ exempla notare atque imitari valeamus. Vtriuſque
*Eſai.30.* autem rei gratia Eſaias ait:Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum:& aures tuæ audient vocem poſt terga monentis.Hæc eſt via,ambulate in ea.Quod perinde eſt ac ſi diceret: Videbunt oculi tui virtutum exempla quæ imiteris,& aures audient doctrinam quam amplectaris: quorum altero intellectus erudiatur, altero affectus ad imitationis ſtudium accẽdatur.Verè enim non minus nos Chriſtus Dominus exẽplis quàm verbis edocet. Quod in hodierna ſancti Euangelij lectione animaduertere licet:in qua Dominus exẽplo ſuo, ſine vllo verborũ ſtrepitu perfectiſſimã nobis orandi formã regulámque demonſtrat. Dum enim adueſperaſcente die in montem aſcẽdit, & in oratione pernoctat, ac deinde facto manè ex diſcipulis Apoſtolos eligit,oſtẽdit planè & quo loco,&quo tẽpore,&qua perſeuerantia,& quibus potiſſimùm in rebus orandũ ſit. Electurus enim Apoſtolos duodecim, qui fidei fundamenta iacerent

rent,Euãgeliiq́ue doctrinam vbique terrarum disseminarent, hanc orationem præmisit,vt nos exemplo suo doceret, nihil magnum & arduum sine præuia & longa oratione quéquam moliri debere.Qua ex re liquet,quod initio diximus,nõ aures modò, sed oculos etiã ad Euãgelicæ historiæ fructum percipiendũ adhibẽdos esse.Vtrũq;autẽ habere,diuinæ benignitatis donũ esse Salamon apertè docet,cùm ait,Oculũ vidẽtem & aurem audientem,Dominus fecit vtrunque. Vt igitur hos oculos & aures Euãgelicę doctrinæ accõmodare valeam? cęlestẽ opẽ,sacratissimę Virginis interuẽtu,suppliciter imploremus *Prouc.2*

AVE MARIA.

Quemadmodum nulla in hoc mũdo creatura adeò vilis& abiecta est,quam diuina potentia non cõdiderit:ita nulla est, cuius non singularem curam & prouidentiam habeat. Quid formica vilius?& tamen in illo paruo corpusculo tantũ prouidentiæ conditor posuit,vt miris modis eius vitę consulat atque prospiciat.Primũ enim gregatim formicæ coeũtes, mutuamq́ue sibi operã pręstantes,cõmuni labore tritici aceruum inuadunt,granariũq́ue egesta terra cõficiunt,ibique opportuno tempore alimenta cõdunt,quibus hieme vescantur.Ne verò alimẽta humi recondita putrescant,sereno tempore forãs ea protrudũt,& ne humore confota nascantur, extremam granorũ partẽ, qua pullulare deberẽt,ore delibant atque corrodunt.Quis igitur non hic apertè diuinę prouidentię sollertiam videat,quæ in tam exiguo corpore tantum prudẽtię collocauit?Quo minus mirandum est si inertem hominem Salomon formicarum exemplo corripere atque erudire velit,cùm ait,Vade ad formicã,ò piger,& considera semitas eius, & disce sapientiã:quæ cùm nõ habeat ducẽ ac pręceptorẽ,parat in æstate cibum sibi,& congregat in messe quod comedat.O vtinam hanc vnã nobis Dominus prudentiam immitteret, vt mẽtis nostræ acié nõ ad pręsentia solũ,sed ad futura etiã protenderemus.Hoc est enim quod magnus ille Propheta ciuibus suis desiderabat,cum diceret,Vtinã saperent,& intelligerent,ac nouissima prouiderent:Nouissimũ autẽ omnium vitę nostræ finis est. Cur autem ab hoc fine oculos mentis auertimus? cur in hac prouidentia à formicis homines superamur? Formica in ęstate, ad futuram hiemis sterilitatem præcauendam,opportuno tempore alimẽta cõgerit.Sic enim quodammodo ratiocinari videtur: Aestas fecunda est,&alimentorum copiam suppeditat,quam sterilis hiems nequaquam præstat, in ęstate igitur reponamus,quo in hieme vescamur,ne fame *Prouc. 6.* *Deut. 32*

intereamus. Si igitur ad hunc modum formica ſibi conſulit, cur qui ratione pręditi ſumus, non eodem modo nobis conſule mus? Quod enim formicis ęſtas hoc nobis pręſens hęc vita eſt in qua magnam meritorum copiam parare nobis licet. Quod illis ſterilis hiems, id nobis futura vita eſt, in qua non ſatisfaciendi aut merendi, ſed recipiendi, & partis fuendi tempus eſt. Cur ergo in huius vitæ æſtate non colligimus, quo in alterius hieme veſcamur? Cur hanc temporis opportunitatem vacuam abire ſinimus, nunquam iterum redituram? Nónne hoc eſt quod nos opportunè Salomon admonet, cum ait; Quodcunque po-
*Eccl. 9.* teſt manus tua, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erũt apud inferos, quò tu properas? Quid autem ex hac negligentia conſequi neceſſe eſt, niſi quod idem
*Prou. 20.* Salamon ait, Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æſtate, & non dabitur ei. Sic enim fatuæ illæ virgines mendica-
*Matth. 25* runt, dicentes, Domine, Domine, aperi nobis; quibus reſponſum eſt, Amen dico vobis, neſcio vos. Hæc obiter à nobis, fratres, formicarum occaſione dicta ſunt: nunc ad id quod inſtitueramus, recurrat oratio.

Si tam latè diuinæ prouidentiæ cura atque ſollertia pater, vt ea etiam quæ minima & abiectiſſima ſunt non negligat, quid de homine exiſtimandum eſt, quem inferioris huius mundi principem conſtituit, & cuius gratia hæc omnia condita ſunt? Certè quo eius dignitas inter omnia magis eminet, hoc maiori cura illi diuina prouidentia conſulit, dum nihil quod ad eius ſalutem & incolumitatem ſpectet prętermittit. Quam rem non modo Chriſtiana, ſed etiã ethnicorum philoſophia apertè profitetur,
*Cicero.* ſic enim Cicero, Commoda, inquit, quibus vtimur, lucem qua fruimur, ſpiritum quem ducimus à Deo nobis dari & impartiri videmus, Veruntamen alia prouidentiæ ratio ad hominem, alia ad cætera animantia pertinet. Animantibus enim quæ neque in officio delinquere, neque officium præſtare poſſunt, ſalutaria ſemper & vitæ neceſſaria prouidet: hominibus autem, qui v-
*Eccle. 11.* trumque poſſunt, pro varia meritorum ratione modo ſecunda modo aduerſa immittit. Hinc in Eccleſiaſtico legimus: Bona & mala, vita & mors, pauperras & honeſtas à Deo ſunt. Idemq;
*Eſaiæ 45* Dominus per Prophetam, Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum; ego Dominus faciens omnia hæc.

Denique, vt paucis multa complectar, tam latè hæc diuinæ
*Lucæ 12.* prouidentiæ cura patet, vt Saluatori in Euangelio dicat, Nónne quinque paſſeres veneunt dipondio: & vnus ex illis non eſt in obliuione

obliuione coram Deo? Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus pluris estis. Non poterat vllis verbis hæc diuinæ prouidentiæ cura magis amplificari, quam cum capillorum nostrorum numerum deo notum esse dixerit, quorum nec vnus quidem sit periturus.

Cæterùm quod ad gratiæ dona attinet, quibus mentes hominum purgantur & sanctificantur, atque in Dei filios, & regni eius hæredes cooperantur, apertè liquet ea nō à terra, sed à cœlo prodire, cum Saluator dicat: Sicut palmes non potest ferre fructum nisi manserit in vite: sic nec vos nisi in me māseritis: quia sine me nihil potestis facere. Persuasum igitur nobis esse debet fratres, omnia siue naturę, siue gratiæ beneficia, siue quæ ad corporum salutem & incolumitatem, siue quæ ad animarum sanditatem & innocentiam pertinent, non à terra: sed à cœlo hoc est, à diuina benignitate descendere. Vnde quemadmodū his inferior mundus omnibus in rebus à superiori, hoc est, à cęlesti regione pendet (illius enim vi omnia gignuntur, aluntur, conseruantur, & ad iustam maturitatem perueniunt) sic vita, salus, dignitas, sanctitas atq; fœlicitas nostra ab illo inexhausto bonorum omnium fonte dimanat. Quod planè Iacobus Apostolus confitetur: cum ait, Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum.

Ioan. 15.

Simile.

Iaco. 1.

Quorsum hęc, fratres, certè vt hac ratione vos ad imitandam illā Domini Saluatoris in orationis studio perseuerantiā, quam in sacra huius diei lectione vidistis, excitarem. Video enim vos omnes, vt veros Christi fideles, verissima esse quæ à me hoc est loco sanctarum scripturarum testimoniis comprobata sunt credere: nempe, siue bona, siue mala, siue secunda, siue aduersa quæ hominibus in vita contingunt, Deo dispensante vel permittente prouenire. Video etiam omnes homines, quę secunda sunt, sitienter appetere, & quæ aduersa: vehementer aduersari. Ad hoc enim vnumquemque nostram amoris proprij vis (quæ cunctarum affectionum nostrarum potentissima est) acriter impellit. Si ergo tantoperè quę nobis profutura sunt exquirimus, & nocitura refugimus, vtraque autem in manu Dei sita esse inconcussa fide credimus, quid, quæso, aliud agere, quid moliri, quo in studio atque exercitatione continenter versari debemus, quā vt mentis nostræ aciem in cœlum semper intentam habeamus, vt omnes curas & cogitationes nostras ad Deum referamus: vt vni illi obsequi vni placere, vni obtemperare ostudeamus, vt salutarem eius opem & misericordiam assiduis vocibus imploremus, & cum Propheta dicamus, Ad te leuaui oculos meos

Pſal.122 qui habitas in cælis? E, Oculi mei ſemper ad Dominum: quo-
Pſal.24. niam ipſe euellet de laqueo pedes meos? Et illud Ioſaphat Regis, Cùm ignoremus quid facere debeamus, hoc ſolùm habemus, vt oculos noſtros dirigamus ad te. Rectiſſimè quidam dixerunt, hominem eſſe arborem inuerſam, quæ radices fixas habeat in cœlo, ramos verò expanſos protendat in terram, qui ra-
Simil. dicum virtute aluntur, & fructus ferunt. Vt igitur pomariorum cultores omnem operam & ſtudium in excolendis arborum radicibus ponunt (hac enim vna cura vberes ſibi arborum fructus pollicentur) ita nos ſtudium omne radicibus in cœlo fixis excolendis impendere debemus, ſi copioſum cœleſtium donorum fructum in terra colligere volumus. Radices autem excolimus, cùm mentem ad Deum attollimus, & omnes curas & cogitationes noſtras in cœlo fixas habemus. Hoc enim faciebat ille qui dicebat, Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium
Pſal.120. mihi. Auxilium meum à Domino qui fecit cœlum & terram. Et ne fruſtra illum putes ad hoc ſe aſylum contuliſſe, ſubdit protinus, Non det in commotionem pedem tuum, neque dormiet qui cuſtodit te. Ecce non dormitabit, &c. Per diem Sol non vret te, neque Luna per noctem. Videtis ergo quàm firmum in Domino pij homines ad omnia præſidium habeant.

Hic eſt igitur, fratres, proprium atque præſtantiſſimum vitæ Chriſtianæ munus, a Deo pendere, ab ipſo omnia expectare, in illo fœlicitatem & ſpem omnem dignitatis & ſalutis collocare, & omnia quibus indigueris, ſuppliciter ab eo poſtulare. Hoc ipſum autem olim Dominus in Iſraelitico populo inſigni quadam legatione declarauit. Tertio enim menſe ab egreſſu Ægypti cũ io montem Sina ventum eſſet, populuſque è regione montis ſtaret, Moyſes ſolus aſcendit in montem ad Deum. Vocauitque
Exod.19. eum Dominus de monte, & ait, Hæc dices domui Iacob, & annuntiabis filiis Iſrael. Vos ipſi vidiſtis quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portauerim vos ſuper alas aquilarum, & aſſumpſerim mihi. Si ergo audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meũ, eritis mihi in peculium de cunctis populis (mea eſt enim omnis terra) & vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gẽs ſancta. Quid eſt igitur quod ait, Regnum ſacerdotale? Hoc certè ſignificare voluit, eius regni ciues longè alia conditione quàm omnes alios eſſe victuros. In aliis enim exterarum gentium regnis cùm ciues neque verum Deum colant, neque quicquam ab eo auxilij referant, omnẽ operã ſuam in terrenis præſidiis vndique comparandis collocant. Vos autem, quorum omnis ſalus, vita, dignitas, & opes à vero Deo, quem colitis, dependet (in cu-

ius

ius manu sunt omnium potestates,& omnium iura regnorum) totum studium vestrum ad illius cultum & religionem conuertere debetis,illum semper intueri,ab illo omnia sperare, & illius opem(quo salua sint vobis omnia)continenter petere. Hoc enim sacerdotum munus & officium est, quod vos omnes sectari conuenit,vt sic tandem sacerdotale ipsi regnum sitis,cuius videlicet ciues omnes sacerdotum officium orantes exequuntur. Vt autem eorum spem in officio positam esse declararet, magnifica illa & stupenda opera, quæ propter eos ab Ægyptiaca seruitute liberandos patrauerat, in primis connumerat, quò videlicet ex præteritis beneficiis futura discerent: sic enim ait: Vos ipsi vidistis quæ fecerim Ægyptiis, quo modo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi. Dicit autem hoc, quoniam aquila pullos suos,quos vehementer amat,prætet aliarum auium morem super alas suas defert, quoties alio migrare, aut eos ad volandum excitare vult. Qua similitudine Dominus & flagrātissimam erga populum suum charitatem, & paternam curam ac prouidentiam apertè declarauit, vt ex ea omnia sibi fausta &salutaria promitteret,si hoc sacerdotali officio ritè fungeretur. Quod illis igitur,fratres,dictum est,nobis dictum putemus, quia eundem Dominum colimus: quod illis promissum est,nos quoque fideliter expectemus, si tamen quod illis officiū indictum est,nos sollicitè præstemus, hoc est,vt sacerdotum munus,quod in orationis studio positū est,diligēter exequamur. *Ibidem.*

I.

Quòd si nos hæc ratio minus fortasse ad hoc officiū mouet, moueat illud saltem, quòd in medio laqueorum positi sumus, quodque innumeris vndique tentationibus & periculis cincti sumus, quæ nos de gradu virtutis per singula penè momenta dicere tentant: moueant innumera quoque Sanctorum exempla, qui infirmitatis suæ conscij,vitam omnem in orationis studio consumebant. Inter quę non parum beatissimi Apostoli Bartholomæi exemplum eminet,quem ferunt centies in die,& centies in nocte orare solitum. Et is tamen Spiritu sancto cùm cæteris Apostolis repletus,& in gratia confirmatus erat:quin & cœlestis regni promissionem cum eisdem Apostolis à Domino perceperat, cùm ad eos dixit, Gaudete & exultate,quia nomina vestra scripta sunt in cœlis:qui tot tantisque diuinę gratię priuilegiis insignitus, dies noctesque in orationis studio insumebat,eiusdem gratiæ,quam plenissimam acceperat,incrementum per singula penè momenta petens. Si hoc igitur tantus hic Apostolus faciebat, quid de illis speradum est, qui in medio laqueo *Actor. 1.* *Luca 10.*

rum positi,& impura carne circundati, & variarũ cupiditatum stimulis agitati,in hoc mundo inter scorpiones atque serpentes habitantes;vix oculos in cœlum tollũt, vix vnquam ad tot peri-
*Exesb. 2.* cula depellenda opem Domini implorant? O miserandam hominum cæcitatem! ò detestabilem mentium tarditatem! Quid enim ex hac tanta cæcitate consequi necesse est,nisi vt qui diuinam gratiam non postulamus,eius auxilio destituti simus,atque ita in omnes diaboli laqueos;& peccatorum præcipitia incidamus? Hos autem non video, qua ratione pudefacere valeam, quàm ethnicorum hominum exemplo, eorum multos legimus nequaquam opus aliquod egregium audere solitos; nisi priùs commenticios illos suos Deos sollemnibus sacrificiis & orationibus placassent. Certè clarissimum illum ducem Scipionem Africanũ legimus nunquã arduũ aliquod opus moliri voluisse, quin prius à suo illo Ioue auxilium & consilium postularet, quò res illi benè verteret. Qua de causa multi illum Iouis filium credidérunt. Quantus ergo pudor,fratres, quantum Christiani nominis dedecus est ab Ethnicis & cæcis hominibus in regionis officio superari? Quanta cæcitas & amentia nostra est,quòd à verò Deo, nos ad se vocante,& secunda omnia pollicente,non confugimus? cũm illi non vocati ad falsa numina nihil opis & auxilij pollicentia,adeò se studiosè conuerterent? Miseri profectò & amentes. qui quam habemus fidem frustra habere videmur.Sed ad Euangelicæ lectionis institutum redeamus.

Potuissem quidem,fratres, multas alias afferre cõmoditates, quibus vos ad hoc orandi studium adhortarer,sed eã potissimùm commemorare volui,quæ præsentis Euangelij instituto maximè quadrat:in quo Dominus bona omnia nostra à cœlesti Patre pẽdere oratione sua testatus est;cùm Apostolos, hoc est, Ecclesiæ suę principes electurus longam orationem præmisit, vt electio illa cœlestis Patris beneficio felix & fausta esset.

Nec solam orandi necessitatem nos exemplo suo docet, sed etiam orandi modum atque leges præscribit. Oraturus quippe secedit à turbis,& secretum locum petit. Nam & locum,& tempus ad orandum,& orationis & materiam,& eiusdem perseuerãtiam,& orandi causam nos exemplo suo docet, Locum enim orandi designauit,cùm relictis turbis in secretum locum secessit; quo nos exemplo suo,cum orare volumus,idem facere moneret. Cum superna enim illa & immensa maiestate locuturi, ab hominum frequentia(nisi cùm in templis oramus) secedere debemus,vt nihil extrà sit; quod animi nostri intentionem alio deflectere valeat. Nec satis est corpore secedere, nisi animo etiã

ſecedamus. Fieri enim poteſt, vt aliquis in frequentia hominum ſolus ſit, & in ſolitudine non ſolus, ſi in ea cogitationum ſtrepitum atque tumultū patiatur. Hoc eſt enim quod nobis Dominus innuere voluit, cùm oraturus mentem conſcendit, qui in valle poterat orare. Hinc D. Ambroſ. Qui bene, inquit, orat, à terrenis ad ſuperiora progrediens, verticem curiæ ſublimioris aſcendit. At ille in montem non aſcendit, qui de ſeculi diuitiis & honore ſolicitus eſt: non aſcendit in montem, qui fundi ius optat alieni. Aſcendit ille, qui Deum quærit: aſcendit ille, qui ad vitæ ſuæ curſum Dominica adiumenta depoſcit. Quemadmodum igitur S. Abraham filium in monte immolaturus, ſeruos & aſinum ad radicem montis expectare præcepit: ita nos ſeruilia opera atque terrena omnia à tergo relinquere debemus, quoties hunc montē aſcendere paramus. Itaque (vt D. Bern. ait) cogitationibus noſtris dicere debemus, Expectate hic cū aſino corpore, & poſtquā adorauerimꝰ, reuertemur ad vos, & huc citò reuertemur. *Ambro.* *Gene. 22.* *Bernard.*

Deinde verò quòd nocturnum tempus Saluator ad orandum elegit, eſſe tempus hoc ad orādum aptiſſimum declarauit, in quo à diurnis curis & negotiis feriati, tenebris & ſilentio, atque ſolitudine noctis iuuamur: quo tempore neque oculi rerum imaginibus, neque aures alienis vocibus mentem turbant, neque negotia eaudem rerum cœleſtium intuitu & contemplatione auocant. Hanc porrò temporis opportunitatem nos captare Propheta monet, cùm ait. Conſurge in nocte in principio virgiliarū, & effunde ſicut aquam cor tuum in Dominum. Effunde, ait, cor tuum, hoc eſt, quicquid animum tuum angit atque ſollicitū reddit, quicquid lacerat & pungit, ante cœleſtis medici conſpectum propone, & ſalutaria ab eo medicamenta cunctis vulneribus tuis pete. Ad hoc ipſum pios omnes regius Propheta inuitat, cùm ait, In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum. Nec minore cura ipſe præſtabat, quod alios facere adhortabatur. Media, inquit, nocte ſurgebā ad confitendū tibi. Et, Memor fui nocte nominis tui Domine. Idem quoq; Iſaias Propheta de ſe ipſo profitetur, cùm ad Dominū ait: Anima mea deſiderauit te in nocte: ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. Magnus verò ille Antonius tenebris & ſilentio noctis gaudebat, luce verò offendebatur: quòd non nihil mentis ſuæ intentionem rerum conſpectu interturbaret. Beatiſſimus verò pater Dominicus Saluatoris ſui exemplum ſecutus, diem ſaluti animarum; nocte Deo impendebat. Denique Sancti omnes vſque adeò nocturnum hoc tempus diuinis laudibus & cibus deſtinarunt, vt Beatiſſimus pater Franciſcus, qui vigi- *Thren. 2.* *Pſa 133.* *Pſa. 118.* *Ibidem.* *Eſaiæ 26.*

les cum Deo noctes transigebat,appositissimo nomine verum
*Iuniores* monachum. Cicadam noctis appellarit:quod cicada sine vlla
*minor.* intermissione Sole vigente canat. Quin & Plinius Iunior Traiano principi scripsit, nulla in Christianis eius ætatis crimina reperiri, nisi quòd ante lucanos hymnos in euiusdam hominis laudem, qui in Palæstina crucifixus erat, decantarent. Quibus exemplis intelligere licet,fratres,quàm fuerit apud sanctissimos quosque viros vsitatum,nocturni temporis silentia diuinis laudibus & precibus consecrare. Quam rem hoc in loco nos dominus exemplo suo docet,cùm *pernoctat in oratione Dei*. O vtinam his exẽplis permoti,fratres,salutare hoc institutũ amplecti vellemus,vt aliquam saltẽ noctis partem huic verè Christiano studio impenderemur, non dubium quin miros hac excitatione fructus cõsequeremus,quibus fœlicissimam vitam degeremus.

Cæterùm quãuis orandi virtus assidua & familiaris homini Christiano esse debeat, cum tamen instantius atque deuotius orandum est,cùm egregium aliquod opus moliri decernimus: quo diuina pietas cœptis nostris aspiret. Quam rem Dominus nos quoque exemplo suo in præsenti lectione docet,qui duodecim Apostolos electurus,longa prius oratione Patrem exorauit. Si ergo vnigenitus Dei filius,& vniuersorũ hæres ac dominus, nequaquam sine præuia oratione hoc opus ordiri voluit: qua fronte nos,qui toties in consiliis & electionibus nostris hallucinamur,sine orationis suffragio aliquid graue & operosum moliri audemus,præsertim cùm verissimum illud sit quod in libro
*Sap.1.* Sapientię scribitur:Cogitationes mortalium timidæ,& incertæ omnes prouidentiæ nostrę. Illud enim homini Christiano persuasum esse debet,fratres,ea omnia quę diuinis auspiciis atque ductu gerimus,faciles semper exitus habitura:contra verò quę consiliis nostris freti inconsulto Deo gerimus,infausta atq; pernicioſa spe futura. Quam rem quotidianis fermè exemplis comprobare licet. Quoties enim filiorũ atque filiarum nuptias, quories nauigationes,mercimonia,& lites quas intendimus,cęteráque negotia,quę salutaria nobis futura speramus,adeò votis & cõsiliis nostris minimè respondent,vt in diuersum etiam cedant,& vehementer noceant,quę profutura credebantur: in quibus pro pace bellum, pro otio negotium, pro tranquillitate contentiones,pro honore ignominiam,ac denique pro diuitiis paupertatem & inopiam inuenimus. Cur hoc,nisi quia nimium ingenio atque prudentiæ nostræ tribuentes Deum res humanas negligere re ipsa profitemur:quando illum cõsiliorum nostrorum auctorem atque participem efficere noluimus? Sic sanctus

Iosue

Iosue,cæteriq́ue Israelitici populi principes in petitione Gabaonitarum lapsi fuere,quoniam os Domini minimè interrogasse perhibentur,ideoq́ue illos Dominus labi atque errare permisit. *Iosue 9.* Sic etiam apud Etaiam filios Israel Dominus accusat, quòd se inconsulto atque relicto suis consiliis atque humanis præsidiis niterentur. *Esaiæ 30.* Væ inquit,filij desertores,vt faceretis consilium, & non ex me:orditemini telam,& non per Spiritum meum,vt adderetis peccatum super peccatum:qui ambulatis vt descendatis in Aegyptum,& os meum non interrogastis,sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis,& habentes fiduciam in vmbra Aegypti.Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem,& fiducia vmbræ Aegypti in ignominiam.Et paulo post humanæ fiduciæ præsidium deprimens,Aegyptus, inquit,homo & non Deus, & equi eorum caro & non spiritus.Et Dominus inclinabit manum suam,& corruet auxiliator,& cadet cui præstatur auxilium.Hac autem de causa cum idem populus iniussu Dei cum hostibus in deserto confligere vellet,Moyses diuinorum arcanorum interpres eos ab hoc temerario vsu reuocare volens,aiebat : Nolite ascendere;non enim est Dominus vobiscum,ne corruatis coram inimicis vestris. Amalecites & Chananæus ante vos sunt,quorum gladio corruetis,eò quod nolueritis obedire Domino, nec erit Dominus vobiscum. Quid illi interim ad hæc?sanctissimi viri voces aspernati,ad pugnam se parant. Sed cum primum appropinquantes hostes conspicati sunt,terga verterunt, eorumq́; gladiis fœdè cæsi perierunt.Sic igitur euenit, vt qui claram & insignem sibi victoriam peperissent,si pugnare voluissent eo tempore quo fuerant ad pugnam Dei imperio conuocati, cum Dei iniussu manus cum hoste conserere voluerunt,confestim fusi fugatiq́ue sint, & magna eorum pars ferro & vastitate consumpta.Quicunque igitur sapienter vitam instituunt, nihil audent,nisi de summi Dei sententia decernere,nihilq́ue omnino nisi ex illius imperio,consilio & præscriptione molirí. Itaq; semper seipsos excitant ad Dei verbum mente concipiendum, nec aliud in vita meditantur,quàm vt ductum & imperium summi illius ducis & moderatoris alacres & expediti sequantur: vsque adeò, vt ne licita quidem & communi more atque lege concessa aggredi velint,qui summa fide ornati sunt:nisi prius in Dei numen inspiciant,ipsumq́ue auctorem & monitorem habeant; absque ductu enim illius te loco mouere minimè tutum arbitrantur.Vnde vox illa Moysis,qua veniam atque pacem exposcit Deumq́ue pro salute populi sibi commissi veneratur,Si tu ipse inquit,non præcedas,non educas nos de loco isto : Intelligebat *Num.14.*

enim vir excelsus, tolerabilius multò fuisse in vasta illa solitudine incommodis omnibus vexari, atque senio fœdisque morbis intabescere, quàm viam aliquam, in qua Deus non esset ductor, inire. Illo enim duce non ad incertum, sed certum omnis vitæ labor impenditur, sed ad certissimam vitæ felicitatem omne studium destinatur.

II.

Vt igitur hanc verè Christianam philosophiam nos cælestis magister doceret, Apostolos electurus pernoctat in oratione Dei, in qua Patrem orabat, vt cælesti Spiritu atque virtute ex alto hos Euangelij ministros ita corroboraret, vt nullis laboribus, aut difficultatibus ab hoc ministerio deterreretur. Quæ quidem oratio adeò efficax fuit, vt per eã cælestis Pater spiritus sui plenitudinem in Apostolorum pectora demiserit. Quia sic instructi & armati fuerunt, vt vniuersum terrarum orbem peragrantes, Euangelium Christi longè lateque disseminarent. Non illos ab hoc officio locorum interstitia, non itineris labor, non Imperatorum minæ, non cruciatuum immanitas, non ferrum & ignis, non dæmonum, quorum altaria & templa euertebant, furor & rabies, non denique omnes reges terræ & principes, qui fre-
*Psal. 2.* mentes conuenerunt in vnum aduersus Dominum & aduersus Christum eius, deterrere potuerunt. Duodecim ergo piscatores hoc cælesti spiritu instructi omnem mundi atque inferorum potentiam debellarunt. Denique tanta animi fortitudine hoc opus aggressi sunt, vt quamuis, quod ad naturæ indolem attinet, rudis atque vilis ingenij, & piscatores essent, omnes tamen prius vitam amittere, & omnes cruciatus perferre, quàm commissum sibi officium deserere maluerint. Vnde alij, instar magistri sui, patibulo affixi, alij capite truncati, alij lapidibus obruti, alij lanceis confossi, alij candentis ferri laminis adusti, alij detracta pelle excoriati (quod beatissimo Apostolo Bartholomæo contigit) clarissimum constantiæ atque fidei suæ exemplum posteris reliquerunt. Solus Ioannes Euangelista in pace
*Act. 16.* occubuit, qui tamen in Actis Apostolorum cum aliis Apostolis
*Apoc. 1.* cæsus, deinde in feruentis olei dolium missus, & in Pathmos insulam exilio relegatus, postea in pace quieuit. Martyrij namque instar fuit, quòd dilectissimi magistri in cruce morientis comes astitit individuus.

Hunc autem duodecim Apostolorum numerum multis modis voluit Dominus & in veteri & in nouo testamento figuris
*Gene. 35.* clarissimis adumbrari atque honorari. Hos enim duodecim Patriarchæ filij Iacob designarunt, quia vt illi carnalis populi, ita

isti

iſti ſpiritualis patres extiterunt. Hos etiam duodecim illi boues adumbrarunt, ſupra quos impoſitum illud æneum mare erat, in quo ſacerdotes lauabantur. Sic enim iſti baptiſmatis mare per totum mundum detulerunt, quo peccatorum omnium ſordes abluuntur. Hos item duodecim illi fontes olim figuraruntquia ex horum fontibus ſalutaris ſapientiæ aquã populi omnes hauſerunt. Hi ſunt etiam duodecim illæ gemmæ in ſummi ſacerdotis Chriſti ornamento collocatę; quos Paulus Eccleſiarum Apoſtolos, & Chriſti gloriã appellat. Hi ſunt etiã duodecim illæ ſtelię in corona Sponſę muro doctrinæ ſplendore fulgentes; hi duodecim nouæ ciuitatis fundamenta, duodecimq; portæ, quæ ex ſingulis magaritis, conſtant, quoniam hi primum fidei fundamenta in mundo iecerũt, & per eos nobis aditus in cæleſtes illas ſedes patefactus eſt.

2. Par. 4. Exod. 15. Exod. 39. 2. Cor. 8 Apoc. 12 Apoc. 21

Hos igitur duodecim ex diſcipulorũ numero Dominus vocauit; quos (vt ait Ambroſius) ad propagandum auxilium ſalutis humanæ per terrarum orbem ſatores fidei deſtinaret. Simul aduerte cæleſte conſilium, non ſapientes aliquos, non diuites, non nobiles, ſed piſcatores & publicanos, quos diligeret, elegit ne traduxiſſe prudentia, ne redemiſſe diuitiis, ne potentiæ nobilitatiſque auctoritate traxiſſe aliquos ad ſuam gratiam videretur; vt veritatis ratio, non diſputationis gratia prævaleret. Hactenus Ambroſius.

Ibidem. Ambroſ.

Hoc etiam in loco flagrantiſſima Chriſti erga nos charitas apparet, quia tã lõga oratione Patrẽ exoratit, vt naſcentis nouæ Eccleſiæ idoneos miniſtros & duces ſibi deſignaret, qui perditos homines in viam ſalutis & ſempiternę felicitatis dirigerent. Si autẽ noſtra ſalus tam fuit cordi Chriſto, quàm eadem nobis chara eſſe debet? Quid enim (vt idem Ambroſ. ait) te pro ſalute tua facere oportet, quando pro te Chriſtus in oratione pernoctat? Sed quid mirum ſi pro ſalute tua orat, qui pro eadem & in mundũ venire, & innũmeros labores, ac poſtremò acerbiſſimum crucis ſupplicium perpeti dignatus eſt? Quid agis Domine Ieſu? quæ te vis amoris tot pericula, tot adire labores impulit, vt non dies ſolùm, ſed noctes etiam in ſalute noſtra promouenda expenderes? nec virilem modo ætatem, ſed ipſam quoque infantiam, paupertatem, nuditatem, exilio, hoſtiliq́ue Herodis odio conficeres? Num vt gratiæ tuæ, aut glorię opibus aliquid adiiceres, quod antea aut non haberes, aut promeritus non eſſes; minimè verò. quid igitur eſt quod te, cuius ſanctitati & gloriæ nihil addi, nihil detrahi poteſt, in hoc tãtum laborũ atque dolorum pelagus immiſiſcùm nos præſertim, quorum

Idem Mat. 3.

cauſa

causa vigiles in oratione noctes transigis, totas noctes dormiamus,aut in chartarũ & aliarũ ludo insumamus,aut in stratis nostris lasciuiamus,aut certè hoc ipso tẽpore alienę pudicitię insidias tendamus? Cur igitur aliena salus te tãtopere solicitat,cùm nos nulla eiusdem cura tãgat? In causa certè immensa charitas, *Psal.9.* & sapientia tua est. Tu enim solus laborem & dolorem cõsideras, tu solus humanæ salutis pondus atque dignitatẽ intelligis, tu cælestis gloriæ magnitudinem, tu pœnarũ gehennæ acerbitatem, quæ hominibus constituta sunt, plenissimè perspicis, ideoque eximia charitas tua fecit,vt nos omni ratione,à tantis malis ereptos ad sempiternæ fœlicitatis gloriã perducas. Quẽ- *Simil.* admodum ergo pius pater pro phrenetici filij salute anxius atq; solicitus varia vndecũque medicamenta conquirit, & quo magis filius ridet atque delirat,aliisque,delirijs suis, ilsum incutit, hoc maiori cura atque dolore pius pater conficitur, ita Christus Dominus sese erga nos gerit,qui phreneticorũ more malorum nostrorum ignari,tota vita sternimus atq; ridemus, cùm tamen pius hic pater pro salute nostra solicitus nulli labori parcat, & nec dies,nec noctes à salute nostra procurãda desistat. Quo vno argumento quantum sit salutis nostræ negotium perspicere licet, quòd omnipotentem Dei Filium sub hoc onere sudare, ac tot labores perpeti coegerit,quod nos tamen phreneticorũ more tantoperè negligimus.

III.

Sed iamdudum inquirere vos puto,fratres, cur Dominus in- *Theoph.* ter hos duodecim Ecclesiæ suæ duces Iudã etiã elegerit, quem proditorem futurum sciebat. Huic quæstioni Theophylactus respondet,eo tempore Iudam non indignum ea electione fuisse,qui tamen postea tantoperè ab hac Apostolica dignitate degenerauit. Nec enim nouum aut inusitatum est, quos Dominus in excelso dignitatis gradu collocauerit, ab ea dignitate *1.Reg. 11.* decidere. Sic enim Saul à Domino in populi sui principem ele- *2.Reg.22.* ctus,fœdissimè atque miserrimè postea lapsus,innoxios Domi- *1.Reg.31.* ni sacerdotes trucidauit, & sibi ipsi acerbissimã mortem intulit. *2.Reg.12.* Sic Salomon,qui amabilis Domino vocatus est, eò quòd ab eo *3.Reg.11.* fuerit dilectus,& in sede regia collocatus,mirisq; beneficiis auctus & cumulatus: tamẽ postea aras & templa vxorum suarum *Actor.6.* Diis erexit. Sic Nicolaus inter septem diaconos Spiritu sancto *Apoc.1.* plenos ab Apostolis electus,à fide postea deficiens,hęresum seminator effectus est. Quo fit,vt nemo electioni & vocationi diuinæ minimum fidens securitatem sibi polliceatur,cum felicibus initiis infaustos nonnunquam fines succedere cõtingat,contrà

verò

verò fœliciſſimi fines poſt dãnanda initia interim conſequã
Hinc D.Hieron.Non laudantur,inquit,in Chriſtianis initia,ſed *Hiero.*
fines.Paulus malè cœpit,ſed benè finiuit. Iudæ laudantur exor-
dia, ſed finis proditione damnatur. Qua in re ſtupenda Dom-
ni opera atque iudicia animadũertere licet, cùm Iudas præũia *Luc. 22.*
oratione à Chriſto Domino electus,ex apoſtolatus culmine in
proditionis barathrum ceciderit. Paulus autem ex truculẽtiſſi-
mo Eccleſiæ perſecutore ad eandem apoſtolatus dignitatem *Actor. 9*
fuerit euectus. Ille ex agno lupus,ex amico hoſtis,ex diſcipulo
magiſtri proditor: contrà verò hic ex lupo agnus, ex perſecu-
tore defenſor, ex Eccleſiæ hoſte, eiuſdem Eccleſiæ propagator
effectus eſt. Quis igitur in hac tam miranda rerũ cõmutatione
non obſtupeſcat?non etiam diuinorum iudiciorũ metu paueat?
Pauebat certè ſanctus ille Rex, quamuis innocentiæ ſuæ ſibi
conſcius eſſet,cùm diceret,Confige timore tuo Domine carnes *Pſal.118.*
meas,à iudicis enim tuis timui. Pau-bat etiam,quamuis inno-
centiſſimus, ſanctus ille Iob, cùm diceret, Semper enim quaſi *Iob.31.*
tumentes ſuper me fluctus timũi Deum, & pondus eius ferre
non potui. Quid verò Hieremias,ex vtero matris ſanctus? an *Hiere.15.*
non is quoque hoc metu perterrefactus iebat, Sedebam Do-
mine ſolus, quia cõminatione repleſti me? Et ne quis inanem
formidinem hanc exiſtimaret,ipſum Dominum eius auctorem
facit,cùm de ipſo ait,Quia cõminatione repleſti me. Nouerãt
enim omnes iſti veriſſimum eſſe quod eſt à Propheta dictum, *Pſal.35.*
Iuſtitia tua ſicut mõtes Dei, iudicia tua abyſſus multa,hoc eſt.
iudicia tua Domine altiſſima&impermeabilis abyſſus Quis e-
nim cõprehendere valeat,cur multi,qui diutiſſimè piè & inno-
center vixerunt, extremo vitæ tempore (quod Salomoni conti- *3.Reg.11.*
git)fœdiſſimè corruerunt?Itaque hoc illis eueniſſe videtur, qui *Simile.*
cùm ab oriẽtis Solis regionibus ad nos vſque felici curſu naui-
garunt, in ipſis portus faucibus naufragium fecerunt. Quis e-
tiam ingenio cõſequi poterit,cur ex duobus latronibus in cru- *Mat. 27.*
ce pẽdentibus, atque initio Dñm blaſphemantibus,alter eligi- *Luca 23.*
tur ad paradiſum,alter relinquitur ad ſupplicium?Cur ex duobus
fratribus,ex eodem patre atque matre natis, eodẽque partu in *Gene.25.*
lucem editis, Iacob videlicet & Eſau alter à Domino diligitur, *Rom.9.*
alter reprobatur? Quiſquis igitur hæc diuina iudicia, occulta
quidem illa, ſed non iniuſta, prudenter conſiderauerit, intelli-
get planè ſibi cum Propheta clamandum, Confige timore tuo
carnes meas,à iudiciis enim tuis timui. Quibus verbis vir ſan- *Pſal. 118.*
ctus tantam ſalutaris huius timoris vim à Deo poſtulat,vt non
mens tantùm,ſed ipſum etiam corpus hoc timoris aculeo con-
figatur.

figatur. Vsque adeo enim mentem suam hoc timore occupari
Esai. 66. atque repleri cupiebat, vt eius vis ac plenitudo in corpus etiam redundaret, ipsumque tremefaceret. Hoc enim timore securitatem parari intelligebat: cum probè nosset, Spiritum Domini in illorum præcipuè mentibus sedem sibi diligere, qui tremunt ad verbum eius.

Sed inter hæc occulta Domini iudicia, non postremum est id cuius paulò ante meminimus, Pauli videlicet persecutoris electio, & Iudæ Apostoli reprobatio. Quis enim definire poterit,
Matt. 27. Ibidem. cur Paulus ex iuratissimo hoste, Apostolus, Iudas autē ex Apostolo proditor factus, laqueo sibi vitam eripuit? si quidem horrēdi facinoris pœnitentia ductus, proiectis in templo argenteis, seque peccasse confitens, laqueo se suspendit. Ex cuius pœnitentia colligere licet, quòd quemadmodum prædestinatis omnia cedunt in bonum, etiam ipsa peccata, quæ eos humiliores & cautiores reddunt: ita contrà reprobis bona quoque ipsa in malum cedunt. Quod Iudæ exemplo intelligimus, qui ex Saluatoris doctrina, quæ maxima ex parte in peccati odio atque detestatione versabatur, tanto animo dolore sauciatus atque cōsternatus fuit, tantumque sibi displicuit, vt quo acerbissimum illum doloris aculeum euaderet, vitam sibi eripuerit. Hoc enim consilio perditi ac desperati homines ad laqueum confugere solent. Quia enim acerrimo alicuius rei dolore punguntur, neque vllam doloris eius leniendi rationem inueniunt, consiliū de morte obeunda suscipiunt, vt hac saltem ratione acerbissimum illum doloris sensum euadant. Hic igitur tantus doloris aculeus, qui Iudam corripuit, ex cælestis magistri doctrina perperam intellecta originem duxisse existimandus est. Cuius tamen miseranda ruina Dominus Passionis suæ acerbitatem augeri & solatium piis hominibus (cum ab amicis produntur) pariri voluit. Vn-
Cyprian. de est illud Diui Cypriani: Nec nobis ignominia est pati à fratrib⁹, quod pass⁹ est Christ⁹, nec illis gloria facere quod fecit Iudas.

Hic, quæso, fratres, diligenter mecum aduertite, quantum mali in auaritia positum sit (quæ immodicus pecuniæ amor est) quandoquidem hæc pestis infelicissimum discipulum adiam dirum facinus impulit, vt innocentissimum magistrum pecunia teterrimis hostibus prodoret, nec illum tot miracula quæ viderat quæque ipse patrauerat, non apostolatus dignitas, non mansuetissimi agni innocentia ab hoc sacrilego opere reuocauit: vsque adeò hæc auri cupiditas mentem excæcat, & ad quæuis tetra flagitia impellit. Quod si ita est, quantus hic lugendi atque lamentandi campus nobis aperitur, cum tot pænè Iudas, quot

aua-

auaros in mundo videamus: qui si tunc extitissent, fortassè Dominum simili pretio vendidissent. Quis enim inter mortales nō pecuniæ studio flagrat? non pestis huius exitiali morbo laborat? Iraq; modo etiam videre licet hoc ipsum quod Dominus apud Ieremiam quæritur, qui cunctos homines, à minore vsque ad maiorem, auaritiæ studere ait. Et apud Amos, Auaritia, inquit Dominus, in capite omnium. Quibus verbis quàm latè pestis hæc pateat, apertissimè declarauit: cuius meritò vrbem & templum euertendum esse designauit, cum prophetæ in eodem templo Dominum venienti ait, Percute cardinem & commouebūtur superliminaria. Quibus verbis templi euersionē vaticinatus est, causamque euersionis huius subiecit: Quoniam, inquit, auaritia in capite omnium, quis igitur lacrimas continere queat: cū hanc tam diram pestem tam latè in mundo dominari cernat, à cuius contagione vix quisquam expers sit. Beatus certè, vir, qui post aurum non abiit, neque sperauit in pecuniæ thesauris. Verumtamen quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua. Sed hanc acerbissimi luctus materiam in aliud tempus differentes, ad beatissimi Apostoli Bartholomæi martyrium veniamus.

*Ierem. 6.*
*Amos 9.*
*Ibidem.*
*Eccle. 31.*

## IIII.

Cum autē multa eius exemplo colligere valeamus, tum illud præcipuum est, vt nullum laborem recusemus, quo eius gloriæ consortes fieri valeamus. Quis enim sola diuinorum mandatorum obedientia cælestis regni hæreditatem mercari detrectet, quam sanctus Bartholomæus detracta corporis pelle mercatus est? Qui enim pellem dedit, omnia corporis membra dedit, atq; tot mortes acerbissimas pertulit, quot membra carnifici excorienda tradidit. Nouum supplicij genus, non tam ab hominibus quàm ab illo sanguinario hoste excogitatum, qui homicida erat ab initio. Cum enim S. Bartholomæus idolum, quod Astyages Rex vt Deum colebat, confregisset, & in frusta comminuisset, tanto crudelis tyrannus aduersus Christi Apostolum furore incanduit, vt non contentus illum fustibus crudelissimè cecidisse atrocissimum hoc supplicij genus, nusquam antea visum, Satana instigante, excogitaret, quod & acerbitate sua, & nouitate, & diuturnitate, Christi Apostolum immanissimè cruciaret. Nudatur ergo à carnificibus vir diuinus, stipitique, ne se commouere possit, alligatur, accedunt crudelitatis ministri nouaculis acutissimis armati, detractisque vestibus, vt expeditiores ad opus illud nefarium essent sulcare & scindere hinc & inde sanctissimum illud corpus incipiunt, & inter curam carnēq; vias ferro aperire, rimari

secreta

secreta viscerum, & altera quidem manu pellem ad se trahere, altera ferrum stringere,& cutem à cætera carne separare. Atque hac immanitate diuini viri & terga , & pectora , & brachia,& femora,& crura conscindunt,lacerant atque discerpunt.Fluebat sanguis,qui ex omnibus corporis membris scaturiebat,terramq; latè irrigabat. Diuinus autem Apostolus sanguinolentem corpus vt regalem purpuram intuebatur,carnifices ,autē illos , coronarum ministros atque fabricatores reputabat,corpus verò lacerum,holocaustum & hostiam viuam Deo placentem existimabat& mentis oculis in crucifixi Domini sui imagine defixis incredibili mentis alacritate triumphabat:quòd se illi per mortis supplicium simile fieri videbat,& sanguini , quo redemptus fuerat,vicem sanguine suo rependebat. Quin & totus spei plenus,& se iamiam breuissima illa mora transacta inter Angelorum & Apostolorū choros perpetuò regnaturum sperans,& in cæleſti illa mensa(quam illi magister suus promiserat)cum illo se epulaturum sciens, infracto & alacri pectore cruorem suum spectabat,membráque dilaniata cernebat,quę sempiternum sibi decus & gloriam essent præbitura.

*Luca 28.*

Quid nos ad hęc dicemus , fratres? En Apostolus omnium membrorum dilaceratione cęleste regnum emere non dubitauit, nec se in hoc mercimonij genere fraudatum existimauit, cum se paucarum horarum labore totius æternitatis fœlicitatē & gloriam mercari intelligeret. At nos miseri & amentes tam densis tenebris &caligine circumfusi sumus,vt ne sola quidem diuinorum mandatorum obedientia,& suaui Christi iugo ceruicibus impositō,hoc tantum bonū emere velimus,quod Apostolorum & Prophetarum chorus,quod innumerabiles Christi martyres omnium membrorum excarnificatione mercati sunt.

Cæterùm si nos tantę glorię fœlicitas minus mouet,moueat saltem horrenda illa pœnarum æternitas & acerbitas,quę rebellibus , & diuinarum legum contemptoribus parata est Ferrea enim pręcordia gestat,quem tam atrox & immane supplicium sempiternis seculorum ętatibus duraturum,ad leue illud Christi onus,& piam diuinæ legis sarcinam ferendam inducit.Quid autem supplicij huius consideratio efficere debeat hoc exēplo iudicandum curabo. Refert in Ecclesiastica historia Eusebius, quendam Christi Confessorem,Natalem nomine,qui multas à Tyrannis plagas ob fidei confessionem acceperat. quorundam hæreticorum(qui sectam suam illius auctoritate populo commendare volebant)prece & pretio non vulgari inductum,se eorum Episcopum & fautorem appellari passum fuisse , tantum

*Euseb.*

ambitionis

ambitionis & auaritiæ virus apud illum potuit. Quam enim equulei torméta non fregerant, auaritia & dominandi libido ad tam immane nefas impulerunt. Pius autem Dominus plagarum eius & fidei prioris memor, nocturnis visis & monitis ad pœnitenitam eum inuitabat, sed frustra. Illum námque hæ duæ pestes, quas memoraui, victum atque captiuum tenebant. At misericors Dominus nec hac rebellione lacessitus, acerbiori illum medicamento curare aggressus est. Duos enim Angelos misit, qui tota fermè nocte illum flagris ob commissum scelus acerbissimè verberarunt. At ille diuini furoris metu perculsus, orta luce, sacco indutus, & cinere capite conspersо, lacrymabũdus, & gemens ad Zepherini Pontificis pedes, multis coram astantibus se abiecit, erroris sui veniam postulans, & accepta propter Christum vulnera ostentans, tanto lacrymarum imbre effuso, vt astantes omnes ad lacrymas prouocaret. Quæ igitur, fratres, huius tam acerbæ pœnitentiæ causa extitit? Non dubium, quin noctis vnius plagæ atque verbera Si igitur nox vna in tormentis transacta tantum apud illum potuit, vt & episcopatus dignitatem, & reditus dignitati pares repudiaret, & tam acerbo se luctu in omnium conspectu confiteret, quas eorum cæcitas, qualis stupor & caligo mentis est, apud quos, æterna illa nox, quam nulla lux illustratura est, æterna supplicia, æternus & immortalis vermis, æterna dęmonum & laruarum teterrimarum societas, æternum incendium, æternum patriæ cœlestis exilium, æterna fames & sitis, æternus fœtor & horror, æternus luctus & gemitus nõ agit, quod apud hũc vnius noctis verbera egerunt. O amentiam! ô stuporem! ô cæcitatem! ô magnam dæmonis potentiam, quæ sic miseros homines dementare potest! Euigilate, quæso, fratres, & dum tempus habetis, dum vita manet, prophetica illa vox vestris auribus insonet, Venit mane, venit nox; si quęritis, quęrite, conuertimini, & venite. Conuertimini à viis vestris pessimis, & per vias iustitiæ ingredimini. Conuertimini per veram pęnitentiam, & venite per iustitiam, vt sic tandem inuenire mereamini Domini misericordiam, peccatorum veniam, & sempiternam vitam. *Esaiæ 21.*

In eodem festo Beati Bartholomæi Apostoli, iuxt quarundam Ecclesiarum consuetudinem, in qui bus legitur Euangelium, Hoc est præceptum meũ Concio secunda, in qua de fraternæ dilectionis præcepto (de quo Euangelica lectio differit) ac deinde de mundi conuersione, & Apostolorum præ dicatione agitur.

THEMA. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Ioan. 15.

HOdierna sancti Euangelij lectio fratres charissimi, duas complectitur partes, quarum altera fraternæ dilectionis præceptum, altera mundi conuersionem, & Apostolorum prędicationem continet, quam Dominus in extrema sacræ huius lectionis parte breuissima oratione complexus est, cum ad Apostolos ait, *Posui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* De hac igitur nos quoque breuius, de illa verò (quoniam plurimum ad vitæ nostræ institutionem pertinet) paulo fusius differemus. Quod quo plenius exequi possimus, cœlestem opẽ sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

*Psal. 18.* AVE MARIA.

Regis Propheta in eo Psalmo cuius est initium, Cœli enarrant gloriam Dei (in quo miro diuini spiritus artificio Dei gloriam celebrat) duas potissimum eius laudes prædicat, alteram, quæ ex pulcherrima vniuersitatis huius fabrica, & totius naturæ concinnitate colligitur: alteram, quæ in æquitate & sanctitate legis à se hominibus latæ perspicitur. Postquam enim Propheta dixisset, Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentem, & cætera quæ princeps in hanc sententiam subdidit protinus diuinę legis laudes aggreditur, dicẽs, Lex Dñi immaculata, conuertens animas, & quæ deinceps sequuntur. Illo igitur opere diligenter animaduerso, facilè quis immensam diuinæ maiestatis potentiam, sapientiam, & mirabilem rerum omnium prouidentiam perspicere poterit. Ex hoc autem (id quod in Deo mirabilius, & humano iudicio sublimi⁹ est) infinitam eius bonitatem, sanctitatem, benignitatem, & ardentissimam in genus hominum charitatem, & viscera misericordiæ colligere poterit. Vt enim aquæ fontium eorũ locorũ saporem referunt per quos transeunt (vnde quandoq; dulces, quãdoque salsæ sunt) ita cum diuina lex è sacro illo pectore ad

*Simile.*

nos

nos manarit,nō potest non eius pectoris vnde ipsa deprōpta est saporem atque naturam referre.Quocirca ea nobis instar puriſſimi speculi est,in quo non solum animæ nostrę macula ( vbi à diuina lege deuiamus ) sed etiam diuinę bonitatis & charitatis imaginem contemplemur. Quid enim dulcius,quid amantius vel vna illa lege quam omniū aliarum legum compendiū esse Saluator ait,nempe;Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.Hæc est enim lex & Prophetæ. potuitne quicquam salutarius atque iucundius hominibus præcipi? Quid enim ea vita beatius esset,in qua omnes homines hoc aliis præstarent,quod sibi ipsis exhiberi volunt? Sed hac tamen cæteriſque similibus legibus prætermissis(quæ facilè diuinæ benignitatis naturam repræsentant ad eam quæ in hodierna die sancti Euangelij lectione traditur,veniamus. *Matt.7*

*Hoc est*(ait Dominus)*præceptum meum.* Digna certè vox legislatore Deo,cui vni ex seipso præcipiendi ius est à quo sicut omnis paternitas,ita omnis potestas in cœlo&in terra nominatur. Non est enim ( ait Apostolus)potestas nisi à Deo. Sed expecto Domine quid mihi pręcipias,quam legem feras quo sacrificiorum genere mihi præscribas, quod obsequij genus iniungas, propter quod cœlestem mihi hæreditatem largiaris? *Hoc est*,ait, *præceptum meum,vt diligatis inuicem , sicut dilexi vos.* Quid hac lege blandius ? quid iucundius? quid amantius ? quid legislatore Deo dignius? Quid nobis vel ad vitam commodius? vel ad pacem securius,vel ad quietem dulcius præcipi poterat , quam vt fraterna dilectione,multisque beneficiis nos ipsos prosequeremur,nobisq; inuicē succurreremus? Cum enim omnia mala & bona hominibus ab hominibus inferātur(propter quod rectè sapientes dixerunt,Homo homini Deus& homo homini dęmō, vtrumque enim frequenter homo homini esse solet , dum aliquando mortē infert,aliquando à morte liberat)si hac dilectione se homines mutuò complecterentur,quid illis boni deesse, quidve mali euenire ab aliis posset ? Sic igitur in summa pace atque otio tranquillam sine vllo timore vitam ducerent.An non igitur Dominus hoc præcepto, paternæ pietatis in nos viscera satis apetrè declarauit?Si pater aliquis , filiorum amantissimus mandata illis daret,quibus placidam & tranquillā vitā degerēt quę alia , quæso,commodiora dare potuisset ? Hinc Scriptores Gentilium memorant Regem quendam , multorum filiorum patrem,morti proximum,hoc dilectionis mandatū hac ratione filiis cōmendasse.Prępcepit enim vni eorum vt virgatum fascem ante se positū frangeret.Quod cùm ille frustra tentasset,admo- *Rom.13.* *Simile.* *Simile.*

nitus à patre, singulatim virgas omnes confregit, quas simul cõgestas frangere nõ potuerat. Hoc igitur symbolo pius pater mutuam dilectionem filiis commendauit, asserens eos omnes, si concordes & vnanimes essent, insuperabiles fututos, si verò priuatis inter se odiis dissiderent, facilè à quouis impeti & euerti posse. Qua ergo mente & affectu pater hic filios suos ad pacem & mutuam dilectionem hoc exemplo excitabat, hoc eodẽ cœlestis Pater hac lege lata nos ad eandem charitatis vnitatem hortatur, dicens, *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut*
*Psal. 18.* *dilexi vos.* O quàm verè à Propheta dictum est, Lex Domini immaculata, conuertens animas! Verè enim hæc diuina lex piorum animas ab insano terrenarũ rerum amore ad castissimam & ardentissimam legislatoris huius dilectionem conuertit. *Hoc est*, ait, *præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Quot hic verba, tot sunt amoris incendia. Hoc enim perinde est, ac si diceret, Lex mea præceptum meum, & sacrificium, quo ego placor atque oblector, est pax vestra, salus vestra, quies, tranquilitas, & incolumitas vestra, quam ego hac lege mea sancio & constituo.

*Dissimil.* Conferte, quæso, fratres, legem hanc cum sanguinolentis falsorum Deorum legibus. Illi cultoribus suis præcipiebant, vt filios lustrarent per ignem, eosque in solemnibus sacrificiis infanda crudelitate trucidarent, quod scelus Propheta designauit, cùm ait, Et immolauerunt filios suos, & filias suas dæmoniis. Et effuderunt sanguinem innocentem, &c. Et in Esaia Dominus, Immolantes, inquit, paruulos subter eminentes petras quæ non mandaui, neque ascendit in cor meum. Quo verbo innuere Dominus voluit, quàm longe ab immensa illa sua charitate, humani generis altrice, fuerit, tam crudelia præcepta hominibus dare, cùm eius summum & singulare præceptum sit, vt nos inuicem diligamus, & omnia charitatis & humanitatis officia alij in alios conferamus, nec humanum sanguinem effundamus, qui maximè apud illum pretiosus est. Vnde facilè apparet, sanguinolẽta illa idolorum sacrificia ab illo instituta esse, qui homicida erat ab initio, quique humanum sanguinem vt crudelissimè ita & auidissimè sitit. Sed hic, fratres, nõn parua lamentandi materia sese mihi offert, cum animaduerto, quanto maiora isti propter sanguinarios illos & commenticios Deos, quàm nos propter verum & amantissimum nostri Deum faciamus. Infelicibus istis non graue erat propter diaboli cultum & obsequium vitam profundere, nobis graue atque molestum est vel vnius diei inediam propter verũ Deum sustinere, vel paulò diutius in oratione persistere, vel acceptam iniuriam erranti proximo

ximo condonare, vel cupiditatum noſtrarũ intemperantiam non ferro, ſed diuini timoris gladio abſcindere, vel fruſtrum panis pe tenti Chriſto in paupere ſuo porrigere, cùm illi tamen fruſtra vi tam & ſanguinem dæmonibus largirentur.

I.

*Hoc eſt*, ait, *præceptum meum*. Quid eſt quod addit, *meum*? an non alia quoque diuinæ legis præcepta eundem habent auctorem & legiſlatorem? Cur igitur hoc peculiare dicit eſſe ſuum? Ad hoc facilè quiſquam reſpondere poſſet, hoc vno electionis præcepto cætera legis præcepta contineri, Apoſtolo teſtante, qui ait: Qui diligit proximum, legem impleuit. Et, Plenitudo legis, eſt dilectio. Sed eſt tamen aliquid ſublimius, quod hac loquendi figura Dominus voluit ſignificare, nempe inter omnia eius præcepta nullum magis bonitatem, benignitatem & miſericordiam eius, quàm hoc ipſum repræſentare. Conſtat enim, inter innumeras diuinæ maieſtatis laudes nullam eſſe magis prædicandam, nullamque, quæ magis diuinitatis naturam deceat: nullam, quæ magis ab hominibus cognoſci & prædicari debeat, quàm immenſa eius bonitas & miſericordia, Miſerationes enim eius ſuper omnia opera eius. Cum autem bonitatis & miſericordiæ proprium ſit de hominibus bene mereri, eoſque bonorum ſuorum participes facere, ipſorumque ſaluti & incolumitati conſulere, quid magis ſummam illam bonitatem decuit, quàm id nobis præcipere, quòd nobis eſſet maximè ſalutare, ac proinde bonitati & miſericordiæ illius magis conſentaneum?

*Rom. 13.* *Ibidem.*

Neque ſuum eſſe mandatum hoc modo, ſed nouum quoque apud eundẽ Ioannẽ appellat, eum ait, Mandatũ nouũ do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. Et hoc quoque inquiſitione dignum eſt, cur nouum mandatum appellet, quod cum ipſo homine, atq; adeo cum ipſo mũdi exordio natũ eſt; Quid enim magis ſecundum hominis naturã, quàm humanitas & benignitas? Hinc D. Aug. ait, cum prçclara illa Comici ſententia, Homo ſum, humani nihil à me alienum puto, in theatro recitata eſſet, totum populum aſſurrexiſſe, & cum clamore & plauſu eam approbaſſe. Attamen idem Ioannes Euangeliſta in epiſtola ſua diuerſum ſentire videtur, cum ait, Non mandatum nouum ſcribo vobis, ſed quod habuiſtis ab initio, vt diligamus inuicem. Quo modo ergo Ioannes vetus mandatum appellat, quod Saluator nouum eſſe ait? Ad hoc facilè reſpondemus, idem mandatũ vetus pariter & nouum eſſe, vetus quidem inſtitutione, ſed antiquarum hominum prauitate, quod tamen Dei filius tum verbis & exẽplis, tũ etiã maximis dilectionis ſtimulis renouauit. Sicut

*Ioa. 13.*

*Auguſt. in libro Confeſſ.*

enim pictores senio & vetustate exesas atque penè obliteratas imagines nouis additis coloribus renouare solét (quo fit, vt eędem tabulæ nouæ simul & veteres dicendæ sint) ita Christus Dominus magno artificio, mirisque coloribus hoc mandatum ad hominibus ferè neglectum, instaurauit? atque ita factum est vt vtrumque in illud nomen caderet. Quid enim aliud tota eius vita & doctrina, nisi dilectionem & charitatem sonat? quid aliud eius incarnatio innuit? quid natiuitas, miracula, vita, & mors, omnesq; mortis eius accerbitates & opprobria, nisi ardentissimam eius charitatem prædicant? Qua enim alia de causa idem dixit. Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur? Tot enim charitati nostræ stimulos addidit, præsertim cùm pro salute nostra calicẽ passionis hausit, vt (quemadmodum D. Chrys. ait) etiam si lapidei essemus, hac tanta dilectione exhibita, instar mollis ceræ liquefieri deberemus. Hac ergo ratione nihil mirum, si mandatum hoc nouũ à Domino appelletur, quod tam multis mirisq; rationibus confirmatum, & mentibus hominum infixum fuit. Vt omittam interim mandatũ hoc ad nouam legem maximè pertinere, quæ hoc à veteri distat, quod (vt D. Augustin. ait) illa timoris, hæc amoris lex sit; ideoque rectè hoc mandatum nouum dicitur, quia ad nouam præcipuè legem pertinet, in qua nõ solùm charitas adeò strictè hominibus præcipitur, sed etiam fidelium cordibus infunditur per Spiritum sanctum, qui illis donatur.

*Luc. 12.* *Chrysost.* *August.*

Et quidẽ satis erat huius præcepti suauitas simul & vtilitas, vt nos ad eius obseruationẽ adigeret, sed addit Dominus vtilitati præcepti nouum obedientiæ aculeum, nempe dilectionis suæ exemplum, dicẽs, *Sicut dilexi vos.* Efficacissimum enim docendi genus est cùm doctoris præceptum præcipientis exemplo commendatur. Hac enim ratione Paulus Philippenses ad charitatis officia hortatur, eximiam suam in eos charitatem prius commemorans, cùm ait, Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiã vos omnes in visceribus Iesu Christi. Et hoc rogo, vt charitas vestra magis ac magis abũdet. Hoc igitur modo Saluator eũm ad fraternam dilectionem inuitat, se ipsum in efficacissimum dilectionis exemplum proponit, cùm ait, *Sicut dilexi vos.* Quantum verò dilexerit, exponit deinde cùm subdit: *Maiorem hac dilectionẽ nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Hoc autẽ exemplo quid efficacius proponi nobis potuit? Non enim exemplum solùm est, sed summum etiam beneficium, dum pro nobis à morte liberandis ipse vitam suam morti exposuit. Quo quidem exemplo vsque adeò ad amoris vicem exhibendam

*Phil. 1.*

exhibendã permotus Apoſtolus fuit, vt diceret; Charitas Chri- 2. Cor. 5.
ſti vrget nos, quod perinde eſt ac ſi diceret, Ea Domnicæ cha-
ritatis vis atque potentia eſt, tantumque mẽtes noſtras ad mu-
tuę dilectionis officia impellit, vt etiam vrgeat, & quodãmodo
vim faciat, vt nemo iam habeat quo inhumanitatis ſuę excuſa
tionem obtendere poſſit. Merito ergo nos Saluator ad hanc di-
lectionis magnitudinem adigit, qui adeò cumulatè prior ipſe
præſtitit, quod pręcepit. Hinc Ioannes in epiſtola ſua? In hoc, 1. Ioan. 3.
inquit, cognoſcimus charitatẽ Dei, quia ille pro nobis animam
ſuam poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Quæ
quidẽ res tũc præcipuè nos obligat, cùm ſalus animæ periclita-
tur, nec alia ſuppetit ratio qua periclitanti fratris animæ ſubue-
nire valeamus. Vnde animaduertere licet, fratres, quoſq; chari-
tatis Chriſtianæ lex progredi debeat, vt aliquando vitam etiam
ipſam (qua nihil homini charius eſſe ſolet) pro Chriſtianis im-
pendere teneamur. Quod cùm ita ſit, quid de illis exiſtimãdum Gregor. in
eſt, qui ne fruſtũ quidẽ panis egẽti fratri porrigere volũt? Cùm Homil.
enim (vt D. Greg. ait) incomparabiliter maior ſit anima qua vi-
uimus, terrena ſubſtãtia quam poſſidemus, qui nõ dat pro fra-
tribus ſubſtantiã ſuam, quomodo pro eis daturus eſt animam
ſuam? Verùm hæc querela longiorem deſiderat tractatum.

II.

Sed quoniam nos hoc in loco Dñs ad dilectionis ſuæ imita
tionem inuitat, cùm ait, *ſicut dilexi vos*, expẽdamus modò cæte-
ras dilectionis eius circunſtãtias, ſi qua fieri poſſit, vt eas aliqua
ſaltem ratione imitari poſſimus. Si quis igitur paulò attentius
hãc Chriſti dilection ẽconſiderauerit inuenjet planè, illũ dile-
xiſſe nos fortiter, dulciter, ardẽter, perſeuerãter, atq; ſimpliciter.
Fortiter quidẽ dilexit, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit cru- Luca 9.
cem, confuſione contempta. Quam eius fortitudinem Euange
liſta Lucas inſinuauit, cùm ait, Factum eſt autem dum comple-
rentur dies aſſumptionis eius, & ipſe firmauit faciem ſuam, vt
iret in Hieruſalem. Verbo enim, firmandi faciem, admirandam
Domini fortitudinem, animiq; promptitudinem, qua ad mortis
ſupplicium properabat, ſatis apertè indicauit, quod etiã Euan-
geliſta Marcus apertius adhuc deſignauit, cum de hoc ipſo iti Marc. 10.
nere loquens ait, Erant autẽ in via aſcendẽtes Hieroſolimam,
& præcedebat illos (ſcilicet diſcipulos) & ſtupebant, & ſequẽtes
timebant. Stupebant quidem, quòd illum præcedere vidiſſent,
(quod in eo nouum & inſolitum erat) & timebãt, quoniam pe-
riculum, quod illis impendere Hieroſolymis intelligebãt, hu-
mana formidine metuebãt. Sed illa tamen Domini præparatio

& (vt ita dicam) præceſſio, animi eius feruorem & alacritatem, qua ad ſalutis noſtræ ſacrifi ium conſummandum properabat, non obſcurè demonſtrat. Hoc enim ummum eius deſiderium, hic amor, hic ſalutis noſtræ ardor erat, pro quo omnia paſſionis ſuæ torméta atque opprobria ó modò non formidabat, ſed ad ea etiam alacriter properabat, ideoque diſcipulos in hoc itinere præcedebat. Huius verò infractæ atque inconcuſſæ fortitudinis
1.Cor.10. gratia Apoſtolus petrã illum appellat, quæ cæleſtis iuſtitiæ virga percuſſa, ſitiẽti populo laticiſſimas diuinarum gratiarũ aquas fudit, ipſa tamen illæſa & integra permanſit. Et ob hoc item in lege Dominus præcepit, ne paſchalis agni oſſa cõminuerentur.
Exod.12. Os, inquit non comminuetis ex eo. Quæ quidem cautio ſupervacanea & otioſa eſſet, niſi per eam Dominus immobilẽ Chriſti Domini fortitudinem deſignare voluiſſet. Dilexit etiam nos dulciter, quod eius in Euangelicis litteris non ſolùm geſta, ſed etiam dulciſſima verba declarant. Ad geſta enim pertinet, quòd procumbens humi diſcipulorum pedes lauit, quod blandiſſimæ charitatis officium eſt, ad verba autẽ, quod diſcipulos ſuos aliMat.28. quando fratres, aliquando filios, aliquando etiam filiolos ſuos
Ioan.13. (quod eſt multo dulcius) appellabat, & omnes deniq; homines
Matt.11. ad ſe amantiſſimis verbis inuitabat, dicẽs, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Quibus verbis quid dulcius? quid amantius? Ardenter autem ſe dilexiſſe oſtendit, quando tanto ſalutis noſtræ deſiderio flagrabat, vt diceret,
Lucæ 11. Baptiſmo habeo baptizari, quomodo coarctor vſque dum perficiatur? Inſtante autem iam mortis hora, eodem permotus deſi-
Ioan.13. derio proditori ait, Quod facis, fac citò, quòd videlicet paſſionis ſuæ tempus ob ſalutem noſtram accelerari vehementer optaret. Perſeuerantèr autem ſe dilexiſſe, ſatis illa Ioannis verba indicant, Cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem
Iere.31. dilexit eos. Et illa item quæ is per Prophetam multo antè prædixerat: in charitate perpetua dilexi te: ideò attraxi te miſerans. Hinc Iudæis petentibus vt è cruce deſcenderet, quo illum eſſe
Ioan.16. Dei filium crederent, aſſentiri noluit, quouſque redemptionis opere perfecto, dixit, Conſummatum eſt. Verùm inter has diuini amoris laudes, & nos vel maximè ad mutuam amoris vicem incitare debet quòd ſimpliciter, hoc eſt, ſine vllo ſuo emolumẽto ità dilexit, vt atrociſſimum mortis ſuppliciũ non pro ſua, ſed pro noſtra ſalute ſubire non recuſauerit. Cùm enim duplex in Chriſto natura ſit, diuina ſcilicet & humana, ſatis conſtat, diuinæ naturæ vtilitatis nihil accedere, neq; decedere potuiſſe. Humana verò natura, cùm à primo ſacratiſſimæ conceptionis ſuæ

momento

momento fuerit beata, & immenia gratia plena; quid illi amplius præter corporis & nominis sui gloriã (quã tunc etiã promeruit) accedere potuit? Videtis ergo quàm gratis, hoc est sine vllo suo emolumẽto nos Christus Dominus dilexerit; Quisquis autem hanc diuinæ dilectionis gratiam pio affectu fuerit contemplatus, mirum erit si non totus præ stuporis & amoris magnitudine extra se quodãmodo rapiatur. Hanc ergo amoris sinceritatẽ & puritatem toto effectu imitari studeamus, fratres, gratis nos quoque proximos diligamus, gratis eis benefaciamus: hoc est enim quod Apostolus à nobis exigit, cùm ait, Qui tribuit in simplicitate: id est, dũ tribuit, tantum tribuit, non aliud tribuendo impetrare sub liberalitatis velamine intendat. Aliud enim charitas, aliud negotiatio est. Qui verò cùm diligit, aut obsequitur, aut benefacit, lucrũ aliquod captat; nõ charitatem, sed mercaturam exercet; non proximum, sed se ipsum diligit; non postremò Christo militat, sed sibi. Quisquis ergo hanc dilectionis sinceritatem imitari cupis, iis potissimùm benefacere stude, à quibus nihil sperare, nihil timere queas: hoc est, maximè inopes, abiectos, & ab hominibus derelictos homines elige in quibus nihil omnino præter vnum Christum intueri possis. Hæc enim est vera, pura, sincera atque germana charitas, hæc pulcherrima virtutis species, ab omni fuco aliena; quæ si mortalib⁹ oculis cerneretur, mirabiles sui amores excitaret. Hæc in primis Deo gratissima est, hæc acceptissima est, quæ tãto maiorem in cælo fructũ percipiet, quanto minus terrenũ aliquid inquietur. Ad huius verò dilectionis puritatẽ nos magister cælestis simplissimis verbis inuitat, cùm ait; Cùm facis prandium, aut cœnã, noli vocare amicos tuos neque fratres tuos, nec cognatos, nec vicinos diuites, ne fortè te & ipsi reinuitent, & fiat tibi retributio, sed voca pauperes ac debiles, claudos & cœcos, qui non habent tibi retribuere: retribuetur autem tibi in retributione iustorũ. O quàm sublimis philosophia in his Domini verbis continetur! Quid igitur, Domine, an non charitatis est, amicos, vicinos, atque parẽtes inuitare, & eos beneficiis prosequi, præsertim cùm multorũ Theologorũ sententia sit, vt magis debitã, ita maioris meriti esse amicorum quàm inimicorum beneuolentiã? Sit ita plane: sed altius tamen aliquid Dominus in hoc opere introspiciebat: nẽpe huius dilectionis puritatem, quę in hac cognatorũ & amicorũ beneficẽtia periclitari facilè posset (cùm magis nos cognationis & amicitiæ necessitudo, q̃ sincera charitas ad officiũ impellit) à quo periculo beneficentia secretò in pauperes inopẽsq; collata lõgissimè abest: atq; id quidem est

*Rom. 12.*

*Psal.*

*Luc. 14.*

dē est quod in bonis operibus potissimū captare debemus, vt ea pura & simplici mēte faciamus. Quis autē satis explicare queat, quā logè ab hac charitatis simplicitate abhorreat mūdus? Quę
*Malac. 1.* rebatur olim Dñs per Prophetā, cū dixit, Quis ex vobis est qui claudat hostia, & incēdat altare meū gratuitò? At multo magis nūc quęri posset, Quis est qui gratuita beneficia hominibus tribuat? qui purā gratiam & misericordiam impēdat? qui non aliquid, dū benefacit, aucupari intēdat? Deniq; quis modò puram sinceramq; amicitiā vel inter fratres deprehendat? Sibi quisque consulit, sibi prospicit, sua vbique commoda captat. Nemo seminat, vbi se nihil frugi collecturum sperat: quia vbi totum hominem occupat cupiditas, nihil sibi vindicat charitas.

Vidistis hactenus, fratres, qua ratione Dominus ad charitatis sinceritatem exemplo suo simul & pręstantissimo beneficio nos excitauerit. Verùm ne his quidem stimulis adeò acribus cōtentus, addit tertium, nempe ingēs huius dilectionis & obedientię præmium, dicens: *Vos amici mei estis si feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, &c.* Quid hoc præmio vel magnificentius ad gloriam, vel ad dignitatē sublimius? Si enim summa & constantissima fides in Dei amicitia est, & amicorum omnia sunt communia, quid quæso vel in hoc seculo ad tuendā vitam, vel
*Epilogus.* in futuro ad consequendam gloriam omnipotentis Dei amico deesse poterit? Hoc igitur nomine Christus Dominus mercedis huius immensitatem complexus est. Quid enim ad Dei amicitiam adiici maius possit? Vt igitur ad id quod initio proposuimus, redeamus: ex hac charitatis lege immēsam Dei nostri bonitatem benignitatem, misericordiam & charitatem in genus hominū colligere apertissimè licet. Satis enim ad hoc erat, eam legē tulisse, quæ tota ad vitæ nostræ vtilitatem, tranquillitatem, & incolumitatem intenta est. Addit ad hoc perfectissimæ suæ dilectionis exemplum: quod ita est exemplum: vt sit etiā summum beneficiū, quo vel maximè ad eius dilectionē incitamur. Hoc enim fuit oleum camino, & ignem addere igni. Et quasi hæc ipsa exigui pōderis essent, adiungit etiam locupletissimam mercedē, si id fecero, q̄ nulli magis quàm mihi vtile est: quod planè nulla lege admonitus, nullo exemplo inductus, nulloque beneficio astrictus, ob meam ipsius cōmoditatem præstare debuissem. Quid igitur hac diuina bonitate maius? hac benignitate dulcius? hac paterna cura prouidentius? Quis adeò ferreus sit, qui non ad hunc diuinę charitatis ignem coliqueſcat? qui nō huius legislatoris amore flagret? qui nō in hac lege velut in

puriſſimo

puriſſimo quodam ſpeculo viſcera miſericordiæ & diuinæ bonitatis inſpiciat? Tua ſunt hæc, Chriſte, opera tua, pater clementiſſime, charitas & prouidentia, quãdo pro eo quod maximè filiis tuis expedit, cæleſtia præmia polliceris. Sic enim videmus pios parentes ægrotantibus filiis & potiones amaras recuſantibus dona & xenia promittere, ſi medici præceptis obtemperauerint: cùm tamen ſalutis beneficium non tam parentum, quàm filiorum ſit. Sic igitur cæleſtis ille parens nobiſcum agit, cuius præcepta omnia (ſi ad vnguem examinare velis) deprehendes ſanè non ipſi, ſed nobis vtilia & ſalutaria eſſe: qui tamen pro illorum obſeruatione ingentia nobis præmia pollicetur: vt meritò dubitare debeamus, pro quo beneficio magis illi obnoxij ſimus, an propter mandata quæ præcipit, an propter præmia quæ obedientibus promittit? *Simil.*

III.

Hactenus priorem Euangelicæ lectionis partem abſoluimus, nũc ad alteram, quam ad Apoſtolorum gloriam pertinere diximus (quo præſenti ſolennitati aliqua ex parte ſatisfaciamus) veniendum eſt. In ea verò Dominus maximũ & pulcherrimum operum ſuorum, hoc eſt, mundi conuerſionem, & idololatriæ deiectionem breuiſſima oratione complexus eſt, cùm ait, *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* His verbis apertiſſimè Gẽtium vocationem, Euangelij prædicationem, & crucis ſuæ triumphum vaticinatur. Iuuat igitur, fratres, huius diuini operis excellentiã breuiter contemplari: quod D. Auguſt. miraculorũ omnium maximum eſſe merito teſtatur. Huius verò contemplationis fructum Iſaias exponit, cùm ait: Tunc videbis & affluues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Mirabitur, inquit, & dilatabitur cor tuum, vbi excellentiſſimi huius operis magnitudinem, & prædictionum atque vaticiniorum omnium (quæ multò antè præceſſerunt) veritatem fueris contemplatus. Tunc enim & in fide ſolidaberis, & in ſpe cæleſtium bonorum confirmaberis, & in tantę ſalutis auctorem amore inflammaberis, atq; ita ſuauiſſimis maximiſque diuini ſpiritus deliciis affluues. *Auguſt.* *Eſaiæ 60.*

Eſſe autem mundi conuerſionem inter maxima Dei opera atque miracula computandam, rei magnitudo, & miniſtrorum, quibus in id diuina ſapiẽtia vſa eſt, imbecillitas apertiſſimè declarat. Cùm enim vniuerſus ferè orbis, ſublata veri Dei cognitione, obſcuriſſimis atq; horrẽdis tenebris circumfuſus in omnibus flagitiis & turpitudine verſaretur, pauci viri, Iudæorum ſtirpe

stirpe propagati,Regibus,Imperatoribus,atque omnibus ferè mundi nationibus repugnantibus, atque omnia tormentorum genera aduersum illos intentãtibus,vniuersum penè genus hominum ex tetris illis tenebris eripuerunt,& ad fidem atque obedientiam vnius hominis, quem in crucem sublatum sciebant, breuissimo temporis spatio adduxerunt. Quorum de numero beatissimus Bartholomęus extitit:qui in Indiam vsque penetrauit,& Euangelium,iuxta Matthæi traditionem,in Indorum sermonem conuertit,& latissimè prædicauit.In quem tamen veritatis hostes adeò acriter exarserunt, vt eum immanissimo atq; inaudito crudelitatis genere mactare decreuerint.A capite enim ad pedes vsque sanctissimi viri pellem noua cultis acutissimis detraxerunt.Neque hic solus Apostolus,sed cæteri quoque Apostolicæ dignitatis consortes(vno Ioanne excepto)variis tormentorum generibus Christi Euangelium ,Satana cum satellitibus suis modis omnibus repugnante,in toto terrarum orbe dissemi narunt.Nec solum commentitia numina peruertunt, verum & libidinem,ambitionem,odium,crudelitatem,auaritiam ex animis eorum qui se ad Christi nomen adiunxerant,exterminarunt Quæ cum ita sint,quis dubitare poterit,hanc tantam rem Dei numine,mente & consilio fuisse perfectam? Hoc igitur argumento constat verum esse quod sancti Patres aiunt,nequaquam hoc tam præclarum opus sine multis maximisque miraculis perfici potuisse:aut si miracula defuerunt,nullum potuisse illustrius miraculum excogitari,quàm hanc tantam rem sine miraculis perfectam fuisse.

Sed vt ad nos ipsos,fratres,redeamus,habemus hoc in loco vnde non solum mirari,& deliciis affluere (vt Propheta dicit) sed etiam vnde timere quoque debeamus. Quonam modo? Dicam planè.Cum hæc omnia quæ humano sensu impossibilia videbantur,multis antè seculis consona omnium Prophetarum voce prænunciata sint;quæ nos tamen apertissimè impleta videmus:hoc eodem argumento colligere possumus,cætera quoq; omnia,quæ eodem spiritu,eademque auctoritate , de extremo iudicio,deque atrocissimis & sempiternis reproborum pœnis, igne scilicet inextinguibili, immortali verme,tenebris horrendis gemitibus intolerandis,carcere tetro,dæmonum contubernio immortali morte,vita mortifera , variisque supplicioru generibus(per quæ paria præteritis deliciis tormenta inferuntur)prædicta sunt, d vnguem esse suo tempore implenda,euenturumque aliquando,vt quæ modo futura , & longè absentia sunt,præsentia videamus : quandoquidem( vt D. Gregor.ait)

Gregor.

præteritarum

præteritarum rerum exhibitio sit futurarum certitudo. Vidimus iam conuersionem mundi, vocationem Gentium, euersa dæmonum altaria, principem huius mundi profligatum, tyrannos deuictos, portas inferorum fractas, Ecclesiam semper quidem impugnatam, permanere tamen semper inuictam (quæ omnia Prophetæ & Euangelia prædixerunt) sic etiam certum est, visuros nos aliquando extremum & horrendum iudicium, & signa, quæ ipsum antecedent, in Sole, Luna & stellis, & in terris pressuram gentium præ confusione sonitus maris & fluctuũ, arescentibus hominibus præ timore & expectatione quæ superueniunt vniuerso orbi. Videbimus etiam iudicem in nubib⁹ cœli venientem cum potestate magna & maiestate, oues ab hædis secernentem, & oues quidem à dextris, hædos verò à sinistris collocantem, & illas quidem ad æterna præmia dulciter inuitantem, istis verò terribili & minaci vultu ad sempiterna & ineluctabilia supplicia, ad flammas, ad ignes, ad tenebras, ad bonorum omnium abdicationem, malorumque omnium perpessionẽ damnantẽ. Hæc ergo fratres, cogitate, hæc vobis semper ante oculos ponite, hoc certo certius futura esse credite, illamq; Salomonis sententiam assiduè recolite. Cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato, sive bonum fuerit, sive malum sit. His enim ille nouissimis verbis longissimæ illius siue concionis, siue disputationis summam complexus est. Hoc enim ad hominum salutem constituendam satis esse putauit, si huius diuini iudicij districtionem ante oculos semper haberemus. Quisquis enim hoc facit, protinus illud etiam exequetur, quod idem Salomon paulò ante expressit, cum dixit, Quodcunq; potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos, quò tu properas. His verbis Salomon omnes euadendi iudicij diuini vias complexus est. In hac enim vita vix vllum tam præsens periculum est, quod non aut opera nostra, aut amicorum, aut rationis sollertia, aut sapienti consilio depellere valeamus. Vbi autem ad inferos ventum est, & à supernо illo iudice damnationis sentẽtia lata fuerit, nihil est quod eam vlla ratione aut reuocare, aut etiam mitiorem reddere possit: non gemitus, non lacrymæ, non longa dies, non pœnitentia (quæ apud inferos nulla est) non sacramentorum virtus (quibus ibi locus non est) non Sanctorum patrocinia, non Christi sanguis, non denique vlla ars aut ratio opis quicquam conferre miseris potest. Omnes quippe aditus spei, salutis, veniæ, & misericordiæ illis penitus intercluſi sunt. Itaque clamant perpetuò miseri: Transiit messis, finita est æstas (in qua videlicet

*Eccle. 12.*

*Eccles. 9.*

*Ierem. 8.*

delicet cõmeatum nobis parare potuissemus)& nos saluati non sumus. Hoc enim messis tempore victum sibi homines parare solent:quod qui facere negligunt,necesse est vt famem deinceps & inediam patiantur.Hoc est igitur quod infœlices illi lamentã tur,quòd hanc videlicet metendi opportunitatem(in qua minimo labore atque negotio opes in æternum mansuras colligere potuissent)socordia sua perire passi sunt,quam certo sciunt nũquam iterum redituram. Quid nunc animi putatis epulonem illum diuitem habere fratres,cum animo recolit,se micis quæ cadebant ex mensa sua,cæleste regnum mercari potuisse,qui quoniam hoc facere neglexit,aquę guttam infœlix tot annorum milibus,flagitet,nec accipiat.

Hac igitur de causa,qui rectè sapiunt,qui tamen non præsentia modo,sed multo magis futura tempora sibi ante oculos ponunt,omni ratione saluti suæ opportunè prospicere, & delictorum veniam à superno iudice impetrare contendunt .Meminerunt enim scriptum esse:Pro hac(scilicet peccatorũ venia ) orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Opportunum autem orandi,& veniam impetrandi tempus modo est, quando nec calix quidem aquæ frigidæ debita mercede caret,quãdo vel vna lacryma ex toto corde effusa totius vitæ sordes eluere, animamque astris puriorem efficere potest:cum tamen huius temporis opportunitate transacta, etiamsi damnatus homo totum se in lacrymarum fontem verteret,imo tot lacrymas (si id quidem fieri posset)funderet, quot Oceanus vndas continet,ne vnius quidem venialis peccati(vt D. Thom. ait)maculam diluere poterit.Quocirca opportunè nos Sapiens ille admonet, Ne tardes cõuerti ad Dominum,& ne differas de die in diem:subito enim veniet ira illius,& in tempore vindictæ disperdet te. Quid est autem,subito veniet ira illius ? Certè improuisus & repẽtinus aderit tibi iudex ille,qui de tota æternitate sententiã laturus est.Quia enim(vt Salomõ ait)viri mali non cogitãt iudiciũ, (aliter enim vitam instituerent, si hoc cogitarent ideo dies ille iudicij semper illis repẽtinus & improuisus venit.Qua de causa Apostolus diem Domini furi comparat, cui ea ad furandũ tempora captat,in quibus homines negligentius & securius agere solent.Quam quidem similitudinem Saluator ipse explicauit. cum de malo & inerti seruo loquensait, Veniet Dominus serui illius in die quam nescit, & hora quam ignorat,& diuidet eum partemque eius ponet cũm hypocritis.Itaque fratres,introrsum nunc oculos vestros reflectite,& an securitatem hanc & diuturnioris vitæ spatia,tacita vobis cogitatione polliceami

*D. Thom. Eccle. 5.*

*Prou. 28.*

ni,

ni prudenter aduertite. Quod si intra vos illam deprehenditis, vehementer trepidare deberis, ne hæc iã instet hora, qua improuisus iudex ad fores vestras pulset, qui tũc propior esse solet, cùm longius abesse putatur.

Quid igitur nos facere mones? Hoc nos breuiter Sapiens ille docet, cùm ait: Ante iudicium para iustitiam. Qua ratione iustitiam parabo? Primùm quidem, si dederis operam, vt cùm iudex aduenerit, iustus inueniaris. Iustus autem est, qui præteritæ vitæ peccata veræ contritionis atque confessionis virtute delet eademque studiosissimè vitare proponit. Hoc enim propositum totius diuinæ legis summam cõtinet. Cæterum qui hoc in animo suo firmiter statuit, ea quoque simili ratione cõsectari debet, quæ ad hanc firmitatem constantissimè retinendam necessaria sunt. Omnes igitur aditus, per quos peccato in animam nostram ingressus pateat, obstruendi, & virtutibus muniendi sunt. Itaque adhibenda oculis custodia est, & cum Propheta clamãdũ, Auerte oculos meos ne videant vanitatem, ne oculus meus depredetur animã meã in cũctis filiabus populi mei. Adhibenda item auribus, & Sapientis illius vox amplectenda, qui ait, Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam. Adhibẽda multo magis linguæ, in cuius manu vitã & mortem sitam esse Salomon ait, & cum Prophera clamandũ Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circũstantiæ labiis meis. Quid verò cor nostrũ; qua diligentia custodiendum? cùm idem Salomon dicat, Omni custodia serua cor tuum: quoniã ex ipso vita procedit? Est ita sanè, si cor purũ integrumq; seruetur, quòd si non fiat, de eodẽ mortem procedere Saluator ipse testatur, cum ait: De corde procedunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Necesse est igitur vt homo attentissimis oculis supra cordis sui custodiam vigilet, & quum primum turpem aliquem motum intra se excitari senserit, quanta poterit celeritate accurrat, & venenatũ germẽ, priusquam radices agat, diuini timoris gladio abscindat. Quid verò caro nostra, antiquus & quotidianus hostis, quæ vix vnquam spiritum impugnare cessat? An non hæc etiam sobrietate & parsimonia extenuenda est, ne ferociat, & sessorem spiritum excutiat atque deiiciat?

*Eccl.18.*

*Psa.118.*

*Eccles. 28*

*Psa.140*

*Prouer.4.*

*Matt.15*

Quis autem hæc omnia sine assiduæ orationis suffragio (quo diuinæ gratiæ opem imploramus) præstare commodè poterit? Sanctus Bartholomæus primum Christi Domini discipulus, deinde Apostolus, qui cum Dei filio in terra versatus est, qui eum sæpe docentem audiuit, miracula edentem vidit, & Spiritũ sanctũ in die Pentecostes cũ cæteris Apostolis accepit, cẽties in die

& centies in nocte flexis genibus ad Dñm orabat, eiuſq; ſpiritũ & gratiã ſuppliciter poſtulabat: & is tamẽ Spiritu ſancto repletus, & in gratia confirmatus erat & cæleſtis regni promiſſionẽ cum cæteris Apoſtolis à Domino perceperat, cùm ad eos dixit, *Mat.* 11. Gaudete & exultate, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis: qui tamen tot tantiſque diuinæ gratię priuilegiis inſignitus, dies noctesque in orationis ſtudio inſumebat, eiuſdem gratię, quam pleniſſimã acceperat incrementum per ſingula penè momenta petens. Si hoc igitur tantus hic Apoſtolus faciebat, quid de illis ſperandum eſt, qui in medio laqueorum poſiti, & impura carne circumdati, & variarum cupiditatum ſtimulis agitati, in hoc mundo inter ſcorpiones atque ſerpẽtes habitantes, vix oculos in cælũ tollunt, vix vnquã ad tot pericula depellenda opem Domini implorant, O miſerandam hominum cæcitatem! ô deteſtabilem mentium tarditatem atque ſtuporem! Quid enim ex hac tanta cæcitate conſequi neceſſe eſt, niſi vt qui diuinam gratiam non poſtulamus, eius auxilio diſtituti ſimus, atque in omnes diaboli laqueos, & peccatorum præcipitia incidamus.

Si cui autem hęc ipſa difficilia videntur (vt omnia Martyrum & Apoſtolorũ prætermittamus exẽpla) in vnum Bartholomæũ oculos coniiciat, qui poſt tot exantlatos in fidei dilatione labores, ad extremum totius corporis dilaceratione cęleſtẽ hæreditatẽ mercatus eſt. Dignã ſiquidem eam putauit, quam hoc tam caro pretio ſibi cõpararet. Meminerat enim verũ eſſe quod olim *Iob.* 1. mendacij pater dixerat, pellẽ pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima ſua: hoc eſt, nulla res tam chara in hac vita erit, quã nõ libenter homo pro redimenda vita largiatur, etiam ſi pellis ipſa corporis tribuẽda ſit. Quod ſi hęc vita (quæ non tã vita, quã longa dolorũ colluuies, & longi patientia carceris eſt) hoc tã caro pretio emitur, vt pellẽ pro pelle, & cũcta quę habet homo propter illã tuẽdã largiatur: quid mirũ ſi ego (inquiet ille) pro ſempiterna illa vita, quę mortẽ neſcit, quę lacrymas ignorat quę malorum omnium expers, & bonorũ omnium compos eſt, corporis mei pellem tribuã, immortalitatis veſtẽ pro ea illico percepturus? Itaque libenter me carnificibus excoriandum præbeo, & hãc crucifixo Domino meo pellem offero, vt eius mihi pretio ſempiternę vitę hæreditatem donare dignetur. Hoc igitur pretio S. Bartholomęus poſt innumeros alios labores atque certamina, hanc hęreditatem mercatus eſt. Nos tamen, fratres, ea quę hactenus dixim⁹, ſolicito & caſto timore, cuſtodiẽtes, minori vtique compendio, ad eandem hęreditatem, Domino aſpirante, & iter noſtrum bene fortunante, peruenire poterimus.

IN

## In natiuitate B. Virginis concio prima, in qua primum morales quædam ſententiæ ex hac Patrum ſerie colliguntur, quæ ad vitæ noſtræ inſtitutionem pertinent: deinde eiuſdem Virginis beatiſsimæ laudes commemorantur.

THEMA. *Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham.* Matth.1.

SOlent huius ſeculi Principes natalitium diem ſuũ feſtiuis gaudiis celebrare, mortis verò diem luctu atque lachrymis proſequi. At longè alium Thraciæ populis morem fuiſſe hiſtoriæ gẽtium referũt. Hi namque filiorũ natiuitatem lamentantes, mortis diem lætum atque fauſtum eſſe prædicabãt. Prudenter enim videbant, quàm multis ærumnis & calamitatibus, quàm variis caſibus hæc vita obnoxia ſit, quę corpus tã multis morbis, animum verò tam multis curis & angoribus vexat atq; diſcerpit: quorum omniũ finem, mortem eſſe dicebant. A quorum iudicio atque ſententia non admodum inſignis ille philoſophus Anaxagoras diſſidebat, qui tædio atque odio vitæ mortem ſibi conſciſceret per inediam volebat: ac multò minus ille qui dixit: Nemo vitam acciperet, ſi daretur ſcientibus: tantum in ea malorum ac miſeriarum eſſe intelligebat. Hunc autem Thraciæ morem, quamuis alio Spiritu & conſilio, probare videtur Eccleſia, quæ natales Sanctorum dies ſilentio trãſiens, mortis diem ſollennibus officiis, & communi alacritate celebrat: eundémque non mortis, ſed natiuitatis diem appellat. Quam rem D. Auguſtinus in ſermone de B. Cypriano demiratur his verbis: Quid eſt hoc, fratres, quando ſanctus hic natus ſit, ignoramus: & tamen quia hodie paſſus eſt, natalem eius hodie celebramus: ſed quando natus eſt, etiam ſi ſciremus, nequaquam diem illum celebraremus. Illo namque die in peccato natus eſt, iſto autem die peccatum omne finiuit: illo die ex faſtidioſo matris vtero in hanc lucem proceſſit, quæ oculos carnis illecebrat: iſto autem die ex profundiſſimo carcere in illam lucem diſceſſit quæ viſum mentis illuſtrat.

*Seneca.*

*Auguſt. in ſerm. de B. Cypriano.*

Ab hoc autem communi Eccleſiæ more beatiſſima virgo ſingulari ratione excepta eſt, cuius non modò pium defunctionis diem, ſed natiuitatis etiam totius orbis gratulatione & gaudio celebrat: nõ ſolùm quia natiuitas eius Saluatoris aduentũ prænunciabat

nunciabat,sed etiam quia omnis peccati expers ab vtero matris in hác lucem proceſſit. Cum enim domum Dei ſanctitudo deceat,conſequens profecto erat,vt quæ in Dei domũ electa erat antè etiam quã naſceretur,& ab omni peccato libera, & eximia ſanctitate cumulatá eſſet. Qui enim eam ſibi in domum elegit eandem cœleſtis gratiæ ope præuenire voluit. Cui merito pro-
Pſal. 45. pheticum illud aptari poteſt adiuubait eam Deus mane dilucu lo. pro quo alij verterunt, Adiuuabit eam Deus in ipſo ortu matutino. Verè enim illam in hoc matutino ortu adiuuit, qui antequam in lucem ederetur, Spiritu ſancto repleuit. Nec minus illi conuenit quod ibidem dicitur, Deus in medio eius non cõmouebitur, Deus enim aliquãdo ab anima, in qua commoratur, recedit, aliquãdo cõmouetur, aliquando verò neque recedit, neq; commouetur. Recedit quidem cum lethaliter peccamus qua de
Oſeæ 9. re ſic Dominus, Væ, inquit eis, cum receſſero ab eis. Cõmouetur
Pſal. 117 autem cum leuiter in officio delinquimus: quòd de ſe propheta cõfitetur, cum ait: Impulſus euerſus ſum vt caderẽ: & Dominus ſuſcepit me. At ab hac ſanctiſſima Virgine ( quam Deus in ipſo ortu matutino gratiæ ſuæ benedictione præuenit) nec receſſit, nec in ea cõmotus fuit: quia nec lethali, nec veniali aliquo delicto maculata fuit. Cumq; Sanctorum ominum illa vox ſit, Si di-
1. Ioan. 1. xerimus, quòd peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, tũc ſolũ Virgini cõceſſum eſt, vt nulla prorſus peccati labe fuerit aſperſa. Nulla in hoc mundo roſa ſine ſpinis inuenitur, at hoc candidę puritatis liliũ ab omnibus ſpinarum aculeis immune
Simile. fuit. Aiunt, qui de natura ſcripſerũt, neque laurum, neque aquilam fulminis ictu tactas vnquam fuiſſe quod planè huic ſemper virenti lauro, atq; regiæ aquilæ (quæ in ardus poſuerat nidum ſuum) maximè conuenit, quam nullum peccati fulmen vnquam attigit. Meritò igitur natalem Virginis diem lætis hodie canticis & laudibus Eccleſia celebrat: quia vbi nullum agnoſcit peccatum, nullam lugendi, ſed maximam contra lætandi cauſam habet, præſertim cum poſt auroræ ſplendorem, proximum eſſe iam veri iuſtitiæ ſolis ortum intelligat.

Vt igitur fauſtiſſimum hunc diem religioſa deuotione & alacritate celebremus, cœleſtem opem eiuſdem Virginis interuentu, ſuppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Hodierna ſancti Euangelij lectio vix vnam aliquam ſententiam continet, quæ nobis philoſophandi materiam præbeat: verum ſi res geſtas, atque exitus eorum qui in hac Patrum catena numerantur, euoluere voluerimus, immenſam quandam variarum

tum rerum ſiluam deprehendemus quæ multis etiam cõcionibus ſatis amplam materiam tribuat, quod quidẽ commentandi genus in præſenti concione ſequendum duxi. Mirè enim ad vitæ noſtræ inſtitutionem hiſtoriarum cognitio valet. Eſt enim hiſtoria (vt eleganter Cicero dixit) teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, & magiſtra vitæ, quę facit vt adoleſcentes ſenilem prudentiam aſſequantur, vtpote qui non modo ætatis ſuę, ſed ſuperiorum etiam temporum res geſtas norint, quarum cognitione gerendarum rerum ſibi prudentiam comparant. Hinc Demetrius inſignis philoſophus Ptolemęum Ægypti regem ad huiuſmodi lectionẽ adhortabatur, vt ex rebus præclarè geſtis quid ſequendum, ex contrariis verò quid fugiendum eſſet, addiſceret. Hiſtoria enim verè & ſincerè admonet, quod adulatorum greges (quibus ſtipati reges incedunt) delicatis eorum auribus ingerere metuũt. Atque vtinam qui bonam diei, vel noctis partem aut in chartarum ludo aut in mẽdacibus hiſtoriis legendis inſumitis, ſacras hiſtorias, aut Sanctorum vitas euoluere ſtuderetis non dubium quin maximum ex eą re fructum ad vitæ veſtræ inſtitutionem caperetis. Nos igitur in Regum ac patriarcharum hiſtoriis (quorum in hac ſerie nomina referuntur) philoſophari iam incipiamus, deinde ad ſacræ Virginis laudes (de quibus in huius Euangelij calce breuis mentio fit) veniemus.

*Cicero.*

I.

Principio igitur, ſi totam hanc Regum & Principum, qui in hoc Euangelio referuntur, exitus conſideremus, quàm breuis & fragilis ſit huius ſeculi dignitas & gloria (quam mortales omnes adeò ſitienter appetunt) intelligemus. Quàm multi enim hic reges numerantur, quorum imperium atque potentia multis erat terrori atque formidini? quorum purpurę pretioſis gemmis ornabantur? quorum diademata aureis floribus atque lapillis redimita fulgebant? quorum regia palatia pretioſis aulęis aureiſque laquearibus ſplendebant quorum poſtremò voluntates, populorum atque gentium leges erant? Iam verò quis ſplendidas eorum menſas, quis auro & argento fulgentes abacos, quis regię domus atque familiæ apparatum & luxum, quis adulatorum greges, qui eos in cœlum tollebant, & diuinis prope honoribus proſequebantur, oratione conſequi poſſit? Sed quis tamẽ eſt qui ſe ita in ſublime attollat, vt ſupra mortalitatis humanę menſuram erigere poſſit? Tranſierunt hęc omnia velut vmbra volans, & tanquam nuncius præcurrens, & tanquam nauis quæ pertranſit fluctuantem aquam, cuius, cùm præterierit, non eſt veſtigium inuenire. Quocirca meritò D. Proſper inſolentiam

*Sap. 5.*

eorum hominum qui vel diuturnam sibi vitam pollicentur, vel in terrena opulentia gloriantur, castigat his verbis: Respice te, quæso, homo quia mortalis es, & quia terra es, & in terram ibis. Circumspice eos qui ante te sidereis fulsere splendoribus. Vbi sunt quos ambiebant ciuium potentatus; vbi insuperabiles Oratores? vbi qui conuenientius festa disponebant? vbi equorum splendidi nutritores? vbi exercituum duces? vbi Satrapæ & tyranni? Nónne omnia puluis nónne omnia fauillæ? nónne in paucis versibus eorum vitæ memoria est? Respice sepulchra, & vide quis seruus, quis dominus, quis diues? Discerne si potes vinctum à Rege, fortem à debili, pulchrum à deformi. Hactenus Prosper. Hæc cùm ita sint, fratres, apparet sanè prudētissimè ab Homero vitam hominum foliis arborū comparari. Vt enim quotannis folia arborū decidūt, & alia noua rursum consequenti anno generantur, atque his iterum decidentibus, sequenti anno alia pro istis subrogantur: sic vir iste sapientissimus ætates hominum huic foliorum inuicem sibi succedentium vicissitudini similes facit. Modò enim homines qui in hac ætate viuimus, instar foliorum à vita excedemus, nobis autem decidentibus, alios pro nobis futura ętas proferet, atque hoc ordine ætates hominum aliæ aliis instar foliorum sibi mutuò succedunt. Hoc ipsum Salomō significasse videtur, cùm dixit, Generatio præterit, & generatio aduenit: terra autem in æternum stat: hoc est, homines quidem variè commouentur atq; iactātur, terra autem immota manet, veluti theatrum, in quo hęc fabula vitæ peragitur. Terra igitur ipsa immota manet, cætera verò quæ in terra degūt, quotidianis mutationibus obnoxia sunt. Itaque cùm ait, aliam generationem præterire, & ea extincta aliam venire, foliis vtiq; arborum (quæ diximus) vitam nostram comparauit.

*Simile.*

*Eccle. 1.*

Et tamen cum vita quoque regū ac principum, sicut aliorum hominū, adeò breuis, fragilis & caduca sit, dictu mirū est, quanto aliud insipientibus appareat. Quamdiu enim potentes isti superstites in vita manent, bone Deus, qua eos reuerentia populi venerantur! quibus obsequiis demereri student! quibus laudibus prosequuntur! quid non faciunt! quos labores & certamina non suscipiunt, vt in eorum gratiam & amicitiam recipiātur! Denique cùm mortales, fragiliq; corporis natura constent, eos tamen populi immortales quodammodo futuros arbitrantur, vixque post multa secula fœlicitatem & gloriam eam finem habituram sperant. At vbi inopinatus fortè finis aduenit, omnem illam fœlicitatem & gloriam somnī instar ac fabulæ fuisse deprehendunt. Habentes igitur, fratres, hanc tantam nubem testium, qui huius

seculi

ſeculi gloriam,& humanæ ſortis breuitatem nobis ob oculos ponunt,nihil nobis in hac adeò fragili & fugaci vita aut magnum aut diuturnũ polliceamur,ſed cum omnia celeri curſu ad finem properare videamus,quod certo euenturũ ſcimus, iam veniſſe credamus,vt in hoc ſeculo tanquam hoſpites & peregrini, non tanquam ciues vitam agamus.

In hac item Regum ſerie non ſolum humanæ gloriæ breuitatem, ſed fortunæ quoque inconſtantiam animaduertere licet, quæ modò Reges ex ſeruis,modò Reges ipſos ad ſeruilem conditionem deiicit. Sic videmus beatum Ioſeph,qui à regia Dauidis ſtirpe genus trahebat,eo paupertatis & inopiæ deueniſſe, vt ſerra atque ſecuri victum ſibi tenuem compararet. Nec minus mirandum,Virginem ſanctiſſimam,quæ eadem nobilitatis gloria eminebat, humili fabro deſponſatam,inopem in hoc mundo vitam perduxiſſe.Quam eius inopiã illa turturum, aut columbarum oblatio(quæ pauperibus per legem indicta erat)ſatis declarat.Nec enim ſanctiſſima Virgo auaritia cogente, ſed paupertate premente agnum offerre deſtitit. Talẽ in hoc ſeculo vitam vixit,quæ modo nõ in cœlo ſolum,ſed in toto terrarũ orbe ſumma cunctorum mortalium reuerẽtia celebratur: cuius altaria tam multis lampadibus argenteis diu noctuque refulgẽt. Sic enim ille,qui cum diues eſſet,pro nobis egenus factus eſt,Euangelicæ paupertatis virtutem voluit honorari.Hoc autem exemplo noſtrarum virginum vanitas & ſuperbia damnatur,quæ opificum coniugia dedignantur, maluntque otioſos & cultos adoleſcentulos,licet egẽtes ac tenues,quàm diuites opifices in coniuges accipere,cũ quibus poſtea, inopia conſtrictæ,miſerrimam vitam agãt.Hoc item exemplum eos etiam grauiter accuſat,qui eodem vanitatis & ſuperbiæ ſpiritu acti,cum etiam paupertate premantur,eas artes exercere dedignãtur quibus conſulere inopiæ ſuæ poſſent:maluntque fame & inedia cruciari,quàm ad huiuſmodi artium officia ſe demittere.Quo fit,vt inopia cogente, malis artibus ſæpè quærant,quòd bonis conſequi potuiſſent.Sed iam ex hoc loco digreſſi ad alia veniamus. *Luc. 2.*

Ex hac item Regum & Patrum ſerie apertè colligere licet, nobilitatem generis,quam vulgus hominum miratur,ſi virtutibus deſtituta ſit,ſoliſque maiorum imaginibus nitatur, inanem prorſus atque commẽticiam eſſe.Vera quippe nobilitas non magis ſine virtute,quàm homo ſine ratione intelligi poteſt.Nobilitatis enim nomine non tam vulgares virtutes, quàm præſtantiſſimas & nobiliſſimas cõplectimur:qualis, videlicet cõſtantia, magnanimitas,magnificentia,fortitudo animi & rerum gerendarum *2.Cor.8.*

darũ prudentia est. Eos namq; qui his præstãtissimis virtutibus instructi, reipublicæ salutares extiterũt, verè nobiles, atq; generosos appellamus. Cæterùm qui sine propriis virtutibus, propter maiorum suorum res præclarè gestas, nobilitatis sibi laudẽ vindicant, inanissimi sunt, falsoq; sibi quod non merentur arrogãt. Si enim liberi nunquam à parentum moribus degenerarẽt, esset meritò vulgaris hęc nobilitas in pretio habẽda: at, vel ex hac ipsa auorũ & atauorũ Christi serie, longè aliud animaduertere licet. Ex patre enim sanctissimo Isaac nascitur profanus Esau: Ex Iacob autẽ Isaaci filio, patricidæ filij nati sunt, qui innocentissimum fratrem Ioseph in seruum vendiderunt: quos ideo Ioseph apud patrẽ pessimis criminibus accusauit. Ex Dauid autẽ (vt alios præteream) nascitur sceleratissimus Absalon, qui sanctissimum patrem vita & regno spoliare conatus est, eiusq; vxores nefariè violauit. Iam verò sapientissimus Dauidis filius Salomon stultissimum genuit Roboam, qui paterno regno stultitia & amentia sua excidit. Sanctissimus verò Ezechias omnium regum impiissimum genuit Manassem: quem sacræ literæ referunt sanguine Prophetarum Ierusalem replesse vsque ad ostia; atq; ob eius scelera iram Domini in vrbem illam & regnum incubuisse. Nec minus à religiosissimo Iosia Sedechias filius degenerauit: ob cuius impia facinora ciuitas & templum à Chaldæis euersum & exustum est. Quid referam Nabal, quem sacræ literę pessimum & malitiosum appellant, qui tamẽ à Caleb viro sanctissimo genus ducebat? Quid Samuelis Prophetę filios, qui ab eo populi iudices constituti, patrias virtutes negligentes, acceperunt munera, & peruerterunt iudicium? Propter quorum auaritiam & insolentiam populus & regem petiuit: & Domini regnum à se repulit. Verùm inter hæc exempla lõgè mirabilius est, quòd Ionathas filius Gersan, qui patrem habuit Moysem (qui cum Deo facie ad faciem loquebatur) sacerdos idolorum tempore Iudicum fuerit. I nũc igitur & generis nobilitatem iacta, à qua tam multos degenerasse videmus. Hoc autem argumẽto, fratres, facilè intelligere possumus, si quid virtutis, aut honestę indolis in nobis fuerit, nequaquam maiorũ nobilitati, sed vni Deo, bonorum omnium auctori, tribuendum esse, cum videamus tam multos maiorũ suorũ splendori tenebras & obscuritatem offudisse. Imò verò sæpè fit, vt multi nobilitatis occasione insolescant, & infimos quosq; superbè despiciant, & nobilitatis obtẽtu omnia sibi licere putẽt. Mẽs quippe humana ad licẽtiam magis & voluptatẽ quàm ad honestatẽ procliuis, magis à nobilitatis dignitate superbiendi, quàm patrias virtutes imitandi occasionem

*Gene.37.*

*2.Reg.15.*

*3.Par.13.*

*4.Reg.21.*

*Baruch.1.*

*1.Reg.25.*

*Iud.18.*

arripere

arripere solet. Quod Dionisij senioris Syracusanorum tyrãni filius exẽplo suo ostẽdit, qui cùm à patre corriperetur quòd Syracusani cuiusdã ciuis vxori vim intulisset, atq; inter alia diceret, si vnquã audiuisset à se rem similem factam fuisse? filius ita ei respõdit, Hoc accidit quòd nunquam patrem Regem habuisti, At vnus hic Regis filius multos habet intemperãtiæ suę sectatores, qui nobilitatis occasione omnia sibi licere arbitrentur: cùm tamen in maxima potentia, minima esse licentia debeat. *Fulg. lib. 7.*

Cùm igitur in hac Patrum serie tam multos liberos à parentum moribus degenerasse videamus, relinquitur planè, nequaquam hos de parentũ genere (qui adeò degeneres fuerunt) gloriari iure posse, quod Iudæi faciebant, qui cùm sceleratè viuerent, de Abraham patre gloriabantur. Quorum superciliũ Ioannes Baptista, & Saluator ipse in Euangelio compressit. Nõ enim refert (quod ad diuinum iudicium attinet) quo genere ortus sis, sed cuius exemplum sequare, cuius vestigiis insistas, cuius re similitudini conformes. Non multum inte eſt cuius specie corpore referas, sed cuius vitam & actiones imitere. Nã cum patris opus sit similem sibi specie formare, magis est pater appellãdus is, qui claro virtutis exemplo multos incẽdit ad virtutis studiũ, & ita sui specimen in eorũ animis, qui illum sequũtur, ingenerat, quàm qui gignit filios sibi corporis specie similes, moribus autem & vita dissimillimos. Videtis ergo, fratres, inanẽ esse improborum hominum nobilitatem, quam vulgus hominum miratur: quæ quidem non laudanda, sed vituperanda magis est, vtpote quæ maiorum suorum virtutibus obscuritatem afferat.

II.

Est & aliud quod in hac Regũ serie non solùm considerare, sed etiam lamentari debeamus. Ex hoc enim tot Regũ numero, tres solùm Ecclesiasticus religionis & iustitię cultores fuisse memorat his verbis: Præter Dauid, & Ezechiam, & Iosiã, omnes peccatum cõmiserunt: nam reliquerũt legẽ altissimi, & cõtempserunt timorem Dei. Qua ex re non solùm humanæ naturæ morbus, & ad malum pronitas, sed multo magis potentiæ, atq; principatus periculum agnoscimus. Cùm enim (vt ait Seneca) omnia quæ modum excedere noceant, maxima est fœlicitatis intemperantia. Nimia enim prosperitas, excelsus locus, & singularis honor instar vini meri sunt, quæ animos hominũ parũ in virtute firmos inebriare, atque de mente deducere sæpe solent. Quocirca D. Bernardus difficilè putat, esse in honore sine tumore, in prælatione sine elatione, in dignitate sine vanitate, seruamque esse humilitatem honoratam. Verè enim ac propriè *Ecclo. 49.* *Seneca.* *Bernard.*

diuinum est,cùm omnia possis,te in arcto constringere,nihilq; posse, nisi quod iustum est, & cum Apostolo dicere: Omnia licent,sed non omnia expediunt. Iam verò tot adulatorum gregibus,quibus reges stipantur,occlusas aures habere,neque quid homines de te prædicent, sed quid tu intra te videas iudicare, singularis & ratissimæ prudentiæ est. Neque enim omnium est poetarum illud implere, *Ne te quesieris extra.* Sed quid rationibus agimus,cùm in hac ipsa Regum corona apertissima huius periculi exempla videamus? Dauid enim rex,qui inter tot calamitatũ fluctus fidissimus semper Deo extitit,& in terra deserta, inuia & inaquosa perinde atq; in Dei sanctuario esset, sic se illi supplicẽ exhibebat, vbi iam ab omnibus periculis liberatus, ad fastigiũ regni peruenit gloriæ atque imperij sui magnitudine elatus,numerari populum iussit,vt potẽtiæ atq; principatus sui magnitudine perspecta,in ea gloriaretur. In cuius elationis pœnam trium calamitatum optio ei à Domino per Prophetã data est, videlicet pestis, famis, aut turpis ab hostibus suis fugæ. Quid verò hic miserandam Saulis regis tragediam referam? Is enim posteaquam à Deo electus,& in regem vnctus,& Spiritu sancto plenus fuit,adeò regiam dignitatẽ extimuit, vt latebras etiam quæsierit,quo eam effugeret: quem tamẽ regni sublimitas adeò dementauit, vt optimum Regem in crudelissimũ carnificem,atrocissimumque sacerdotum Dei patricidam commutauerit,& ad infœliciſſimum vitæ exitum perduxerit. His igitur exemplis(vt alia, quæ sunt innumera,prętereamus)quantum sit principatus periculum intelligere licet. Quocirca Seneca Principem, in cuius potestate sunt omnia, cuique omne quodlibet licet,opportunè admonet, vt in hoc statu se cautè & prudenter velut in lubrico retineat. Quo argumento apertissimè cunctorum ferè mortalium cęcitas atque dementia colligitur, qui tãta auiditate atq; ardore ad seculi dignitates & sublimia loca aspirant,quę non tam loca quàm præcipitia sunt, in quibus adeundis per multa pericula ad maius certè periculũ peruenitur. Hinc clamat Bernardus: Quem sequimini filij Adam,quem sequimini? Nonne videtis Satanam sicut fulgur de cælo cadentem?

*1.Cor.6.*

*Psal.61.*

*2.Re.24.*

*Seneca.*

*Bernard.*

Illud etiã in hac ipsa Regum serie diligenter considerandum est,quanta pace & otio cum dignitate,quantaque rerum omniũ abundantia Israeliticus populus fruebatur,cùm ij clauum regni & sceptra tenerẽt,qui religionis & iustitiæ cultores erãt. Summus enim ille mundi moderator & virtutũ amator Dominus, hunc Respublicas omnes cursum tenere voluit, vt si earum rectores debitum sibi cultum & honorẽ exhiberent, ipse illos vi-

ciſſim

cissim magnis fauoribus & beneficiis afficeret, florentissimamq; eorum Rempublicã efficeret. Quam rem in Dauidis, Ezechiæ, atque Iosię temporibus cernere licet, in quibus populus fœlicissimam vitam cum omnium rerum opulentia sub eorum imperio egit. Quibus etiam Iosaphat tempora adiungere possumus qui quoniam diuinę legis cultor extitit (quam in omnibus regni sui ciuitatibus sacerdotum atque Leuitarum ministerio legi & explanari præcepit) regẽ ipsum Dominus diuitiis & gloria cumulauit, terrorémque suum in finitima regna immisit, ne contra ipsũ arma capere auderent. Contrà verò cùm reges diuinæ legis oblitι, diis alienis, profanæque religioni seruire cœpissent, omnia illis in diuersum cadebant, nullúsque calamitatum & miseriarum populi finis erat. Hac enim ratione Dominus voluit, vt calamitatum suarum experimento populus cognosceret quod per prophetam dixit, Scito & vide quia malum & amarum est dereliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem mei apud te. Quam rem cùm multis exemplis ex hoc Regum numero confirmare possem, vnius tamen Ioas regis clade comprobabo. Cùm is enim principum suorum obsequiis & adulationibus delinitus, diis alienis cum iisdem seruire cœpisset, excitata est aduersus populum ira Domini. Cúmque euolutus esset annus, ascendit contra eum exercitus Syriæ: venítq; in Iudæam & Hierusalem, & interfecit cunctos principes populi, atque vniuersam prædam miserunt regi in Damascum Et certè cùm permodicus veniisset numerus Syrorum, tradidit Dominus in manibus eorum infinitam multitudinẽ, eò quòd dereliquissent Dominum Deum patrum suorum: In Ioas quoq; ignominiosa exercuere iudicia. Et abeuntes dimiserunt eum in languoribus magnis. Surrexerunt autem contra eum serui sui in vltionem sanguinis Zacharię filij Ioiadę sacerdotis, & occiderunt eum in lectulo suo, & mortuus est: sepelierúntq; eum in ciuitate Dauid, sed nõ in sepulchris regum. Videtis igitur hoc exemplo, fratres, quantum malorũ agmẽ ex prauo capite totius reipublicæ membris impẽdeat? Quocirca cùm generis humani hostis populo nocere vult, principi insidiatur, vt capite reipublicæ cõminuto totum reipublicæ corpus conquassetur. Quam rem verba illa ex primo Paraphil. lib. satis apertè designãt, Cõsurrexit Satan aduersus Israel. Et quid tandẽ fecit? Incitauit, inquit, Dauid, vt numeraret Israel, hoc est, caput impetiuit, vt toti corpori noceret. Quę cùm ita sint, magna & quotidiana cura fratres, illud Apostoli consiliũ implere debemus, quo admonet, orationes & obsecrationes fieri pro Regibus, & Principibus, & his qui

*Hiere. 21.*

*2. Par. 24.*

*1. Par. 21.*

*1. Tim. 2.*

Eccle. 10. his qui in ſublimitate conſtituti ſunt, vt quietã & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate. Sciebat enim vir diuinus verum eſſe quod eſt ab Eccleſiaſtico dictum; Qualis rector ciuitatis, tales & inhabitantes eam. Hoc autem adeò verum eſt, vt nõ modò in diuerſis Regibus, ſed in eodem etiam rege idem contingat. Quo enim tẽpore Rex aliquis iuſtitiam & pietatem coluit, Deum habuit propitium atque fauentem, & largâ manu omnia ſuppeditãtem: cùm verò idem iuſtitiam deſeruit, Deum ſibi fecit infenſum, variaſq; ipſi calamitates immittentem. Quod quidẽ in Salomonis hiſtoria cernere licet; qui quo tempore Dei cultor extitit, reges omnes diuitiis & gloria ſuperauit, vbi autem vxorum ſuarum blanditiis dementatus, à Deo defecit, & ſacrilegas aras ac templa vxorum ſuarum diis erexit, vndique Dominus (qui pleniſſimam illi pacem largitus fuerat) aduerſarios ex finitimis nationibus excitauit, quodque maximè calamitoſum & miſerãdum fuit, opulentiſſimi regni maximã partem ab eo auulſit: ex duodecim enim tribubus, vndecim ab eo poſt eius mortem defecerunt, qui deinde idolorum cultui dediti, ducentis & quadraginta annis elapſis (in quibus eos diuina patientia ad pœnitentiam expectauit) ęterna captiuitate ab Aſſyriorum rege Theglatphaſat mulctati ſunt. Quo in loco quàm multa ſunt, fratres, in quibus philoſophari licet? Primum

Eccle. 25. hinc liquet, ſummam ſapientiam (qualis in Salomone fuit) ſi Dei timore & præſidio deſtituta ſit, minimè ad ſalutem ſufficere. Vnde in Eccleſiaſtico legimus: Quam magnus eſt qui inuenit ſapientiam, & ſcientiã, ſed non eſt ſupra timentem Dominum: timor Domini ſuper omnia ſe ſuperpoſuit.

3. Reg. 3. Verùm illud hoc in loco maximũ piis etiam hominibus ti-
3. Reg. 9. morem incutere poterit, cùm videant ſapiẽtiſſimum Salomonem (qui Dei ſpiritu plenus tam multa atque miranda doctrinę monumenta Eccleſiæ reliquit, qui Cantici Canticorum altiſſima myſteria penetrauit, & ſcripſit, cuique Dominus bis apparẽs ab hoc infando ſcelere cauere iuſſit) tamen tot fidei atq; virtutis retinaculis conſtrictus, ſic à fide defecit, vt nefandis dæmonibus funeſtas aras & templa erexerit. Quis igitur hoc exẽplo nõ totus expalleat, & contremiſcat? quis tãtis diuinæ gratiæ opibus

Rom. 11. adeò circumfluat, vt ſecuritatem ſibi ad finem vſque pollicea-
1. Pet. 1. tur? quis altiſſimam hanc diuinorum iudiciorum abyſſum non
Prou. 28. miretur & ſtupeſcat? quis nõ cùm Apoſtolo clamet, O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? Quocirca rectè nos Petrus Apoſtolus monet, vt cũ timore incolatus noſtri tẽ-

pore vitam agamus Beatus enim homo qui semper est pauidus semper de periculo solicitus, semperque sibi de se ipso timidus. Est & aliud quod in hac Saluatoris genealogia obseruare licet, fidem videlicet diuinarum promissionum (singulariterque Dei erga fideles seruos charitatem. Hanc enim testatissimam nobis esse voluit, cùm se vindicare peccata patrum in filiis in tertiam & quartam generationionẽ comminatur misericordiâ verò his qui ipsum diligũt, in mille vsque generationes pollicetur. Quibus verbis, significare voluit, quantò esset in bonis præmiandis liberalior, quàm in peccatis puniendis seuerior. Quæ res vehementer nos ad tanti benefactoris obsequium & amorem impellere debet. Hoc autem apertè in Dauidis filiis demonstrauit, nunquam enim in eius stirpe Iudęę reges, propter eiusdem patris merita & pietatem, deesse voluit. Qua in re non modò eximiam erga sanctissimum illum Regem charitatem seruauit, sed fidem etiam & veritatem promissionis suæ ostendit. Promiserat enim nunquam ab eius stirpe defuturum qui populi sui sceptra teneret; quam quidem promissionem plenissimè implenit, quãuis multi ex eius posteris ea scelera designasset, propter quæ & ipsi, & posteri eorum regia dignitate priuari potuissent.

III.

Satis iam diu, fratres, in hac Patrum corona versati sumus; reliquũ est, vt ad sacratissimæ Virginis laudes veniamus: cuius dignitatẽ & gloriam paucis Euangelista in huius lectionis fine expressit, cũ ait: De *qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Hac vna breui sententia sanctus Euangelista aditum nobis ad huius beatissimæ Virginis laudes & gloriam prędicandam aperuit. Hac enim materna dignitate, simulq; diuinæ bonitatis natura diligenter inspecta, mãtris gloriam, & ingentes gratiarum eius opes apertissimis argumẽtis colligimus. Si enim ea diuinæ bonitatis natura est, vt seipsam adeò liberaliter rebus omnibus communicet, & his pręcipuè, quę se maxima puritate & innocentia ad illius gratię splendorem excipiendum pręparant: quo quæso, gratiæ splendore Virginis mentem perfudit, quæ ipsis *Similes* astris, atque adeò angelicis mentibus purior extitit? Videmus enim purum speculum, si Soli obiiciatur, vsque adeò eius splendorem participare vt Solis ipsius imaginem quodammodo referre videatur. Quæ res in hanc purissimam Virginem maximè quadrat, quæ Solis iustitiæ splendoribus irradiata, ipsum Solem eximia vitæ sanctitate repræsentabat: vt potè in cuius moribus nihil nisi diuinum atque cęleste apparebat. Quocirca nihil mirum si oratio nostra eius laudibus prędicãdis impar sit,

quandoquidẽ

quandoquidem mentis noſtræ acies eximia ſanctitatis eius ſplendoribus excæcata, ad eius virtutes intelligendas caligat. Solis itaque earum rerum coniecturis quæ nobis notæ ac familiares ſunt, ad earum cognitionem vtcunque aſſurgimus.

*Exo. 34.* Primum igitur, ſi Moyſes, quòd quadraginta dierum ſpatio cum Deo in monte verſatus eſt, tanta fuit claritate illuminatus, vt filij Iſrael niſi velamine ſuper faciem poſito in eam intendere non valerent, quid de hac Virgine ſentiendũ eſt, quæ nouem menſibus clariſſimum iuſtitiæ Solem intra puriſſima & immaculata viſcera ſua continuit? De eodem item Saluatore Euangeliſtæ referunt, quod omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes. Si igitur quotquot Saluatorem noſtrum, aut eius etiam veſtem contingebant, optatum ſalutis beneficium percipiebant, quas in illam gratiarum opes contuliſſe putandus eſt, quæ infantem illum in ſinu geſtabat, virgineis vberibus lactabat, brachiis ſtringebat, & omne illi obſequium deuotiſſimè exhibebat: Quid verò Apoſtoli Petri vmbrã commemorem? Si tantam illi Dominus virtutem contulit, vt ægrotorum corpora, quæ attigiſſet, ſanaret; quam ſibi virtutem reſeruauit, qui tantum ſeruo ſuo donare potuit? Quæ igitur nõ Chriſti vmbram, ſed ſacrum eius corpus in manibus ſemper habebat, quas quæſo, virtutum & gratiarum diuitias ab eo sẽper hauriebat? His aliud non minus fortaſſe mirandum adiiciam. Legimus enim Dominũ opes & greges Laban auxiſſe, domuiq; eius benedixiſſe, quòd Iacob virum ſanctum ac ſimplicem in domo & obſequio ſuo haberet. Quam rem ipſe quoque Laban teſtatus eſt, cum ad illum dixit: Experimento didici quod benedixerit mihi Dominus propter te: idemque Iacob ad ſocerum; Modicum habuiſti antequam venirem ad te, & nunc diues effectus es, benedixitq; tibi Dominus ad introitum meum. Si ergo tanta diuinæ bonitatis liberalitas & magnificentia eſt, tantaque erga fideles ſeruos charitas, vt impios etiam homines, atque idolorum cultores beneficiis proſequatur, quòd intra domos ſuas pios & innocentes viros haberent; quibus illam donis & beneficiis cumulaſſe iudicandus eſt, quæ non Iacob, ſed ſe ipſum Dei filium; non ſeruum, ſed dominum: non ſanctum virum, ſed ſanctorum omnium ſanctificatorem intra domeſticos parietes retinuit, aluit, & omnia ei humanitatis obſequia materna pietate & flagrantiſſima charitate exhibuit? His aliam quoque non leuiorem coniecturam adiiciam, quæ ex hac ipſa materna cum filio conſuetudine colligitur. Si enim odoriferum & pretioſum vnguentum in alabaſtro, aut quouis alio vaſe diutius adſeruetur eundem ipſum odorem vas illud ita refert, vt non vnguenti lo-

*Luc. 9.*

*Actor. 9.*

*Gene. 30.*

*Simile.*

cus,sed vnguentum ipsum ibidem redolere videatur: cum vnicus ille totius suauitatis & sanctitatis auctor tamdiu & in mente,& visceribus sacratissimæ Virginis teconditus & seruatus fuerit,quid ex his consequi poterit,nisi vt quæ tamdiu Deum intra se retinuit,diuinos mores,diuinam puritatem,diuinæque sanctitatis gloriam ita redoleret,vt quisquis illam videret,Deum ipsum quodammodo in illa videret ? Quod quidem magno illi Dionysio,cùm primum illam vidit,dicitur contigisse.Postremò illa etiam coniectura hoc in loco negligenda non est. Constat enim animam nostram,vbi primum corpori,quod ex primo parente originem ducit,copulatur,originalis peccati maculã contrahere,atque omnium huius vitæ miseriarum,ad quas primus ille parens damnatus est,participem fieri. Constat item multo esse præstantiorem Christi carnem ad saluandum atque sanctificandum,quàm Adæ carnem ad nocendum.Si ergo tantum ex se malorum vitiata illa caro contactu suo fundit, quantũ,quęso cælestium donorum atque gratiarum sanctissima & immaculata Christi caro in Virginem effudisse credendum est:quæ illam virgineo vtero nouem mensibus retinuit?

Iam verò quæ vis orationis consequi poterit,quibus hoc tẽpore deliciis sanctissima Virgo ex hac fœliciſſima cum filio cõsuetudine,& qua item admiratione fruebatur,cum tot eius miracula cerneret?Ex eo enim miraculorum nomẽ originem trahere videtur,quòd nouitate sua ingentem admirationem commoueat.Sic Petrum legimus stupefactum in noua illa atque insperata captura piscium:sic eodem Petro claudum ex vtero matris suæ sanante spectatores qui aderant in stuporem atq; ecstasim rapti fuisse perhibentur.Qua igitur admiratione atq; ecstasi sanctissima Virgo rapiebatur,cum tot circa se miracula videret? Nec enim oscitanter,sed maxima cum attentione illa contem- *Lucæ 2.*
plabatur.Quam rem non obscurè Lucas significauit,cum dixit; Maria autem conseruabat omnia verba hæc,conferens in corde suo.Qua ergo admiratione replebatur,cum animo versaret admirandam illam atque ineffabilem Christi de Spiritu sancto conceptionem?Elisabeth vaticiniũ?Ioannis Baptistæ tripudium partum,doloris & corruptionis expertem ? pastorum adorationem?Angelorum voces?Magorum oblationem?Simeonis canticum?Annæ viduæ confessionem ?Cùm igitur hæc omnia mirabilia prudentissima Virgo in corde suo versaret, iustisque ponderibus libraret,qua admiratione,qua ecstasi,qua delectatione,quibus deliciis sacratissimum eius pectus plenum fuisse credendum est? Hæc,omnia certè non modo omnem dicendi

vim,

vim, sed omnem etiam mentis humanæ captum facilè superans.

Quæ igitur tot cælestibus donis cumulata fuit, quæ tantum apud filium valet, quibus donis atque monetibus eos afficiet, qui se totos illius obsequio tradiderint? qui spem suam post Christum in eius misericordia collocauerint? qui psalterium eius (quo tota matris & filij vita continetur) deuotis mentibus frequentauerint? Diximus initio, neque laurum, neque aquilam fulminibus tangi: sub hac igitur aquila regia, & sub hac semper virentis lauri vmbra quiescamus, fratres, vt eius virtute à peccati fulmine liberi & incolumes permanentes ad eiusdem tandem Virginis (quæ ab omni peccati labe immunis fuit) consortium peruenire mereamur; præstante Domino Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto regnat in secula seculorum, Amen.

## In eadem natiuitate beatissimæ virginis Mariæ concio secunda; in qua post breuiter Euangelicæ genealogiæ rationem expositam, verba in themtae proposita beatissimæ virginis accommodantur: deinde ad fidelium mores, eiusdem virginis exemplo, applicantur.

THEMA. *Fecit Salomon thronum ex ebore: & vestiuit eum auro fulgentissimo.* 3. Regum 10.

1. Cor. 10. QVONIAM (vt Apostolus ait) omnia in figura veteri illi populo contingebant, consentaneum est, vt huius throni Salomonis fabrica insignis alicuius mysterij imago esset: alioqui non erat, cur Spiritus sanctus, qui historiæ diuinæ auctor est, adeo diligenter hoc opus describi voluerit: cuius si externam faciem spectes, nihil in eo deprehendes quod ad religionem, sed 3. Reg. 10. magis quod ad pompam & fastum mundi pertinere videatur. Huius ergo throni fabrica (cui nulla in omnibus regnis similis inueniri potuit) nihil conuenientius, quàm beatissimæ Virginis corpus & animam, in qua verus Salomon Christus requieuit, puto significari: quando is & in eius anima sanctissima semper & in virgineo corpore nouem mensibus requieuit. Qui igitur spiritualis hic thronus hodiernâ die fabricari cœptus est, qua gloriosam virginis natiuitatem celebramus, eius mihi hodie fabrica describenda, & ad Virginem accommodanda est: si prius tamen

tamen genealogiæ rationem, quæ in hodierna ſancti Euangelij lectione deſcribitur, breuiter expoſuero. Vt vtrunque autem piè & religioſè præſtare poſſimus, cœleſtem opem, eiuſdem ſacratiſſimæ Virginis inteceſſione, ſuppliciter imploremus,

AVE MARIA.

PRIMA PARS.

Quoniam in hodierna ſancti euangelij lectione de Seruatoris noſtri genere & nobilitate (quæ à Regibus originẽ ducit) ſanctus Euangeliſta diſſerit, non alienũ puto, priuſquã ad alia veniamus, de nobilitate & ignobilitate paucis agere: præſertim cùm vã deã pleroſq; homines vehementer in huius rei æſtimatione, quã ſemper in ore habent, & periculoſè hallucinari, & quid ſit vera, quid falſa nobilitas, quidque ignobilitas, prorſus ignorare.

Sciendum igitur eſt, duplicem eſſe nobilitatem: eſt enim Chriſtiana nobilitas, eſt & ciuilis. Chriſtiana verò nobilitas eſt, à Deo prognatum eſſe, Deum patrem agnoſcere, hauſtoque intra nos Dei ſpiritu, Dei puritatem, ſanctitatem, innocentiam, atque diuinos mores imitari, eiuſque imaginem (quemadmodum filij carnalium parentũ) referre atque repræſentare. Quam quidem nobilitatem S. Euangeliſta expreſſit, cùm de his nobilibus ait: Qui nõ ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Non enim mores carnalium parentum, à quibus carnem & ſanguinem trahunt, ſed cœleſtis Patris, cuius ſpiritum hauſerunt, mores & vitam referunt. Hæc eſt igitur nõ modò Chriſtiana, ſed vera & firma nobilitas. Quid enim maius quàm à Deo genus ducere, Deumque ipſum amplè & latè patrem appellare? Porrò autem ſi regiam nobilitatem iactat, qui à ſtirpe regia prognatus, regiique ſanguinis particeps eſt, qualis ea nobilitas erit, quæ diuinæ naturæ participatione cõſtat? Si tanta in regij ſanguinis communione nobilitas eſt, qualis in diuini Spiritus cõmunione nobilitas erit? Hęc eſt igitur vera & ſumma nobilitas, qua nulla maior excogitari poteſt, quæ genus ſuũ ad ipſum rerum omnium conditorem & ſummum principem refert. Hac autem generis dignitate Sancti omnes nobilitati fuerũt: ſoli quippe verè nobiles ſunt, qui à Deo noua natiuitate geniti, de Deo patre gloriantur. Ioan. 1.

Vt autem quæ ſit ciuilis nobilitas expediam, obſeruandum primo eſt, nobilitatem inter humana bona numerari, eamque in boni alicuius adeptione conſiſtere. Tria autem bonorum genera Philoſophi ſtatuunt, honeſtum, vtile, atq; iucundum. Honeſtum autem omnia virtutum officia complectitur: cui ſoli laus & gloria de

ria,debetur,quódque,iuxta Stoicorum philoſophorũ ſentẽtiã, verè & propriè boni nomen meretur.Cętera enim ipſi nõ vera bona,ſed vitæ cõmoda & oblectamenta nũcupant.Hoc ita conſtituto , ſciendum eſt, quod cum varia ſint hominum ingenia, variæque ipſius naturę dotes & munera , varij quoque ſiderum poſitus(vnde tantam in hominum moribus & ingeniis varietatem,quantam in eorundem corporibus cernimus)quidem adeò infœliciter(vt ita dixerim ) nati ſunt,vt nullam honeſti,nullam veri honoris & laudis ,quę honeſtati debetur,rationem habeãt; ſed omnis eorum cupiditas,omnis cura & cogitatio in ſola corporis vtilitate & voluptate poſita ſit: adeò vt nullum dedecus, nullámque ignominiæ notam ſubire vereantur , modo vel aliquam corporis voluptatem,vel vtilitatẽ adipiſcantur.Apud hos autem ſola penè cura veneris & ventris eſt, quem ſibi ( vt Apoſtolus ait) Deum fecerunt:illíque ſummo ſtudio litandũ curant, dum omnem operam & induſtriam in poculentis & eſculentis ponunt.Aduerſus hos autem Salomon inclamat, Cui væ?cuius patri væ? cui ſuffuſio oculorum?cui ſine cauſa vulnera ? Nónne his qui commorantur in vino,&ſtudent in calicibus epotandis? Idémque rurſus,Qui diligit,inquit , epulas,in egeſtate erit:qui amat vinum : & pinguia,non ditabitur. Eſt autem hoc vitium ignobilisatque ſeruilis ingenij maximè propriũ à quo præclaræ indolis ingenia maximè abhorrere ſolẽt. Quicũque igitur hoc animo atq; ingenio ſunt(niſi diuini ſpiritus communione nobilitentur)verè ignobiles,agreſtes atque ruſtici exiſtimandi ſunt.

Sunt autem alij(vt ita dixerim)fœlicius nati,qui vſque adeò in vitæ laudis & honoris(qui rectè factis debetur)amorem propenſi ſunt,vt propter eum adipiſcendũ & omnia corporis emolumenta atque oblectamenta magno animo contemnant,& vitam quoque in ſummum diſcrimen adducãt,modo laudem,& gloriam , & nominis celebritatem conſequantur . Cùm autem hoc in loco gloriam & honorem nomino,non fallacẽ,& fucatum, ſed verum intelligo. Vt enim in aliis rebus quædam ſunt verę atque ſinceræ,quædam verò ſimulatæ atque fallaces, quæ verarum imaginem mentiuntur(eſt enim purum & ſincerum aurum,eſt falſum & adulterinum ) ſic etiam eſt falſus & verus honor,falſa&vera gloria.Vera eſt,quæ rebus digniſſimis(qualis virtus,ſapientia,ſcientia,prudentia,fortitudo,magnanimitas & magnificentia eſt)exhibetur. Falſus autem honor eſt,qui propter ſolas opes & facultates,&amplos reditus,amplãque familiam tribuitur.Hæ námque res(quæ improbiſſimis etiam hominibus,Tyranníſque contingunt)nihil habent cur laudari aut in

*Simile.*

pretio

preti o haberi debeant. Honor igitur propter hæc fortunę ludibria hominibus impensus, non verus honor, sed fucatus & inanis est. Hos igitur, quibus hanc ciuilem nobilitatem tribuimus nequaquā inanis & fallacis huius, sed veri honoris amantes esse dicimus. quam vt adipiscantur, non æstus, non frigora, non inediam, non rerum omnium penuriam, non denique aut vulnera aut mortem etiam reformidant, immò verò (vt ille ait) vitam volunt pro laude paciſci: tantus laudis & gloriæ ardor eorum mentibus incidet. Illud autem persuasum sibi habent quod est ab ingenioso Poëta dictum.

*Venter, pluma, Venus, lauden: fugienda sequenti.*

Plumæ autem nomine, strati mollitiem, inertiam, somnū, & omnia delitiarum genera complexus est. Quamuis autē superiores illi labores ingentes corporis aliquādo perferant: hos tamē seruili animo, lucri videlicet gratia, tolerant: At isti omni lucri specie abiecta atque contempta labores omnes, laudis & glorię & communis salutis gratia generoso & magno animo tolerant.

Hæc autem omnia, quæ nos, paulo fusius persecuti sumus, breui oratione Cicero complexus est, sic enim ait: Hominum duo sunt genera alterum indoctum & agreste, quod antefert semper vtilitatem honestati: alterum expolitum, quod rebus omnibus dignitatem anteponit. Itaque huic generi laus, honor, gloria, fides, iustitia, omnisq; virtus: illi autem alteri, quæstus, emolumentum, fructúsque proponitur, atque etiam voluptas: quæ est maximè inimica virtuti quam immanissimus quisque acerrimè sequitur, neque solùm honestis rebus, sed etiam necessariis anteponit. Hactenus Cicero. Hac autem nobilitate, hoc animo fuisse multos Romanorum & Græcorum Imperatorum constat: quales Curij, Decij, Scipiones, Põpeij, Agesilai, Phocio-nes & Aristides extiterunt, quos scimus & continenter vixisse, & patrimonia sua minimè locupletasse. Hos autem qui hoc animo fuerūt, quíq; hac ingenij præstantia Respublicas suas tutati sunt, & ad summū glorię fastigium perduxerunt cum tantum inter cæteros homines eminerent, tantūq; à communibus hominum moribus abhorrerent, adeóq; salutares ciuibus suis existerent, non metos homines, sed heroes atq; Deorum filios esse prædicabant. Neq; enim tantum in humana natura (quā vtilitatis & voluptatis supra modum auidam, & laboris inimicam experiebātur) ponebant, vt eam solam, sine diuina quadā indole & virtute, ad tantas res efficiendas idoneam esse crederent. Vnde præclara illa Ciceronis sententia manauit, Neminem vnquam magnum sine afflatu diuini numinis fuisse. Itaq; quam nos præ- *Cicero in Par. Oratior.* *Cicero.*

ſtantiam diuino Spiritui in præclaris hominibus tribuimus, illi qui aliud quidē videbant, qui cœleſtis tamen Spiritus vim ignorabant, carnali Deorum generationi tribuebant. Sic Herculem ſic Romulum, ſic Alexandrum Iouis filios dixerunt.

Hæc autem humanorū ingeniorum diſſimilitudo ex ea cauſa proficiſci videtur (vt alias prætermittam) quod qui verè amāt præter vnum amare vix poſſint. Quod in iis præcipuè rebus locū habet, quę ſibi inuicem aduerſantur. Inde autem fit, vt qui veriſſimæ laudis & gloriæ (quæ vni virtuti debetur) amore flagrat, nequaquam aut turpe lucrum, & turpiores lucro voluptates amare velit, quę cum veræ laudis & gloriæ dignitate pugnant. Contrà verò qui ventri, qui gulæ, qui voluptatibus & pecuniæ (quæ his vitiis fomenta miniſtrant) deditus eſt, laudem & honorem contemnit, quem vehementer his cupiditatibus aduerſari videt. Humanus quippe animus ſic à natura inſtitutus eſt, vt minimè in contraria feratur. Liquet igitur ex his quæ breuiter attigimus, quibus in rebus nobilitas & ignobilitas poſita ſit. Nemo tamē ex his quę diximus immoderatam honoris & gloriæ, cupiditatem à nobis probari putet, præſertim cum honor non in virtutis cultū, ſed in diuitiis quæritur. Præterquā enim quòd nihil immoderatum vitio, propter immoderantiam, caret, honor tamen qui huiuſmodi rebus paratur, quæ nullam in ſe veram dignitatem, neque pretium habent, non verus honor (vt paulo antè diximus) ſed falſus & mendax eſt.

I.

Hæc igitur de vera nobilitate & ignobilitate præfati ad Euāgelicam lectionem veniamus: in qua, prætermiſſis aliis quæſtionibus (quæ ad vitæ noſtræ inſtitutionem minus pertinere videntur) illud præcipuè inquirendum eſſe videtur, cur tanta cura ſancti Euangeliſtæ Chriſti Domini genus, & auorum eius ſeriem deſcribere voluerint. Nūquid vt generis eius nobilitatem iactarent, quę à nobiliſſimo Dauide rege originem ducebat? Minimè gentium. Is enim qui ad Samaritani conuicium nihil reſpondit *Ioan. 8.* cùm ad alia reſponderit, ſatis hoc argumento declarauit, ſe carnalem hanc generis nobilitatem prorſus negligere. Apud illum enim iuſtiſſimum rerum æſtimatorem non externa, ſanguinis nobilitas, ſed æterna animi virtus in pretio habetur. Idcirco eos qui de Abraham patre gloriabantur (quorum tamen opera ab *Ibidem.* illo degenerauerant) non Abrahæ, ſed diaboli filios eſſe dixit, cuius opera & deſideria perficere nitebātur. Eoſdem etiam non Iſraelitas, ſed Chananæos & Amorrheos per Prophetam vocat *Ezech. 16* cum ait: Radix tua & generatio tua de terra Chanaā, pater tuus Amorrhæus

Amorrhæus,& mater tua Chethęa. Itaque populum ab Israelis stirpe prognatum,nõ illius filium esse dixit,sed illorũ quorum vitia sectabatur. Corpus enim ab Israele,animam verò vitiis inquinatam(quæ præcipua hominis pars est)ab illis ducere videbatur. Vidit enim summa illa sapientia, non alienis virtutibus, sed nostris veram nobilitatem definiri: nec quenquam alienis meritis,sed suis laudem promereri. Quam rem Ethnici quoque sapientes intellexerunt:quorum est illa sententia;

*Nam genus & proauos,& quæ non fecimus ipsi,*
*Vix ea nostra puto.*

Cùm igitur (vt ad institutũ redeamus) carnalis hæc nobilitas nullius apud sapientissimum illum rerum æstimatorẽ pretij sit,alia causa quærenda est, cur tanto studio tum in veteri, tum in nouo testamento familias omnes, & earum genus describi voluerit. Atque vt aliascausas omittamus,hæc præcipua esse videtur,quod hac ratione veritatis atq; promissionis diuinæ veritas cõstare poterat,Promiserat quippe Deus tũ Abrahęm tum Dauidi,ex eorum sobole mũdi Saluatorẽ esse nasciturum, ideoq;necesse erat,vt vtriusq;generis ratio diligentissima haberetur:vt Deũ in promissis fidelẽ atq;veracẽ agnosceremus: Vix autẽ explicari potest, quàm multis modis hãc ipsã Dei fidem &veritatẽ Spiritus sanctus in sacris literis patefacere curauerit. Nam & Deum ipsum in Psalmo Deum veritatis appellat: ait enim,Redemisti me Dñe,Deus veritatis. Et alibi,Misericordia, *Psal.39.*
inquit, ędificabitur in cęlis,prępărabitur veritas tua in eis: hoc *Psal. 88.*
est,tam firma & stabilis promissionum tuarũ veritas erit,quàm sunt ipsi cæli,in quibus ea descripta est,ne intercidere vnquam possis. Passim autẽ in sacra historia animaduertere etiã licet,vbi aliquid impletum est,quod Dñs antè vel cõminatus fuerat,vel promiserat,hæc statim verba adnecti,Iuxta verbũ Dñi, quod *Exod. 8.*
locutus fuerat in manu huius vel illius Prophetæ. Cur autem *Ierem.26.*
huius diuinæ veritatis &fidei constantiam adeò conspicuã nobis Deus esse voluerit,non solùm ipsius gloria,sed ingens etiã vtilitas nostra in causa est. Quid enim magis ad fidẽ nostram confirmandam,& spem erigendam quàm diuinæ veritatis firmitudo iuuat? Hinc regius Psaltes,Scuto,inquit,circundabit te *Psal.90.*
veritas eius,non timebis à timore nocturno. Veritas enim qua Deus piis hominibus tutelam &patrocinium suum atque paternã curã inliteris sanctis passim promittit, velut impenetrabile scutum est,quod nullæ dęmonũ sagitæ nullę aduersãtis mũdi machinæ perrumpere queant. Cælũ enim potius ruere, terra incẽdio deflagare,quàm diuinarũ promissionum veritas vllo

*Psa.50.* modo concidere poterit. Ad hoc autem velut asylum regius Propheta post fœdum illum lapsum confugiebat, cùm diceret, Miserere mei Deus secundum magnam misericordiã tuam, &c. vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris. Quod perinde est ac si diceret, Promisisti opem & misericordiam tuam atque erratorum veniam his qui supplici atque demisso animo, opem tuam implorarent: hanc ergo mihi nunc impendi peto, vt te homines iustum atque veracem in promissionibus tuis hoc exemplo agnoscant. Ad idem quoque præsidium Moyses in illa magna ira Domini aduersus perfidum populum (quẽ delere ob conflatum vitulum volebat) cõfugit, cùm illum veritatis & pro-
*Num.14.* missionis suæ admonuit, qua terram Chananæorũ patribus eorum pollicitus fuerat. Ad eandem nos item confugere debemus, cùm misericordiam Domini, propter Christi filij eius merita, postulamus, veridicam illam eiusdem promissionem allegantes,
*Ioa.15.* Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. cùm igitur tam magnum vitæ nostræ præsidium in veritatis diuinæ firmitate positum sit, nihil mirum, si tum in præsenti Euangelio, tum in omnibus scripturis sanctis tanta cura Dominus veritatis suæ constantiam testatam mundo esse voluerit. Non solùm enim suæ gloriæ, sed nostræ etiam saluti hac in re paterna charitate & cura prospiciebat.

Hac item generis sui descriptione, immensa diuinæ bonitatis & charitatis amplitudo atque dignatio commendatur, quæ eò vsq; nostri gratia maiestatis suæ celsitudinẽ deiecit, vt carnem ex his hominibus sumere vellet; quorũ multi impuri, perfidi atq; sacrilegi extiterũt. Vnde & ex mulieribus solæ memorãtur quæ vel peccatrices fuerunt, vel ab Ethnicis parentibus genus ducebant: quales Ruth Moabitis, & Thamar, & Bersabee Vriæ vxor extitere. Quanta ergo illa dignatio, quanta pietas, quæ tales pa-
*Simile.* rentes habere salutis nostræ gratia non erubuit? Vt enim medicorum est, ægrotorum excrementa, & alia quæ memoratu indigna sunt, non horrere, quò ęgrotorũ saluti prospiciãt: ita cœlestis ille medicus, qui peccata mũdi curatur aduenerat, neq; peccatorũ genus, neq; peccatorũ cõtubernia & mẽsam dedignari debuit:
*Mat.9.* sicut ipse ait, Nõ est opus valẽtib⁹ medico, sed malè habentibus.

Hac item ratione non modò pietatis dignationem, sed etiam promissionis & gratiæ suæ magnitudinem declarauit. Hęc enim generis humilitas, hæc auorum series apertè docet, quousq; immensa illa celsitudo nostri causa descenderit, vt qui in cœlo patrem habet omnipotentem Deum, patres etiam haberet in terra, non solùm homines, sed nonnullos etiam impios & sceleratos homi-

homines, ex quorum ſtirpe genus duceret. Quis ergo iam dubitare poterit, certa eſſe quæ per Deum hominem promittuntur, cum ipſum Deum factum hominem videat? Quis dubitare poterit, homines diuinæ naturæ participes fieri poſſe, qui Deum videat humanæ naturæ participem effectum eſſe? Longè enim maius eſt, aſſumptione veræ carnis Deum hominem fieri, quàm homines diuini ſpiritus participatione in diuinam ſimilitudinem transformari. Maius eſt, Deum ad terram deſcēdere, quàm homines eius gratię ope ſublatos in cœlum conſcendere. Maius eſt, Deum ad humilia noſtra demitti, quàm hominem ad Dei ſublimia eleuari. Denique maius eſt, ſempiternū Patris verbum, hoc eſt, puriſſimū ſpiritum carne veſtiri, quàm carnalem hominē Spiritus ſancti virtute in ſpirituale creaturā, & nouum hominem renouari. Hæc igitur tanta Dei noſtri humilitas, promiſſæ dignitatis, quæ per Euangelium nobis exhibetur, fidem facit. Nec modò fidem facit, ſed etiam beneficij magnitudinem amplificat. Nec enim immēſæ illius ſapientiæ erat, vſque adeò maieſtatis ſuę celſitudinem deiicere, niſi nos in immenſum dono ſuo vellet attollere, neque tantum (vt ita dixerim) expenſarum inſumere, vt exiguis nos beneficiis afficeret, cùm finis, & ea quæ ad finem inſtituta ſunt, cohærere inter ſe & conſonare debeant. Maximum ergo Dominus in mentibus noſtris opus erigere decreuit, qui tam alta operis huius fundamenta iecit. Hoc autē totum ſancti huius Euangelij principium nobis innuit, *Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid*, hoc eſt, liber in quo nouū filij Dei genus deſcribitur, per quod, qui informa Dei erat, nouam generis, & hominis formā, propter hominum ſalutem conſtituendam, aſſumere dignatus eſt! Hæc de Euangelica lectione præfati, ad ſacratiſſimæ Virginis laudes prædicandas propius accedamus.

## SECVNDA PARS.

### II.

Si hominibus ea fœlicitas cōtingiſſet, vt ſpirituales opes, & immenſa diuinę largitatis beneficia iuſtis ponderibus librarent, fœliciſſimum planè nos hodie nuntiū aſportare crederēt, cum beatiſſimę Virginis natiuitatem, quę hodierna die celebratur, illis denunciamus. Cum enim redemptionis humanæ beneficium, ſplendoris ſui magnitudine cæteris diuinis beneficiis obſcuritatem afferat, menteſque piorum mira dulcedine reficiat, non poterit non fœliciſſimum nuntium exiſtimari, quod tanti beneficij exordium continet. Natiuitas enim Virginis, natiuitatis & incarnationis Dominicæ principium extitit. Certè Patribus illis qui tamdiu redemptoris ſui aduentum in limbo expectabant,

nihil potui fœlicius nuntiari, quàm quòd esset iam in mũdo nata
*Simile.* ea virgo quæ redemptorem & liberatorem suum erat paritura. Ægroti, qui vehementissimo tota nocte febris ardore vexantur, solent anxiè Solis ortum desiderare, quòd vel splendore lucis, vel medici aduentu, vel familiarium amicorum colloquio partẽ aliquam molestiæ suæ leuari posse credunt. Itaque cùm vel tenuissimum surgentis auroræ radium præsenserint, respirare & lætari incipiunt, quòd proximum esse iam Solis ortum intelligant Hoc ergo exemplo, fratres, coniicere vtcunque licebit, quo gaudio sanctæ illæ Patrũm animæ persultarunt (quorum spes omnis ab aduentu Christi pendebat) cùm post longissimam tot annorum noctem, crepusculum hoc, id est venturę lucis signum in beatæ Virginis natiuitate conspicerent. Exorta enim aurora, hoc est, Christi matre, vicinum Solis iustitiæ aduentum esse in-
*Rom. 8.* telligebant, cuius ope à tenebris in lucẽ, & à vinculis illis & cęco carcere, in libertatem & gloriam filiorum Dei vindicandi erant.

Hodie enim fortis illa mulier nata est, quæ caput serpentis antiqui per filium suum erat contritura: hodie paradisus voluptatis consitus est, in quo nouus Adam erat collocandus, quem nec serpens deciperet, nec arboris interdictę fructus alliceret: ho
*Ioan. 12.* die deiecta terra est, in qua pretiosum illud frumenti granum erat nasciturum, quòd vbi mortuum fuisset, ingentem mundo fructum erat allaturum: hodie magnificum illud templum extructum est, in quo vera Dei arca, hoc est, sacra Christi humanitas collocanda erat: hodie thronus aureus fabricatus est, in quo sedem sibi rex ille pacificus eligeret, qui venerat vt faceret iudicium & iustitiam in terra. Cuius quidem imaginem thronus ille gerebat, quem adeò mirabili artificio Rex Salomon fabrica-
*3. Reg. 10.* tus est; de quo sic in libris Regum scribitur: Fecit Salomõ thronum ex ebore grandem: & vestiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat sex gradus: & summitas throni rotunda erat in parte posteriori, & duæ manus hinc & inde tenẽtes sedile: & duo leones stabant iuxa manus singulas, & duodecim leunculi stabant super sex gradus hinc & inde. Non est factum tale opus in vniuersis regnis. Vt igitur throni huius mysterium excutiamus, satis constat, Salomonem regem typum Domini Saluatoris gessisse. Illa namque rerum omnium opulentia, quæ sub eius impe
*3. Re. 10.* rio prædicatur (in quo tanta erat abundantia argenti, quanta & lapidum, & cedrorum, quasi siluestrium lignorũ) cœlestium
*Ephes 2.* diuitiarum & gratiarum abundantiam, & imperuestigabiles di-
*Isai. 64.* uitias, quas Christus Dominus attulit in mũdum, designat. De eisdem verò regius Propheta cum Christo loquens ait: Visitasti

terram &

terrā & inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam. Thronus verò, quē hic Salomon noster fabricauit, Ecclesia est. Quicquid autem Ecclesiæ conuenit, singulari ratione sacratissimæ Virgini conuenit, quæ nobilissima Ecclesiæ pars est. Ea est igitur veri Salomonis thronus: in cuius anima & corpore idem placidissimè requieuit. Erat autem hic thronus ex ebore: quod appositissimè Virginitatis puritatem significat. Ebur enim & candidum, & vehementer frigidum esse dicitur: quod vtrunque virgineo pudori maximè conuenit. Nam & candore suo virginitatis puritatem & frigiditate immunitatem ab omni impuro carnis ardore designat. Hic autem virginalis candor, hæc tanta puritas, cui magis quam huic virginum Virgini conueniat; quæ singulari priuilegio gaudium matris habens cum virginitatis honore, nec primam similem visa est, nec habere sequentem?

Erat præterea thronus hic vestitus auro, & quidem auro fuluo nimis. Non arbitror ignorare vos, fratres, auro (quod metallorum omnium nobilissimum est) charitatem, quæ virtutū omnium præstantissima est, significari. Hoc enim est aurum illud quod solus donare Deus potest, & à quo solo emi debere ipse in Apocalypsi docet. Verùm cùm in auro quidam nobilitatis gradus existant, propter quos aurum auro (vt ita dixerim) defecatius & splendidius est, hoc aurum, quo eburneus ille thronus vestiebatur, fuluum nimis, hoc est, splendidissmum & purissimum erat. Quid autem magis singularem beatissimæ Virginis charitatem, quàm huiusmodi aurum adumbrare potuit? Alij namque sancti Deum quidem vt Deum & conditorem atque parentem suum, nemo autem vt filium dilexit: at huic sanctissimæ Virgini singulari priuilegio concessum est, vt Deum ipsum non modò vt Deum atque parentem, sed etiam vt verum filium, Spiritus sancti virtute conceptum, & in lucem editum, incomparabili amore diligeret. Quæ quidem dilectio, mira quotidie, imò per singulas horas incrementa maiora capiebat. Verè enim ac piè credendum est, nunquam Virginem oculos in filium conieciisse, quin ardentissimis amoris facibus sacratissimum eius pectus incenderetur. *Apoc. 4.*

Constat præterea, parentum erga filios amorem variè in diuersis ætatum gradibus affici solere. Aliter enim erga adultos filios, aliter erga infantes, aliter erga pubescentes afficiuntur. Adultos enim fortius, paruulos autem blandius atque tenerius amare solent. Hoc idem in beatissimæ Virginis dilectione erga filium Christiana pietas cogitare debet: cuius dilectio variis misquemodis in diuersis filij ætatibus augebatur. Neque enim

quæ humanæ naturæ propria sunt, à sanctissima Virgine remouere debemus, ne dum naturam deprimimus, naturæ conditorem accusare videamur. Quo igitur affectu infantem puerum diligebat, cùm illum in sinu suo lactabat, & virginei lactis guttas ori eius instillabat, quem tamen sciebat in sinu recumbentem, Solis, Lunæ, siderum, atque cælestium orbiũ conuersiones moderari? Quo item affectu erga eundem duodecim annos natum in illo pubescentis ætatis flore rapiebatur, quo tẽpore amissum illum inter Doctores in templo reperit? Quæ igitur dicendi vis huius dilectionis magnitudinem in his ætatũ incremẽtis, quoties amantissimos in amantissimũ filium oculos cõiiciebat, explicare queat? De beata Catharina Senensi legimus, quòd accepta sacra Eucharistia, tanta diuinę suauitatis dulcedine repleretur, vt duarum vel trium horatũ spatio sic in spiritu absorberetur, vt omnem prorsus sentiendi vim amitteret, adeò, vt expũcta & grauiter sauciata, nihil omnino sentiret. Si ergo sancta hæc virgo sic afficiebatur, cùm Christum Dominũ, sub panis specie velatum, fidei oculis aspiceret, quid Dei matrem, tanto maiori sanctitate & charitate prædità, sensisse credẽdum est quæ eundem Christum non aliena specie tectum, sed in ipso suo decore nec fidei solùm, sed corporis etiam oculis cernebat? Iraq; altius hunc Virginis affectũ mihi consideranti, duo insignia miracula (vt alia prætermittam) in eius vita sese offerunt: alterùm, quòd tot tantisque diuini Spiritus splendoribus irradiata Virgo: totq; charitatis iaculis vulnerata, vitam retinere potuerit. Constat enim multos vel ingenti aliqua lętitia, vel contrà magna aliqua & insolita tristitia affectos, vitam subitò amisisse. Quæ autem lætitia cum Virginis lætitia in filij puerperio & educatione, quę verò tristitia cum eius tristitia in eiusdem passione comparari queat? Nónne igitur miraculi instar est, virgineum illud pectus inter tot talesque interni hominis motus, disruptum minimè fuisse? Alterum miraculum fuit, quòd cùm purissimi eius oculi, velut piscinæ Esebon, lacrymis perpetuò diffluerent, videndi tamen facultatem non amiserint. Fluxu enim assiduo lacrymarum oculis caliginem offundi innuit D. Hieronymus, qui sanctissimam Paulam (vt is in eius vita memorat) obnixè rogabat, vt oculorum lacrymis parceret, ne à sacrarum literatũ lectione impediretur. Quomodo autem Virgo sanctissima se à lacrymis continere potuisset, quoties paruulum ante se filium, & Deum magnum contemplabatur? Lacrymæ enim vt erumpunt dolore, sic lætitia manãt. Hinc D. Augustinus de seipso narrat, quòd initio conuersionis suæ fieret vbertimè in hymnis & canticis, suaue sonan-

Luc. 2.

Hieron.

August.

ue ſonantis Eccleſiæ vocibus vehementer affectus. Si igitur Ecclesiæ voces, quæ Chriſti myſteria vbique reſonant, tantoperè viri ſancti animam afficiebant; quid ipſa Chriſti Domini præſentia, quid ſacra humanitas in corde matris ageret? quas lacrymas eliceret? quos ardores excitaret? qua lætitia perfunderet? qua admiratione & ſtupore tantæ maieſtatis afficeret? Si enim deuotio, lacrymarum mater eſt, ſi ſancti viri, cùm diuina meditantur à piis lacrymis ſe continere nequeunt, quid de illa ſanctarum ſanctiſſima Virgine credẽdum eſt, quæ ſemper diuina meditabatur quæ Dei ſpiritu plena erat, quæ in Dei abyſſo mergebatur, quæ tota, ſine vllo carnis impedimento, in diuinitatis formam quodammodo tranſierat, & in qua nullũ ius aut caro, aut mundus, aut terrenum aliquid habebat?

Sed ad inſtitutũ redeuntes, hanc virgineę charitatis magnitudinem nobis aurum illud nimis ſuluum declarat. Sex verò illi gradus quibus ad ſummum throni peruenitur, virtutum omnium plenitudinem deſignant: quibus fidelis anima ad hanc eleuatur dignitatem, quã beatę illæ mentes in cælo habent, quas thronos appellamus: in quibus ſingulari ratione reſidere Deus dicitur: qui in ſupremæ hierarchię ordine collocantur. Hæc autem virtutum omnium plenitudo vbi copioſius quàm in ſacra Virgine reperitur? Conſtat enim nullam quidem virtutem aut gratiam fuiſſe alicui Sanctorum conceſſam, quæ non eadem longè cumulatius atque perfectiùs Virgini cõceſſa fuerit. Ideoque illi potiſſimùm conuenit, quod de huiuſmodi fabrica in deſcriptionis eius fine dicitur, nempe quòd nullum tale opus in regnis omnibus fuerit fabricatũ. Neque enim aut in cęlo, aut in terra, aut inter homines, aut inter Angelos tãtam ſanctitatis excellentiam agnouimus, quantam in Dei para Virgine fuiſſe certum eſt. Sicut enim nulla poſt Deũ dignitas Dei genitrice maior; ita nulla ſanctitatis prærogatiua ſublimior. Sicut enim ſacræ humanitati Dñi Saluatoris tantam gratiarum & virtutũ opulentiã tribuimus, quantam maximã mẽtes noſtræ cõcipere poſſunt, vt quando Deũ humanitate noſtra veſtimus, digna ſit tanta maieſtate veſtis; ita cùm Dei filium habere matrem in terra confitemur: digna ſit tali filio mater. Cùm enim Sapiens dicat, Dedecus filij patet ſine honore, certũ eſt, dedecus vel decus matris ad filium maximè pertinere. Quę cum ita ſint, neceſſariò fatendum eſt, ſacram Virginem cunctorum hominum & Angelorum ſanctitatem tantum ſuperare, quantum mater ad eius dignitas omnes alias dignitates antecellit. Quid autem poſt Deum Dei matre ſublimius? Huic autem dignitati, ſãcti-

3. Reg. 10

Eccle. 3.

tatis atque omnium eius gratiarum splendorem parem fuisse necesse est.

Sed cùm hæc & multa alia de sacræ huius Virginis laudibus prædicari possint, quid inter ista mihi maximè mirabile videa-
*Lucæ 2.* tur, exponã. Si hæc sanctissima Virgo instar Annæ viduæ vsque ad octingẽta annos nunquam discederet de templo, ieiuniis & orationibus seruiẽs die ac nocte, vel si intra monasterij claustra
*Psa. 51.* vitam ageret, & tanquã oliua fructifera in domo Domini constituta, curisque seculi mortua, diuinis rebus semper intenta esset, non ita demirarer, potuisse eam ad tantæ perfectionis culmen deuenire: sed cùm sciam ipsam humili fabro desponsatam intra domesticos parietes pio conjugi deseruire, curam rerum domesticarum per se gerere (nec enim pauperis fabri spõsa, qui manibus victum quæritabat, ancillarum aut seruorum gregem habuisse credẽda est) hoc mihi maximè mirabile videtur, quòd his officiis & familiaribus negotiis intenta, ad tantam potuerit virtutum celsitudinem peruenire, quæ animum maximè libe-
*Seneca.* rum & vacãtem, nullisque curis aut negotiis impeditum requirit. Quod quidem adeò verum est, vt Seneca dixerit, neminem vnquam ad bonam mentem perueniisse occupatum Nec minus mirum est, non potuisse vnquam tot externa opera atq; officia animum illius ab intuitu diuinitatis, hoc est, à diuinarũ rerum contemplatione vel ad momentum abducere: adeò mens eius diuinitate quodammodo perfusa ac Deo plena, in Deum ita
*Simil.* trãsierat, vt sine Deo viuere, aut aspirare non posset. Itaque sicut tutelares Angeli, quorum fideicommissi sumus, sic rebus nostris intendunt, vt nunquam à diuinæ pulchritudinis contemplatione deducãtur: sic beatissima Virgo inter homines versans, & humana negotia gerens, nunquam illis ita implicabatur, vt à Dei conspectu mentis oculos auerteret. Si quis autem à me quærat, vnde in anima, carceri corporis inclusa, & pondere mortalitatis pressa, hæc Angelicæ puritatis imitatio, & cęlestis vitæ conuersatio orta fuerit, planè respõdebo, id ardẽtissimè charitatis eius singulare munus fuisse. Cõstat enim verum esse quod frequenter audistis, animam quidẽ magis ibi esse vbi amat, quàm vbi vitam inspiret. Ea enim ingentis amoris vis & natura est, vt ad dilecti præsentiam ardentissimæ desiderio semper aspiret, in qua summo gaudio, maximisque deliciis fruitur: quibus, velut spirituali quodam glutino, dilecto suo indissolubili societate coniungitur. Quid ergo mirum, si hæc Virgo sanctissima, quę supra sanctos omnes diuini amoris facibus inflammata erat, in cęlo semper corde & cogitatione esset, quę totum amoris sui

thesau-

thesaurum ibidem fixum immotumque habebat? Vt enim lus *imile.*
cernę flamma,quamuis grauis& ponderosi corporis mole prematur,ipsa tamen naturali vi ac propensione sua ad supera loca nititur,eoque flammas suas continenter attollit:sic sanctissima Virginis anima,quamuis graui& mortali corpore,quod ad ima deuergit,inclusa esset,igne tamē diuinæ dilectionis incessabili ardore ad supera tendebat. Quia verò hic cœlestis ignis nō ad tempus illi datus,sed perpetuus vitę eius comes extitit,ideò nihil mirum,si cogitatione esset in cœlo, quæ cœlestem semper ignem gestabat in corde.

TERTIA PARS. III.

Hactenus de sanctissimæ Virginis laudibus dictum sit, per quas illa veri Salomonis thron⁹ effecta est.Sed quid nobis hæc Virginis dignitas conferet,si nos eam imitari negligamus?quid inquam, nobis conferet,illam Dei thronum effectam esse,nisi nos quoque pro modulo nostro eiusdem thronus efficiamur? Necesse enim est mentem nostram vel Dei,vel dęmonis sedem esse.Quod si Dei nō sumus,cui⁹ nisi dæmonis erimus?Sic enim Apostolus ait,Si quis nō habet spiri ū Christi,hic non est eius, *Rom.8.*
Ergo danda nobis opera est, vt Dei throni ad huius quem descripsimus similitūdinem efficiamur.Ad hoc autem prima cura esse debet,vt corporis&animæ pudicitiā,quam ebore designari diximus immaculato pudore custodiamus,idque tanta cura,vt nō modo corpus ipsum,sed omnes etiam corporis sensus mentis castitati famulentur.Hoc etiam Apostolus à nobis requirit, *1.Tim.5.*
cùm Timotheum admonet,& inter fœminas versetur in omni castitate. Quid est autem in omni castitate conuersari, nisi vt habit⁹, vt incessus,vt verba,vt opera,vt oculi,vt aures,vt lingua etiam ac sensus omnes, castitatis puritatem spirare videantur, dum nihil turpe,nihil inhonestum,nihil,quod cuiusquam oculos vel aures offendat, in nostris moribus inuenitur?Hac autē tam multiplici custodia castitas eget, propterea quod per hos omnes corporis sensus editum sibi dęmon aperire conetur, vt *Simile.*
inæstimabilem virtutis huius thesaurum nobis eripiat.Quocir caquemadmodum arces quæ in hostium confinibus sitæ sunt, vallis,& fossis,cæteriśq; propugnaculis propter hostium incursiones & insidias munire solemus:ita virtus hæc, quam omni studio atque conatu generis humani hostis impetere solet,hac vigili cura & solicitudine sepienda atque vallanda est.Constat enimverum esse quod D.Bernar.ait:Inter omnia prœlia Chri- *Bernard.*
stianorum,periculosiora esse certamina castitatis,vbi quotidiana pugna & rara victoria. Nec enim importunus ille castitatis

hostis

hostis nos aliquando vel respirare sinit, vel inducias præbet: sed omni tempore ad extremum vsque vitæ spiritum impugnare non cessat, vt saltem importunitate vincat, quos prauæ suggestionis imperu superare non potest. *Simile.* Aiunt Physici, Rhinocerotem adeó ferum & immitte animal esse, vt nunquam, vel longissimo etiam tempore, ad homines assuescat: cum cætera tamen cicurentur & assuescant. Hoc ipsum de impuræ carnis concupiscentia verè dicere licet. Alios enim turbidos animæ nostræ motus, longa dies, & virtutis vsus vel sopire vel extinguere solet, hæc autem pestis vix vnquam serpere & solicitare mentem sinit. Constat enim inueniri multos Dei seruos, qui quadraginta aut quinquaginta etiam annorum spatio, neque opere, neque cogitatione, neque alia ratione castitatis integritatem violauerint; neque tam longo virtutis vsu rebelles à se carnis motus prorsus excusserint: nec minus illis in senectute quàm in iuuentute aduersus hunc Rhinocerotem castitatis armis assiduè pugnandum sit. Quocirca, quisquis virtutem hanc ad finem vsque vitæ integram illibatamque seruauerit, spiritualis cuiusdam martyrij præmium proposítum sibi esse sciat: quod non quidem repentina morte, sed longissima pugna & victoria comparatur. *Simile.* Quo etiam nomine sancti Patres diuturnam castitatem ebori comparárit: quia sicut ebur antiquum candorem in ruborem vertit: ita diuturna atque perpetua castitas, non modo castitatis laudem, sed spiritualis etiam martyrij coronam promeretur. Vt hãc igitur tantam gloriam adipisci valeamus, & tota vita strenuè dimicandum est, & caro ipsa inedia extenuanda, ne luxu insolescat & cunctis sensibus ac præcipuè oculis, diligens adhibenda custodia est, ne mors (quod Dauidi contigit) per has fenestras in mentem nostram ingrediatur. *Ierem. 9.* Quisquis igitur hoc modo pudicitiæ candorem seruat thronus Dei ex ebore factus est. Verissimè namque beata Lucia impuro iudici dixit, Castè viuentes templum esse Spiritus sancti.

Verum hic thronus auro vestiendus est, & quidem fuluo nimis. Auro autem charitatem significari paulo antè diximus. Quod autem hæc virtus mentes hominum, Dei quoque sedes, *1. Ioan. 4.* efficiat, apertè Ioannes Euangelista confitetur, cum ait; Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in *1. Cor. 16.* eo. Hoc autem auro omnia opera nostra vestire atque ornare monet Apostolus, cum ait: Omnia vestra in charitate fiãt. quam sententiam latius alibi declarat his verbis: Siue comeditis, siue *1. Cor. 10.* bibitis, siue quid aliud facitis, in gloriam Dei facite: hoc est, charitate & amore Dei inducti ea facite. Hac enim ratione fit, vt

non

non modo præclara virtutum opera,ſed ea etiam quæ ad vſum vitæ neceſſaria ſunt(vt comedere,bibere,dormire, atque animi intentionem modeſtè aliquando relaxere) Deo grata & æterna vita digna efficiantur.

Non temerè autem aurum hoc ſuluum nimis fuiſſe dicitur. Hoc enim verbum in ſolam charitatis virtutem maximè quadrat,in qua nihil modicum,nihil nimis eſt.Vt enim D.Bernard. ait,Cauſa Deum diligendi,Deus eſt,modus eſt,ſine modo diligere. Hoc autem in morales virtutes minimè cadit, in quibus vitio datur,quicquid nimium & immodicum eſt. Hic etiam fulgor,ſicut in auro puritatem(quæ omni peregrina materia vacat)ita in charitate eiuſdem puritatem deſignat,quæ ea ſinceritate Deum diligit,vt nihil in illo,præter illum,diligat: neque ad emolumenta propria eius amorem referat.Recte enim D. Auguſtinus,Minus te inquit, Domine,amat,qui tecum aliquid amat,quod non propter te amat. Hoc eſt enim quod nos ſancti Patres admonent,cum non in Dei donis atque beneficiis,ſed in Deo quieſcendum eſſe monent:ipſum videlicet propter ipſum, non propter eius merita diligentes:nec in eius muneribus, ſed in vno ipſo gloriantes. Talis enim charitas auro nimis fuluo comparatur.

*Bernard.*

*Augu.*

Adduntur in ſummo throni leones duo, qui vtrinque collocati manibus ſedile tenent atque ſuſtentant. Quid verò ſedem hanc,id eſt,hominis mentem in officio continet,niſi diuina gratia ſimul cum hominis labore & induſtria? Quid enim homo hac gratia deſtitutus Deo gratum effi ere poterit,cum Dominus dicat,Sine me nihil poteſtis facere?Quid verò eadem gratia homine dormiente atque o ſcitante efficere queat? Vtrumque ergo ſimul iungendum eſt,quemadmodum Apoſtolus exemplo ſuo oſtendit,cum ait,Abundantius omnibus laboraui non ego ſolus,ſed gratia Dei mecum.Ad hoc autem Dominus nos per Prophetam inuitat,cum ait,Conuertimini ad me,& ego cõuertar ad vos.Cum enim is ait,Ego conuertar ad vos,apertè gratiæ ſuę auxilium promittit,quæ præcipua boni operis cauſa eſt. Ideoque aſſiduis eam clamoribus ab ipſo poſtulare debemus, illa Sapientiæ verba repetentes, Mitte illam,Domine, de ſede magnitudinis tuæ,vt mecum ſit,& mecum laboret : vt ſciam quid acceptum ſit coram te omni tempore.Cum verò idem ait, Conuertimini ad me:libertatis & offi ij noſtri nos admonet,atque operam & laborem noſtrũm à nobis exigit.Quæ quidem ſententia illos præcipuè accuſat,qui totum ſalutis ſuæ negotiũ in diuinam gratiam & miſericordiam reiecerunt:qui tamẽ hoc

*Ioan. 15.*

*1.Cor. 15.*

*Zach.1.*

*Sap.9.*

ipſo

ipso misericordia indigni sunt, quòd eam inertiæ atque socordiæ suæ causam faciant cum Deus non stertentibus ac dormitantibus, sed vigilantibus, & laborantibus eam promittat. Hoc est igitur quod duobus his leonibus qui summum throni sedile tenent, arbitror significari.

Possunt etiam per eosdem duo charitatis præcepta, quæ totius diuinæ legis summam continent, non incongruè designari. Hoc enim præceptũ habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Quod contrà nonnulli faciunt, qui cùm assiduè precibus & meditationibus incumbãt, quibus charitas in Deum præcipuè comparatur, ad obsequia tamen fratrum suorum (cũ præsertim aliqua necessitate premuntur) tardiores sunt: quod iis animi sui quietem & tranquillitatem aliquatenus perturbari dicant. Quicunq; tales sunt, illud D. Augustini meminisse debent; Otium sanctum quærit charitas, negotium sanctum exigit necessitas charitatis: quę si non vrgeat, diuinæ veritatis contemplationi vacandum est. Cùm ergo proximus opera nostra indiget cum necessitate premitur, illa sanè contemplationis quies deserenda est, vt indigenti fratri, immò Christo in fratre laboranti subueniamus. Semper enim sacrificia iustitiæ voluntariis anteferenda sunt, illudque Samuelis semper ante oculos habendum: Melior est obedientia quàm victimæ. Obedientia enim necessitatis, victima verò voluntatis ac deuotionis nostræ est.

*1. Ioan. 4.*

*Augu.*

*1. Reg. 15.*

IIII.

Sequuntur deinde sex gradus, quibus ad summum throni sedile peruenitur. Sedile autem hoc in quo noster Salomon sedet, puritas cordis est. Quam quidem puritatem (quæ ab omni carnalium affectuum contagio pura & immunis est) spiritualis vitæ scopum esse latè Ioannes Cassianus in prima collatione disserit. Hæc enim puram & pacatam animam, Deoque (quatenus fragilitati nostræ licet) similem effectam, miro charitatis vinculo auctori suo copulat atque coniungit, atque summi Salomonis thronum efficit. Sex verò gradibus, quibus ad hoc sedile ascẽditur, virtutum omnium plenitudinem significari diximus: quæ huic puritati consequendæ deseruit. Eius enim gratia (vt idem Cassianus ait) solitudo sectanda, & cætera religiosæ vitæ studia colenda sunt. Propter hanc enim ieiunia, vigilias, labores, corporis nuditatem, lectionem cæteráque virtutes debere nos suscipere ait, vt per illas ab omnibus passionibus noxiis cor purum & immune conseruare possimus. His enim uirtutibus defecata mens, & ab omnibus carnis sordibus repurgata, & spiritualis effecta, Deo (qui purissimus spiritus est) facile iungitur & copulatur,

*Ioannes Cassianus.*

*Idem.*

tur. Sicut enim quæ dissimilia sunt, à se inuicem separantur; quæque vicina & cognata sunt, facillimè coniunguntur (sic enim videmus ardentis lucernæ flammam ingenti igni admotam, à maiori ignis flamma corripi, & sibi copulari) ita summus ille atque purissimus spiritus, vt carnales homines, tanquam sibi dissimiles, à se abigit, sic spirituales, tanquam sibi similes atque cognatos, eiusdémque puritatis consortes, ad se trahit, & secum inefabili quadam ratione conglutinat. *Simile.*

Sed quid est quod duo leunculi in singulis huius throni gradibus vtrimq; positi esse perhibẽtur? Hoc planè esse arbitror quod Apostolus præcepit, vt iustitiæ armis à dextris & sinistris muniti incedamus: quódque ipse Dominus frequenter in lege sua monet, cum exposita mandatorum suorum via præcipit ne ab ea siue ad dexteram, siue ad sinistram declinemus: hoc est, ne vel secundis rebus elati, vel aduersis deiecti, ab ea via quam ipse nobis ostendit, declinemus. Sunt enim qui per itinera planiora inoffenso pede gradiente; in confragosis & impeditis corruunt: contra verò alij sunt, quos confragosa iuuant, planiora, vero lapsuum materiam subministrant, Petrus tranquillo mari ad Dominum per vndas securus & lætus incedebat: qui tamen vbi vehementiorem auram spirare vidit, animo simul & corpore concidens submergi cœpit. Contra verò Dauid aduersis rebus eruditus magis quàm elatus, dicere verè potuit, In terra deserta inuia, & inaquosa, sicut in sancto, siue in sanctuario apparui tibi idem tamen constituto regno, subactisque finitimis nationibus secundis rebus elatus, populum vana & superba cutiositate numerari iussit, & aliena vxore per summum scelus violata, innocentis viri se sanguine cruentauit. Ne igitur cùm per hanc viam ingredimur, vel secunda nos aura, vel inimica, ab ea via deducat iubemur arma iustitiæ capere, quibus à dextris & sinistris instructi, securè incedamus. Vt enim D. Augustinus ait, duplicẽ aciem mundus contra Christi milites instruit. Blanditur enim vt decipiat, terret vt frangat. Quocirca non nos teneat propria voluntas, non nos terreat aliena crudelitas, & victus est mundus. Hoc est autem à dextris & sinistris esse armatum. Sic armatæ fuerunt sanctæ illæ virgines, Agnes, Agatha, Dorothea, Catharina, Margarita, cæteræque similes, quæ Tyrannos modo blandientes modo terrentes, modò promissis inuitantes, modo atrocissima supplicia comminantes, pari animo contempserunt: vt potè quæ à dextris & sinistris, diuinis armis septæ atque munitæ erant. *2. Cor. 6.* *Deut. 17.* *Mat. 14.* *Psal. 62.* *1. Par. 21.* *2. Reg. 11.* *August.*

Sed quoniam, vt ait ad Lucilium Seneca, difficilius est tristia perstringere, quàm læta moderari, ideo fortitudine atque robore

animi

animi magis indigemus ad ea quę virtutibus obstant superanda. Adde etiam, quòd ad impetranda Dei dona mirè labor adiuuat, precationis studio coniunctus. Hinc diuus Bonauentura in Meditationibus vitæ Christi refert, beatam Virginem sanctæ Elisabeth viduæ vitæ suæ rationem & ordinem explicuisse. Inter alia verò studia, quę ibidem commemorat, hoc etiam addit se, excepta ea gratiæ plenitudine, quam in vtero matris posita recepit, omnem aliam gratiam, & cœlestia dona, nõ sine magno labore, continua oratione, ardenti desiderio, & profunda deuotione, multísque lacrymis percepisse: addidítque, Illud igitur persuasum tibi esse debet, nullã virtutem, nulláque cœlestia dona (nisi præter communem ordinem Deus aliquid moliatur) sine orationis studio, & corporis afflictione comparari. Hactenus verba Virginis quibus intelligere licet, quantoperè in ea proficiendi studium viguerit. Quo in loco meritò Diuus Bernardus quærit, quomodo simul cohęreant, quod Gabriel Angelus Virginem quidem prius gratia plenã, deinde gratiam apud Deum inuenisse dicat. Quomodo enim aliquis quęrat id quo plenus est. Cui quæstioni idem respondet his verbis, Digna prorsus inuenire, cui propria non sufficit plenitudo, nec suo est contenta bono. Hoc autem illos præcipuè accusat, qui sibi sufficere iudicantes, vlterius in virturis studio progredi nolunt. Audeo dicere, eos qui sibi ita placẽt, nondum hoc iter in cœlum ingressos fuisse, cùm scriptum sit, Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient: Sed vt ad iustiniam redeamus: cum hac Virginis sententia, quę corporis laborẽ simul & orationem commendat, sacerdotis Eliachim sentẽtia maximè cohæret. Ad filios quippe Israel ab exercitu Holofernis obsessos, & in magna calamitate positos, ait, Scitote quòd exaudiet Dominus orationes vestras, si manentes manseritis in ieiuniis & orationibus in conspectu eius. Quę cum ita sint, fratres, quicunque cælestibus donis (quæ omnem sensum exuperant) affluere concupiscitis, quicunque ad hanc gloriam peruenire desideratis; vt veri Salomonis throni & sedes efficiamini, accingite fortitudine lumbos vestros, & in hoc totis viribus incumbite, vt omnibus throni huius ornamentis mentes vestras excolatis, quatenus in vobis Deus habitare: & diuinitatis, puritatis, sanctitatis, deliciarum, ac donorum suorum, ac tandem immortalitatis & gloriæ suę participes efficere dignetur.

*Bonauen.*

*Bernard.*

*Iudith. 4*

*Phil. 4.*

IN

## In eadem natiuitate beatiſsimæ virginis Mariæ concio tertia: in qua de mirabili Euãgelij virtute & gratia, ſimúlque de ſacrę virginis dignitate diſſeritur.

THEMA. *Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid.* Matth. 1.

QVamuis hic liber generationis Chriſti eſſe dicatur, ſatis tamen conſtat vel ex ipſo libri titulo (qui eſt, Sanctum Ieſu Chriſti Euangelium ſecundum Matthæum.) totius etiam Euangelij, omniumque myſteriorum Chriſti hiſtoriam in eo texi. Quia verò hoc ipſo die beatiſſimæ Virginis natiuitatem (quæ ipſius Euangelij, atque omnium beneficiorum Chriſti principium extitit) celebramus, non abs re futurum puto, ſi quid Euangelij nomen & myſterium cõtineat, explicauero. Omnes enim Euangelicæ legis profeſſores ſumus, omnes ſacris diebus Euangelicam doctrinam audimus, ſed non omnes, quid Euangelij nomen deſignet, ſatis intelligimus. Huius autem rei tractatio vehementer mentes noſtras ad Redemptoris noſtri amorem primùm, deinde etiam ad ſalutarem timorem excitabit: qui duo affectus velut duo pedes ſunt, quibus ea via qua in cælum itur, ingredimur. Nihil enim deeſſe illi poterit, qui Dei timore & amore fuerit inſtructus. Vt igitur argumentum hoc piè & religioſè tractare valeamus, cœleſtem opem, ſacratiſſimæ Virginis interceſſione, ſuppliciter imploremus.

AVE MARIA.

IAm primùm cõſtat, inter innumeras virtutum & perfectionum Dei noſtri laudes, immenſam eius bonitatem maximè numerari. Hanc enim præcipuè cœleſtis magiſter commendauit, cùm adoleſcenti, ſe bonum appellanti, reſpondit: Quid me vocas bonum? Nemo bonus, niſi ſolus Deus. *Matt. 19.* Quamuis enim & Sancti omnes, & Angelicæ mentes diuinæ bonitatis participes ſint, vſque adeò tamen immenſa Dei bonitas eminet, vt cęteræ bonitates non magis ante illam fulgeant, quàm aſtra cæli ante meridianum Solem. *Simil.* Cùm autem maximè proprium bonitatis ſit inſtar radiorum Solis in omnia ſe diffundere, opéſque ſuas omnibus cõmunicare: hæc illum bonitas impulit, vt hũc mundum tam miris multiſque variatũ rerum formis ornatum, ſine vlla ſua indigentia crearet. *Simil.* Hanc enim creationis mundi cauſam extitiſſe Plato quoque Philoſophus confeſſus eſt. Quia verò is totius eſſe, omniumque perfectionum fons & origo eſt, non vna eadémque menſura ſeipſum rebus communicauit. *Plato.*

Quibuſdam enim eſſe tantùm contulit, vt elementis; quibuſdam eſſe & viuere, vt plantis, quibuſdam eſſe, viuere & ſentire, vt brutis animantibus, quibuſdam verò ſupra hæc omnia intelligendi vim, vt hominibus & Angelis contulit. Vt autem bonitati bonorum ſuorum communio: ita ſummæ bonitati ſumma quoque bonorum communio conuenit. Hoc autem ſumma illa bonitas præſtitit: quæ ſeipſam, hoc eſt, fœlicitatem, & gloriam (quæ ſolius diuinæ naturæ propria eſt) & Angelis, & hominib⁹ (qui intelligentiæ participes ſunt) liberaliſſimè communicare decreuit. Qua quidem communione nihil in hoc genere mai⁹ humana mens vel deſiderare, vel cogitare poteſt.

Ad hoc autem primum hominẽ condidit, quem clariſſimis virtutum cœleſtiumque donorum opibus inſtruxit, quibus ad hanc tantam gloriam præparari, & ea dignus effici poſſet, quaſque, ſi in officio fideliter perſtitiſſet, ad poſteros quoque ſuos transfunderet. Verum ille huic tanto muneri ingratus, inobedientiæ ſuæ crimine & ſeipſum, & poſteros quoque ſuos his tãtis bonis ſpoliauit. Diuina tamẽ bonitas nec hoc quidem inobedientiæ ſcelere prouocata, à propoſiti ſui deſtinatione ceſſauit. Itaque recenti adhuc commiſſi ſceleris rebellione vigente primã Euangelij lucem homini lapſo prætulit, cũ ad ſerpentẽ, (hoc eſt dęmonem, tanti mali auctorem) dixit, Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter ſemen tuum & ſemen illius, ipſa conteret caput tuum: hoc eſt, ipſa potentiam tuã euertet, & regnum tuum (quod peccati regnum eſt) exſcindet. Hęc igitur prima Euangelicæ gratię & redemptionis humanæ promiſſio quæ per benedictum ſanctiſſimæ Virginis fructum mundo afferenda erat, vt quoniam fœmina per virum mundo mortis venenum propinauerat, fœmina quoque per virum, fructum vitę mundo porrigeret: hæc igitur, vt dixi, prima Euangelij inſtitutio qua remedium lapſo homini promiſſum fuit. Nunc ſupereſt vt quale hoc diuinæ miſericordię remedium fuerit, inſpiciamus, vt ſic tandem, quid ſit Euangelium, & cur meritò fauſtum atque lętum nuntium appellari debeat, intelligamus.

Genes. 3.

Rem igitur à prima origine repetentes animaduertendum eſt, hunc eſſe diuinę ſapientiæ morem, vt quando vel dæmonum malitia: vel prauorum hominum opera, quæ ipſe decreuiſſet, impedirentur, vſque adeò à propoſiti ſui deſtinatione nõ ceſſaret, vt eadem ipſa quæ deſtinauerat, multò auctiora & meliora faceret. Nec enim fas eſt, diuinæ ſapientiæ conſilia atque decreta cuiuſquam opera aut malitia labefactari, ne quis aduerſus illum gloriari meritò poſſit. Subiiciamus aliquot huius rei

exempla.

exempla. Synagoga olim, hoc est, Sponsa Dei electa, & Dei populus Romanorum armis propter admissa scelera vastatus, & ad internecionem vsque deletus fuit. Pro hoc ergo exiguo populo, vniuersum mundum, pro Synagoga, Ecclesiam latè per orbem terrarum diffusam erexit: & pro vno tẽplo in quo Deus colebatur, innumera templa vbique terrarũ fabricari fecit. Prophetas quoque, eius populi patres atque magistros, cũ ipso populo sustulit. Lex enim & Prophetæ vsque ad Ioannem: At pro ipsis Prophetis, Apostolos nobis & Euangelistas, cæterosque Euangelicę vitę sectatores, Spiriru sancto plenos, cõtulit, quẽadmodum regius vates ait, Pro patribus tui nati sunt tibi filij: constitues eos principes super omnem terram. Legẽ præterea veterem, quam illi populo tulerat, abrogauit, at pro lege veteri nouam legem, pro litera spiritum, pro iugo legis importabili, Euangelij gratiam nobis contulit. Quantum verò hęc noua lex, veterem, & Euangelium, legis literam antecellat, D. Augusti nus declarat his verbis. Legis litera, quæ docet non esse peccandum, si Spiritus viuificans desit, occidit. Scire enim peccatum facit potius quàm cauere, & ideò magis augeri quàm minui, quia malæ concupiscentiæ (quæ prohibitione augetur) etiam præuaricatio legis accedit. Denique quantum inter se, petere & donare, distant, tantum inter legem, & Euangelium discrimen est. Lex enim petit: Euangelium donat. Lex quippe exigit ab hominibus plenam omnium mandatorum obedientiam. Euangelium verò Spiritum & gratiam, & voluntatis propensionem ad hanc ipsam obedientiam alacriter præstandã donat. At hæc arca fœderis Domini (quæ eius olim gloria dicebatur) simul cũ veteri illo templo sublata est: at pro arca illa, quę legis tabulas continebat, diuinissimum Christi corpus in omnium templorum sacrariis, ad fidelium deuotionem excitandam, asseruari videmus. Sacrificia quoque legis illius per Christi mortem abtogata fuerunt, in quibus animalium sanguis propter hominũ peccata offerebatur: at Dominus pro illo pecudum sacrificio, sacratissimum corporis & sanguinis sui sacrificium in cunctis Ecclesiarum altaribus immolari constituit. Et quidem in veteribus illis sacrificiis, quæ pro peccato offerebantur, sanguis pecudum offerebatur, quo significabatur, peccantem hominem, ob admissum scelus, sanguinis reum esse, Dei tamen misericordia fieri, vt pro rei hominis sanguine pecudum sanguis substitueretur: at in nostro sacrificio non agnorum aut tauorum, sed ipsius vnigeniti Dei pretiosus sanguis pro sceleribus nostris quotidie immolatur: cuius sacrificij vim & dignitatem Apostolus

*Lucæ 16.*

*Psal. 44.*

*August.*

*Deut. 20.*

*Hebr.9.* declarat his verbis, Si sanguis taurorum, aut hircorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti? Quòd si inter hæc adeò magnifica Dei opera pusillum
*Ier.36.* addere licet, adiungam Ieremiæ librum, quem Domini iussu scriptum perfidus Sedechias Rex conscidit, atque combussit. At ne impium Regis facinus diuino decreto obsisteret, alium similem librum Dominus eidem Prophetæ scribere iussit, in quo ait, sermones additi sunt plures prioribus. Videtis ergo, fratres,
*Esaiæ 46.* verum esse quod idem Dominus per Prophetam dixit: Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet: adeoque non esse in illa potestate cõsiliis ei⁹ obsistere, vt quò magis vel dæmo
*Psal.63.* nis, vel hominũ malitia aduersus illius decreta nitatur, hoc magis ille gloriam suam amplificet. Accedit enim homo ad cor altũ, & exaltatur Deus, & maiora potentiæ suæ documenta constituit.

Quorsum hæc? Certè ad Euangelicæ gratiæ explicationem, quam promisimus, spectant, quæ etiam aliqua ex parte his quæ diximus, declarata est. Diximus enim, primo illi generis humani principi gratiam & iustitiam, magnificaque Dei munera & illi, & nobis (si is in fide & obedientia permansisset) concessa fuisse: cùm verò is dæmone adnitente (qui diuinis consiliis obsistere voluit) in vtroque deliquisset, & sibi, & nobis eadem dona amisit. Æquum autem non erat, vt hostis ille fraudulentus aduersus Deum gloriari posset, seque iactare, quod eius decreta atque consilia inuertere potuisset. Quid igitur Dominus? Dignitatis & gloriæ suæ memor. maioribus nos gratiæ & misericordiæ suę muneribus quàm antea donauit. Pro illa enim superba & inobedienti fœmina, fœminam nobis obedientiæ, humilitatisque pleniſſimam, in matrem contulit; cuius hodie fœliciſſimum natiuitatis diem celebramus. Pro illo verò primo parente, qui nos inobedientia sua perdidit, alium nobis parentem infinitis partibus præstantiorem contulit. Pro mero namque homine Deum & hominem pro superbo humilem, pro seruo filium, pro homine ex terra formato, hominem de Spiritu sancto conceptum: ac demum pro inobediente & interdictæ arboris cibum inuadente, filium ad mortem vsque, & mortem crucis obedientem. Quantum ergo inter Christum & primum illum
*1.Cor.15.* parentem, hoc est, inter primum Adam & secundum distat, tantum inter hoc & illud beneficium discrimen est. Primus enim ille homo de terra, terrenus: at secũdus homo de cœlo, cœlestis.

Quid

Quid deinde? ſubdit protinus, Qualis terrenus, tales & terreni, qualis cœleſtis, tales & cœleſtes.

Hic igitur ſecundus parens, pro illo priori nobis initio ſeculi promiſſus, in fine ſeculorum datus eſt: in quo vno omnia quæ nobis ad ſalutem & iuſtitiam neceſſaria erat, cumulatiſſimè præſtita ſunt. In ipſo enim (vt Apoſtolus ait) complacuit Patri omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconcilire omnia, pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt. Quod quidem adeo fœliciter executus eſt, vt Eccleſia verè dicere potuerit, fœlicem illam culpam extitiſſe, quæ talem habere meruerit redemptorem. Non enim (vt Apoſtolus ait) vt delictum, ita & donum. Vbi enim abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia. Is igitur primi parentis illius loco pater nobis datus eſt, non proditor, ſed ſaluator: non interemptor ſed viuificator, non perceptæ hæreditatis & patrimonij diſſipator, ſed reſtitutor & inſtaurator. Vnde Iſaias inter cætera eius præclara nomina, futuri ſeculi patrem appellandum eſſe vaticinatus eſt: quia ipſe nos noua naſcendi lege regenerauit: ipſe plus quàm paterna charitate à diaboli captiuitate redemit: ipſe debita noſtra exoluit, & pro illis, ſacrificij ſui merito, æterno Patri ſatisfecit, & nos cùm illo (à quo diſſidebamus) ſublatis è medio peccatis (quæ nos ab illo ſecernebant) æterna pace recõciliauit.

*Col. 1.*

*Rom. 5.*

*Iſaiæ 9.*

I.

Quid igitur ex his cõſequens eſt? Certè, vt Deus iam amicus nobis effectus, & filij ſui ſanguine placatus, veri amici in nos officia exerceret, & gratiarum atque donorum ſuorum theſauros, aperiẽs, opes ſuas in homines, nouo ſibi fœdere copulatos, effunderet, quibus priſtinam illam dignitatem & gratiam, quam prioris parentis inobedientia amiſerant, poſterioris obedientia recuperarent. Ad hoc autem Spiritum ſanctum poſt peractum humanæ redemptionis officium, in nos demiſit: qui naturam, peccati morbo ægram, ſanaret, omneſque animæ noſtræ vires, eodem morbo infectas, ſanitari reſtitueret. Itaque intellectum lucis ſuæ ſplendore illuminauit, vt expetenda fugiendaque ſine errore diſcerneret, eaque pro ipſorum dignitate & pretio æſtimaret. Voluntatem verò, vt hæc ipſa pro intellectu in corrupto iudicio, non pro libidine ſua amplecteretur. Affectus autem & cupiditates noſtras ita temperauit, vt non amplius furore atque impetu ſuo mentem de ſtatu ſuo deiicerent, ſed illius potius ductum & imperium ſequerentur. Carnem verò ipſam (quæ immortales cum ſpiritu inimicitias gerebat, quæque nihil niſi carnalia, vt naturæ ſuæ conſentanea, appetebat) ſic ſpiritualium

Psal.83. deliciarum participem effecit, vt dicere iam pius homo possit,
Isaiæ 62. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum: &, Sitiuit te anima mea, desiderauit te caro mea: sic enim alij legũt. His autem præcipuis hominis partibus instauratis, totus homo in nouã quandam & spiritualem eraturam animatus est.

His addit etiam idem Spiritus, omnium virtutum habitus, quibus easdem animæ nostræ vires miro modo perficit, roborat, & ad rectè operandum inducit, vt sic instructi, & armati omnes dæmonum assultus, omnes aduersantis mundi machinas, & omnia denique quæ sunt iustitiæ & pietati infesta & inimica, inuicta virtute superare valeamus. Nec virtutibus modò, sed septem illis clarissimis donis suis mentem armat & ornat, vt sponte atque alacriter se regenti spiritui, ad ea quæ voluerit, accommodet, & habenis pareat imperantis. His etiam adde suauissima, vereque miranda eiusdem Spiritus solatia (propter quæ is Paracleti, hoc est, consolatoris nomen sortitus est) quibus piorũ mentes ita recreat & reficit, vt omnes alias mundi voluptates omnes opes & honores, atq; postremò terrena omnia fastidiãt, & pro nihilo ducant. Verissimè enim à D. Bernardo dictum est, Gustata spirituali suauitate desipere omnẽ carnẽ. Hinc D. Augustin⁹, Qui biberit, inquit, ex fluuio paradisi, cuius vna gutta maior est Oceano, restat vt in eo sitis huius mundi extinguatur.

Bernard. Augustin.

Postremò, vt vno verbo concludam, cùm iuxta Philosophorum placita, omne agens agat sibi simile, quid à Spiritu sancto, mentem hominis inhabitante atque regente, sperandum est, nisi vt hominem sibi similem, hoc est, vt ex carnali spiritualem, ex terreno cœlestem, atque ex homine quodammodo Deum faciat? Sic autem fit, vt homo pristinã illam Dei imaginem, quã recens conditus fuerat insignitus, recuperet, dum diuinos mores, hoc est puritatem, innocentiam, iustitiam, misericordiam, benignitatem, virtutem & sanctitatem Dei imitatur: illud videlicet implens quod ab eodem Domino præscriptum est, Sancti estote: quia ego sanctus sum.

Leuit. 11.

Hæc autem præstantissima Dei dona, cuius meritis & precibus, nisi Seruatoris & summi Sacerdotis nostri, in nos effusa sunt? Per illum enim (vt Petrus Apostolus ait) cœlestis Pater maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt per illum efficiamur diuinæ consortes naturæ, hoc est, vt hausto intra nos Spiritu Dei, diuinam puritatem, sanctitatem & innocentiam in hac vita sectemur. Si quis autem eorum quæ diximus, veritatem plenius comprehendere cupit, in tot Martyrum, Confessorum, Virginum, & sanctorum Anachoritarum, & monachorum vi-

2. Pet. 1.

tas

tas oculos coniiciat: qui cùm homines essent, & inter seculi homines, simili carnis fragilitate circundati versarentur, his tamen diuini Spiritus præsidiis atque donis informati atque adiuti, cœlestem in terris vitam sic coluerũt, vt vel homines cœlestes, vel terrestres Angeli merito vocati sint.

II.

His igitur hac ratione breuiter expositis, facile erit intelligere, & quid Euangelium sit, & cur lætum nuntium appelletur. Quod enim nuntium lætius mundo nuntiari potuit, quàm has tantas diuinorum beneficiorum & gratiarum opes per Christi merita & passionem fuisse nobis exhibitas? Est igitur Euangelium (vt omnia breuiter colligamus) quòd vnigenitus Dei Filius tanto salutis nostræ amore flagrauit, vt propter eam constituendam non dubitauerit ex altissimo gloriæ suæ solio in terras descendere, humanam carnem induere, inter homines versari, vt nos & doctrinæ suæ luce erudiret, & clarissimarum virtutum exemplis, ad humilitatis, patientiæ & obedientiæ, cæterarumque virtutum studium excitaret. Euãgelium est, quòd non cõtentus humanam carnẽ induisse, seipsum quoque in ara crucis immolauit, sanctissimoque illo virtutum omnium, quæ ibi eluxere, sacrificio, pro nostris scleribus plenissimè satisfecit, Patremque nobis infensum placauit, & cum humano genere in gratiam & amicitiam reduxit. Euãgelium est, quòd cælestis Pater hoc modo placatus, veri Patris & amici officio fungẽs, gratiarum atque donorum cœlestium thesauros aperuit, & in mundum effudit, Spiritumque suum sanctum è cœlis in terram demisit, vt donorum suorum virtute, ea in mentibus nostris operaretur, quæ paulò antè commemorauimus. Euangelium est, quòd leges suas in corde atque visceribus nostris insculpsit, quod abstulit ab hominibus cor lapideum, & dedit eis cor carneum, & Spiritũ suum posuit in medio eorum: quo dono effecit, vt in præceptis eius ambularent, & mandata custodirent. Euangelium est, septem Sacramentorum institutio, per quæ cælestis gratiæ, & meritorum atque dolorum Christi participes efficimur. Euangelium est, cœlestis regni apertio: cuius fores ab origine mundi sanctissimis etiam viris occlusæ erant. Per Euangelium enim exules reducuntur ad patriam, mortui suscitantur ad vitam, & peccatores vocantur ad veniam. Præterea Euangelium est amoris incendium, quo Dei Filius tanta immensæ bonitatis, charitatis & misericordiæ suæ ostensione, tantaque diuinorum beneficiorum collatione ferreas etiam mentes ad sui amorem inflammauit.

Ieremi. 31. Hebr. 4. Ezec. 11.

Postremò Euãgelij est, quòd hac breui oratione ipse Euan-

gelij auctor complexus est cùm ait, Sic Deus dilexit mundum,
*Ioan.3.* vt filium suum vnigenitum daret. Quis autem oratione consequi possit, quàm multa hoc vno dono contineantur? Sed qui filium suum dedit, in quod, quæso, munus & officium ipsum dedit? Certè vt in vno illo haberemus omnia, & vnus ipse nobis omnia esset. Ipse enim est salutis nostræ auctor, libertatis vindex, cælestis doctrinæ magister, morborum nostrorum medi-
*Esaiæ 9.* cus, rationalium ouium pastor, redemptionis minister, Rex noster, sacerdos, idemque sacrificium, aduocatus, Dei & hominum mediator, pater futuri seculi, qui nos in filios adoptauit, & Ecclesiæ atque fideliũ animarum charissimus sponsus, qui eas sibi bonorum omnium cõmunione copulauit. Ad hæc igitur officia omnia dedit nobis cælestis Pater vnicũ suum, & (quod omnem superat admirationem) pro nobis illum ad mortem tradidit, vt pretioso eius sanguine nos expiaret, illius meritis nos ditaret, illius humilitate nos exaltaret, illius vulneribus vulnera nostra sanaret, ac postremò illius morte nobis immortalitatem donaret. Vt igitur quæ diximus omnia breuiter colligamus (ne rerum multitudine mentem obruamus) ad duo præcipuè capita tota Euangelij summa reuocanda est: quorum alterum, quid nobis per Euangelij gratiam donatum sit? alterum, per quem & cuius merito ea nobis gratia donata sit, explicat. Collata quidẽ est nobis (vt diximus) abundantia gratiæ, idque merito pretiosi sanguinis & passionis Christi: vel, vt breuius dicam, cõtulit nobis cælestis Pater Filium simul & Spiritum sanctum: quorum alter meruit, quod alter præstitit: quorum alter nos sanguine suo redimeret, alter ductu suo nos regeret, & in cælestis patrimonij possessione collocaret.

Cùm igitur hæc omnia per Christum nacti sumus, cùm in illo habeamus omnia, & vnus ipse nobis sit omnia, an non æquum erit vt cum beatissimo Francisco integras noctes has voces cum summa dulcedine & iucunditate identidem repetamus, Deus meus & omnia? Deus meus & omnia? Quis enim adeò ferreus erit, qui hac tanta diuinæ bonitatis & charitatis ostensione, tantaque beneficiorum diuinorum exhibitione non liquefiat, non amore æstuet, non se totum in laudes tanti bene-
*Lucæ 12.* factoris effundat? Si enim Christus Dominus his tantis benefi-
*Rom. 12.* ciis ignem venit mittere in terram, quis adeò saxeus erit, qui non hoc igne incendatur? Si qui beneficia in hostem confert, carbones ignis congerit super caput eius, qui fieri potest, vt tanta hæc diuinorum beneficiorum abundantia nos diuini amoris igne inflammet? O quis sic hoc igne incenderetur, vt Apostolus

lus arsit: qui vbi huius lætissimi nuntij summam exposuit, cùm dixit, Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, protinus diuini Spiritus impetu concitatus in illam amoris plenissimam vocem erupit, Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos, & cætera quæ sequuntur. *Rom.8.* *Ibidem.* *Psal.43.*

III.

Sed dicetis, Si tam fœlix & faustum est hoc Euangelij nuntium, quid est in causa, cur ego hoc audiens non præ lætitiæ magnitudine gestio? non totus in tantæ salutis auctorem præ amoris magnitudine liquefio? cùm tamen si mihi amplum aliquod beneficium à Rege collatum sit, vix me præ lætitiæ magnitudine continere valeam? Ad hoc, fratres, cum Apostolo facilè respondemus, animalem hominem non percipere ea quę sunt Spiritus Dei. Cùm enim ex hominibus quidam carnales & animales, quidam verò spirituales sint, hi quidem carnalia fastidientes, & pro nihilo ducentes, sola spiritualia (quæ summo in pretio habenda esse sciunt) omni studio consectantur: sic Paulus omnia arbitrabatur vt stercora, quo Christum lucrifaceret: sic etiam æstimabat Eunuchus ille Candacis reginę Æthiopum: qui vbi Philippum euangelizantem, & peccatorum veniam, atque aditum regni cęlestis per Christum sibi promittentem audiuit, suscepto salutari lauacro ibat per viam suam gaudens, quòd hoc faustissimum atque fœlicissimum Euāgelij nuntium accepisset. Cæterùm carnales homines spiritualia bona fastidiētes, sola carnalia (quę carni familiaria & cognata sūt) degustant, sola captant, sola sitiunt. Quod planè Apostolus aperiè confitetur, cùm ait: Qui secundùm carnem sunt, quę carnis sunt, sapiunt: qui verò secundùm spiritum sunt, quæ sunt spiritus, sentiunt. Quod cùm ita sit, quid mirum si carnales homines hoc læto Euangelij nuntio (quo spiritualia atque inuisibilia nobis bona conferuntur) nullum lętitię affectum in pectore carnali excitent? Quemadmodum enim iumenta hordeum malunt quàm aurum (quòd auri pretium non agnoscant) ita isti velut mura quedā pecora, carnalia bnoa spiritualibus preferūt. *1.Cor.2.* *Phil.3.* *Actor.8.* *Rom.8.* *Simile.*

Adde etiam, quòd diuina beneficia nemo pro meritis estimare potest, nisi qui eorūdem beneficiorum valorem & dignitatem agnoscit. Hæc autem cognitio non omnium est, sed eorum qui cum Apostolo dicere possant. Non autē non spiritum huius *2.Cor.2.*

huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est: vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Sine hac autem cognitione diuina beneficia adeò non iuuant, vt interdum etiam in maiorem damnationis cumulum ingratis mentibus cedant, quòd perceptis beneficiis minimè respondeant. Quocirca nihil mirum, si qui vitio suo hoc cælesti lumine destituti sunt, nullam
*Simil.* ex faustissimo Euangelicæ gratiæ nuncio lætitiã capiant. Quid, quæso, graui vulnere sauciatus magis quàm chirurgi manum etiam cruciantem optat? At pueri infantes cùm simili morbo laborant, neque hanc opem requirũt, immo etiam cùm chirurgus adest, flere & vociferari incipiunt. Idẽ igitur grandæuis istis pueris contingit, qui vt peccatorũ suorũ vulnera non sentiunt, ita nec cælestis medici remedium pro dignitate æstimare sciũt.

Quam rem præsentis quoque Euangelij exemplo confirmare licet, in quo Christus Dominus Abrahæ atque Dauidis filius esse dicitur, cùm tamen non minus aliorum quoque filius sit qui in eadem serie numerantur. Cur igitur horum magis quàm aliorum filius dicitur? Certè quia his præcipuè magnificentissima hæc de Christo promissio facta est, cuius ipsi dignitatẽ agnouerunt, & meritas pro eo gratias egerunt, eiusque cum pri-
*Ioan. 8.* mis gratiæ participes effecti sunt. Abrahã enim exultauit vt vi-
*2. Reg. 7.* deret diem Christi, Dauid autem dixit, se cor suum ad orandum inuenisse cùm primum hanc à Domino promissionem accepit. Horum ergo aliorumque similiũ præcipuè Christus Dominus filius dicitur, eorum autem qui impiè vixerũt, filius quidem secundùm carnem est, sed illis tamen promissus fuisse non refer-
*Simil.* tur. Per hos igitur Christus Dominus ad nos, velut aqua per canales transiuit, quę nullum eius beneficium contulit, per illos autem quasi per areolas, variis florum atque arborum plantis consitas, quæ illas humoris sui beneficio aluit atque nutriuit.

Idemque de statu hominum, qui hoc reuelatæ tempore gratiæ viuunt, pronuntiandum est. Dicet enim fortasse aliquis, Si tam copiosum gratiæ munus per Christum in nos effusum est, cur ego huius tanti beneficij expers sum? cur me lux ista nõ irradiat? cur non fores meas vel occlusas etiam penetrat? cur ab ista salute & iustitia, quam Christus attulit in mundum, nulla ad me particula peruenit? Simili ratione his quoque respondere possumus. Quibusdam enim verè & venit, & passus est Christus, qui eius videlicet beneficiis, salutaribusque remediis ad salutem suam vtuntur, quibusdam verò nec dum aduenisse videtur, qui videlicet non magis eius beneficiis potiuntur, quàm si prorsus non venisset. Quid enim mihi doctrina Christi conferat,

rat,quam nunquā attingo?quid clariſſima virtutum eius exempla,quæ nunquam recolo ? quid eius paſſio,cuius acerbitatem nunquam ad mentem reuoco?quid Sacramenta,ad quæ vix vnquam,niſi coactus,accedo?quid gratia , quæ per ipſum mundo data eſt,quam vix vnquam pijs precibus depoſco:Itaque perinde ad me magnus ille è cœlo venit medicus, ac ſi omnino non veniſſet:quando eius ego præceptis & medicamentis vti nolo? Ipſe ergo ſe interimit,qui(vt D.Aug.ait)præcepta medici ſeruare contemnit.Quam ego lucem ex orientis Solis ortu percipere potero,ſi in tenebris manens occluſas vbique fores teneo , nec vllum ad me aditum præbeo?Non enim Chriſtus ſanat inuitos, non placitis illius obſiſtentes, non oblatam lucem repudiantes; ſed eos qui vulneris ſui remedium non aſpernantur,diffuſumq; lumen libenter accipiunt.Hoc autem ipſe apud Eſaiam teſtatur cum ait:Spiritus Domini ſuper me:ad annunciandum manſuetis miſit me , vt mederer cõtritis corde.Quid autẽ per cõtritos corde,niſi eos qui vulneris ſui periculũ & agnoſcũt & ſentiunt, & lacrymis perſequũtur,& remediũ flagitant,intelligimus? Hos enim cęleſtis hic medicus curat,his gratiæ ſuę opes impartitur. *Eſaiæ 42.*

Cęterum ingratos,deſides,& rebelles tantũ abeſt vt hoc ſummum beneficium iuuet,vt maiorem etiam illis damnationis occaſionem præbeat.Hinc Apoſtolus,Irritam quis faciens legem Moyſi abſque vlla miſericordia duobus vel tribus teſtibus moritur.Quanto ergo deteriora putatis mereri ſupplicia,qui filium Dei conculcauerit,& ſanguinem teſtamenti in quo ſanctificatꝰ eſt,pollutum duxerit,& Spiritui gratię contumeliam fecerit?Ille autem Filium Dei conculcat,qui ea quę ille pro tuenda eius ſalute in terris operatus eſt,paruipendit. Ille verò ſanguinem eius polluit,qui nihilo magis pretioſum eius ſanguinem,quàm arietum,aut agnorum ſanguinem in terra fuſum curat; neque vllas pro tanto redemptionis beneficio gratias agit. Ille verò Spiritui gratię contumeliam facit,qui eius ductui & vocationi obſiſtit,qui imperium repudiat,eiusque pretioſa dona deſpicit atque contemnit.Si ergo qui legi recta monenti , neque tamen ſpiritum,aut gratiam conferenti,non paret, capitis reus eſt:quanam tandem pœna plectendus erit,qui non ſcriptam legem, ſed Dei filium, ſed eius ſanguinem,ſed ipſum etiam Spiritum ſanctum contemnit,& pro nihilo ducit.Videtis ergo,fratres quod initio diximus,non amoris ſolum,ſed timoris etiam materiam nobis redemptionis noſtræ beneficium prębere.Terret enim illa Domini vox;Cui commendauerunt multum,plus exigent ab eo. *Heb.10.* *Luc.12.*

IIII.

Sed iam tempus est,fratres,vt à nobis ipsis oculos deflectentes,ad sacratissimam Virginem,cuius hodie natiuitatem celebramus,eos conuertamus:quamuis hæc ipsa quæ diximus, magna ex parte ad illius gloriam referantur : quando ipsa non parum ad salutis & redemptionis nostræ beneficium contulit,quæ Redemptori nostro carnem & sanguinẽ,quem pro nobis immolaret,ministrauit.Hodie igitur cum eius natiuitatem celebramus, redemptionis nostrę exordium recolimus;quando hodie mulier illa in mundum venit,cuius semen serpentis antiqui regnum & potentiam erat euersurum.De qua quicquid in eius laudem dicere possumus , minus est quàm quod in fine huius Euangelij Matthæus subiecit,cum ait; *De qua natus est Iesus,qui vocatur Christus.* Huius enim dignitatis magnitudo facit , vt nulla mortalis lingua eius laudibus par esse queat.Hinc D.Augu. Loquamur, inquit,aliquid fratres,in laudibus beatissimæ Virginis. Sed quid nos pusilli,quid actione tantilli in laudibus eius referemus,cum &si omnium nostrum membra verterentur in linguas,eam laudare sufficeret nullus?Altior cælo est de qua loquimur, profundior abysso de qua dicere conamur.Si ea igitur cælo altior est, sola cælestis lingua illam pro dignitate laudare poterit. Quod quidem paucis Euangelista præstitit, cum de illa natum mundi Saluatorem esse dixit. Quid enim hac materna dignitate sublimius?De Deo quidem nihil maius lingua mortalis effari potest,quàm quòd Deus sit. Hoc enim solo nomine omnia laudum & virtutum eius insignia continentur. De fœmina autem nihil maius dici potest,quam quòd sit mater Dei. Hac vna ratione,fratres, Virginis dignitatem vtcumque æstimare poteritis;quòd videlicet fœmina quædam illum cælorum & Angelorum Dominum ; illum , ante cuius conspectum condita omnia,siue cælestia,siue terrestria,exigui pulueris instar sunt,illum cuius gloriam supernę virtutes,& Angelicæ potestates tremen tes admirantur : illum , cuius immensam altitudinem Cherubin & Seraphin obstupescunt,illum,qui in sublimi loco positus immenso atque infinito interuallo omnia quæ condidit , suis pedibus subiecta valet,eademque solo nutu gubernat & continet,hanc inquam , tantum Dominum mulier, quædam , inter omnes mulieres felicissima,plena voce filium appellare audet. Sic enim illum vocauit,cùm post triduum inuento,dixit ; Fili, quid feciſti nobis sic ? Et quomodo ipsa filium audacter & glorianter appellat,ita is eam matrem charissimam atque dignissimam sine vllo rubore prædicat & confitetur. Quid igi-

August.

tur

tũr hac dignitate ſublimius? Si ex fructu cognoſcitur arbor: qua lis illa arbor extitit, quæ talem mundo fructum protulit? Si ma- *Simile.*
lograna ta ex malograna to, & mala punica ex malo punico naſcuntur, vnde Deus niſi ex diuina quadam fœmina naſci debuit? Hæc eſt enim arbor illa de qua Iſaias multo antè vaticinatus fuerat: Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius *Eſaiæ* 11.
aſcendet. Radix, familia Dauidis eſt, virga, Maria, flos Mariæ, Chriſtus. Qualis ergo nobilis hæc virga ſit, ex flore, quem protulit, diiudicandum eſt. De eadem quoque fœmina Ieremias ait, Nouum fecit Dominus ſuper terram, fœmina circumdedit *Ierem.* 31.
virum. Verè nouũ, & nuſquam antea in mundo viſum, quòd ſola fœmina ſine vllo viri conſortio intra viſcera ſua circundederit virum. Magna ſanè fœminæ gloria, illum intra ſe continere, quem (vt Salomon ait) cælum & cæli cælorum capere non poſſunt. Sed *3. Reg.* 8.
vtrum maius ac mirabilius, quòd fœmina Deum circumdederit, *Apoc.* 12.
an quòd Deus ipſe fœminam circundet? In Apocalypſi enim vidit Ioannes mulierem Sole amictam, cuius pedibus Luna ſub ſtrata erat. Sol autem iuſtitiæ Chriſtus Dominus eſt. Quo quidem ſole ſanctiſſima hæc mulier amicta fuit, quæ vndique diuinæ lucis præſidiis vallata erat: ne in eius mentem aut vllum culpæ contagium, aut vlla terrenæ cogitationis labes vllo modo poſſet irrepere, ſed quidquid in ea eſſet, totum eſſet diuinum atque cæleſte. O verè beata mater, quę tota intus & foris, in corpore & anima Deo plena fuiſti: Deus enim extra te, Deus ſupra te, Deus ex te, Deus intra te. Verè enim Deus eſt extra te, circumdans, Deus ſupra te protegens, Deus ex te naſcens, Deus intra te dulciter requieſcens. Qua autem luce, quibus ſplendoribus puriſſima illa mens irradiaretur, quæ tota ſole amicta erat? Quo verò diuini amoris igne flagrabat, quę huic ſoli, hoc eſt amoris fonti adeo propinqua erat: Quod autem ex flagrantiſſimo hoc diuini amoris igne conſequi poterat, niſi vt Lunam, hoc eſt totum hunc inferiorem mundum, variis mutationibus, inſtar Lunę, obnoxium, ſubiectum teneret? Hoc autem modo tenebat, quę prę diuini amoris magnitudine omnem mundi gloriam, quam Reges & principes mundi tanti faciunt, pro nihilo putabat: hoc modo tenebat, quę tota rerum cæleſtium contemplationi ſemper intenta, nulla huius mundi cura aut cogitatione tangebantur: hoc modo tenebat, quam neque aduerſa huius mundi triſtem, neque proſpera lætam faciebant, ſed omnibus rebus mundi ſuperior facta, velut ſupra lunare cælum (quo nulla corruptionis viciſſitudo pertingit) degere videretur. Talem igitur decuit eſſe fœminam, quę ipſum mundi conditorem

ac

ac Dominum,filium ſuum poterat appellare. Cuius incomparabilem ſanctitatem Euangelicæ gratię magnitudo(quã hactenus deſcripſimus ) magna ex parte declarat. Ab hac nãque gratia hęc tanta Virginis Sanctitas emanauit,quæ Spiritus ſancti primitias omnium prima recepit ſalutis enim,quam ipſa per filium mundo attulit,vberrimum ante omnes alios fructũ percipere debuit. Olim Dominus in lege præceperat,ne trituranti
*Deu.15* boui os alligaretur,neque enim æquum eſſe videbatur , vt animal quod parandis frugibus tantopere deſeruit,laborum ſuorum expers eſſet,aut arcta menſura aleretur,qui copioſam aliis meſſem tribuit. Numquid igitur(vt Apoſtolus ait)de bobus cu-
*1.Co.9.* ra eſt Deo? an non hęc propter homines lata à Deo lex eſt? Cùm igitur hæc ſanctiſſima Virgo tota vita in redemptionis humanæ obſequio deſeruierit,quæ nõ modò(vt paulo ante diximus) carnem & ſanguinem ex immaculatis viſceribus ſuis Chriſto Redemptori præbuit,quẽ pro nobis offerret ſed ipſum etiam Redemptorem ab incunabulis enutriuit , aluit , ipſique ſtudioſiſſimè ſeruiuit,cur os eius alligandum erat? Cur redemptionis fructus communi aliorum ſanctorum menſura illi tribuendus erat,quæ & ſibi,& aliis tantopere in hoc commune ſalutis negotium incubuit.

*Matth.10* Quin & illud hãc cauſam maximè probat quod Saluator ait, Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ , mercędem Prophetæ accipiet. Cur ita? Certè,quia qui cæleſtis doctrinę miniſtrum domi recipit & fouet , eique ad victum neceſſaria miniſtrat,cum ipſo quoque Propheta ad officij ſui miniſterium,qua ratione poteſt,cooperatur. Quocirca ſicut hæreticorum fauto-
*Diſſimil.* res,hæreticorum pœna puniuntur,ita contrà Prophetarum receptores & adiutores æquum eſt vt Prophetarum præmiis afficiãtur. Si ergo ſacratiſſima hæc Virgo tantum in redemptionis noſtræ opere præſtitit,ęquum profectò eſt , vt poſt ipſum Redemptorẽ,& ſingularẽ in hoc ſeculo nominis ſui gloriã,& copioſiſſimũ atque vberrimum redemptionis fructum percipiat.

Hanc igitur,fratres,cæleſtis gratię inuentricem , & redemptionis noſtrę adiutricẽ,ſupplicibus votis veneremur, ipſam mq; vt redemptionis noſtræ miniſtram piè colamus , ipſam , vt iudicis matrem,& peccatorum aduocatam, in omni calamitate inuocemus,eius ſingulares virtutes,ac pręcipuè immaculatam caſtitatem,altiſſimam humilitatem , flagrantiſſimam charitatem,perfectiſſimam obedientiam,puriſſimam innocentiam ac poſtremò erga omnes miſeros miſericordiam(quatenus infirmitati noſtræ licuerit)imitari ſtudeamus,certiſſimum fore ſperantes

rantes,eos qui similiores illi in hac vita fuerint in vitę puritate atque innocentia,similiores etiam futuros in sempiternæ fœlicitatis beatitudine & gloria.

## In festo B.Matthæi Apostoli & euangelistæ concio prima,in qua lectio Euangelica explanatur.

THE. *Præteriens Iesus vidit hominem sedentem in telonio,Matthæum nomine.Et ait illi,Sequere me. Et surgens,secutus est eum.*Matth.9.

REFERVNT historiæ Gentilium,Apellem illũ inter pictores veteres celeberrimum , vbi perfectissimum Helenæ reginæ simulachrum absoluisset,sui quoque ipsius imaginem in eadem tabula ad viuum expressisse,quo & opus illud insigne,& operis artifex posteritatis memoriæ commendaretur.Hoc mihi sanctus Euangelista Matthæus feciſſe videtur, qui vbi totius vitæ Domini Saluatoris imaginem diuinis coloribus adumbratam ad omnium fidelium salutem & institutionem velut in tabula quadam proposuisset,se quoque ipsum,hoc est,admirabilẽ vocationem suam apertissima oratione descripsit. Quã in re tantum abest vt hac historia gloriam suam,quemadmodum Apelles,quæsierit,vt cùm officij sui,quod exercebat,ignominia,nomen quoque suum(quod cęteri Euangelistæ honoris eius gratia tacuerunt)expresserit. Cùm enim Sanctis omnibus hoc semper propositum fuerit,vt Domini sui gloriam cum sua etiam ignominia quærerent,quicquid ad eius gloriam amplificandam pertinebat,magnis vocibus prædicare curabant. Cùm autem ingens diuinę bonitatis & potentiæ gloria sit,ex vili rudique materia opus efficere præstantissimum,ideò non solùm quales ipsi facti à Deo sint,sed quales antea fuerint, diligenter cõscripserunt.Sic Paulus se Ecclesię persecutorẽ, blasphemum, & peccatorũ omnium primum aperta voce pronunciat,vt hac ratione appareat,quãtæ bonitatis & potentiæ fuerit,hoc vas irę & contumeliæ in vas electionis & gratię trãsformasse.Sic Matthæus se publicanum fuisse:ac per id temporis ad talonium sedisse,& debitorũ rationes cõputasse scribit,cùm ad euãgelici & apostolici muneris functionem est à Domino ineffabili & gratuita pietate vocatus. De hac igitur mirabili vocatione hodie dicturi,cælestem opem,sacratissimę Virginis interuentu , suppliciter imploremus.

*1.Cor.15.*
*1.Tim.1.*
*Actor.9.*

Inter

AVE MARIA.

Inter ea quæ Dñs partim admirãdis operibus, partim sacrarũ literarũ testimoniis nos docere voluit, hoc vel maximũ est, vt omnes apertè intelligamus, q æcunque habemus, sine natu-
*Actor.17.* ræ siue gratiæ, siue quæ vulgus appellat fortunæ bona, eiusdem esse gratuita beneficia. Vult igitur vt apertè intelligamus, eius beneficium esse, quod viuimus, quòd mouemur, & sumus: eius esse corpus & animã, quã is in corpus nostrum efflauit: eius esse vitã, salutẽ, vires, opes, facultates, & quicquid ad corporis vsum pertinet, qudq; his omnibus præstantius est, eius esse si quid re-
*Eccle.1.* ctè & cum pietate gerimus, loquimur, & molimur. Hoc autẽ ita esse Ecclesiasticus docet his verbis bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sũt. Sapientia, & disciplina, & sciẽtia legis apud Deum. Dilectio & viæ bonorũ apud ipsum. Hoc
*Iob.10.* item longa oratione sanctus ille Iob cũ Domino agẽs cõfitetur his verbis, Manus tuæ Dñe fecerunt me, & plasmauerũt me totum in circuitu, & sic repentè præcipitas me? Memento, quęso, quòd sicut lutũ feceris me, & in puluerem reduces me. Nónne sicut lac mulsisti me, & sicut caseũ me coagulasti? Pelle & carnibus vestisti me, ossibus & neruis cõpegisti me, vitã & misericordiã tribuisti mihi, & visitatio tua custodiuit spiritum meũ. Hac igitur oratione vir sanctus quicquid in se habebat, vni Deo acceptum referebat. Sed cùm omnia quæ habemus, in illius mu-
*2.Cor.3.* neribus & beneficiis numerãda sint, hoc tamẽ dona gratiæ præcipuè sibi vindicãt. Vsq; adeò enim quicquid rectè gerimus, il-
*Phil.2.* lius est vt ne cogitare quidẽ aliquid piè & sanctè sine eius gratiæ ope valeamus. Nõ enim sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis tãquã ex nobis, sed sufficiẽtia nostra ex Deo est. Idẽq; Apostolus alibi, Cũ metu, inquit. & tremore vestrã salutẽ operamini, Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona volũtate. Quibus verbis nõ solũ bona opera sed san-
*Ioan. 15.* cta etiã desideria diuinę gratię beneficia esse cõfitetur: cælestis verò magister appositissima similitudine hæc omnia cõplexus
*Ibidem.* est, cùm ait, Sicut palmes nõ potest ex se ferre fructũ, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Et mox Sine me, inquit, nihil potestis facere. Denique sancti omnes in patria,
*Isaiæ 26.* vbi clarissimo diuinitatis lumine fuerint illustrati, adeò apertè hoc ipsum intelligent, vt ad Dominũ dicturi sint, Omnia opera nostra operatus es in nobis Dñe. Verè enim bona opera, quæ ipsi fecimus, magis Dei quàm nostra dicenda sunt, propterea quòd is præcipuus auctor extiterit, nos verò veluti instrumẽta quadam ratione fuerimus, quæ ab illo ad benè agendũ mota

sunt.

sunt. His igitur sanctatum scripturatum test moniis, & multis aliis, quæ referre non est necesſ, non obscurè Dominus declarat, omnia bona nostra, ac præcipuè iustificationis gratiam, & æternam salutem, eius esse singularia dona.

Nec his tamen testimoniis & oraculis contentus, ipsis etiam operibus hic apertè demonstrat, cùm non modò ad gratiam suam, sed ad sublimes quoque Ecclesiæ suæ dignitates, multos hominum, nullis meritis præcedentibus, sola electionis suæ gratia vocauerit. Cuius rei multa & quidem clarissima extãt exempla. Cùm Moyses in terra Madian propter admissum homicidij crimen profugus habitaret, soceriq́ue sui oues in deserto pasceret, ad altissimum dignitatis gradum penè inuitus & modis omnibus reluctans à Domino electus est. Dauid, dum idem officium exerceret, non modò ad regni soliũ euocatur, sed etiam Spiritu sancto repletur. Amos rusticus & armentarius, & ruborum mota distringens, prophetico spiritu donatur. Sed hæc in veteri testamento. Quid in nouo, in quo meretrix tam magno dilectionis & contritionis spiritu repletur, vt oculorum suorum fluentis pedes Domini potuerit abluere? In quo etiam latro, ob insignia latrocinia morti adiudicatus, tam potenter à Domino vocatus, tantáque luce subitò cõpletus est, vt supplicij sui consortem aperta voce cælorum Regem confiteretur, & eo tempore cõfiteretur, quo Apostoli tot inspectis antè miraculis partim fugerant, partim etiam eum negauerant. Sed ad Apostolos venio. Quid promerebantur Petrus & Andreas mittentes rete in mare, cùm à Domino audierunt: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum: hoc est, faciam vos humanæ salutis auctores, Ecclesiæ principes, luminaria mundi, sal terræ, diuinorum arcanorum interpretes, seculi iudices, & cælestium thesaurorum dispensatores? Quid etiam merebantur Iacobus & Ioannes, cùm in reficiendis retibus occupati, ad eundem dignitatis gradum à Domino cooptantur? Quòd si hæc parua sunt, quid merebatur Paulus, cùm spirans minarum & cædis in discipulos Domini, Christum persequeretur, & nascentem Ecclesiam, furore infidelitatis ebrius, vbique locorum deuastaret? Mille certè gehennæ huic tanto sceleri impares esse videbãtur. Sed ô immensa & verè prædicanda diuinæ clementiæ largitas!. Quo tempore illa terra dehiscente in tartarum deturbandus erat, rapitur in paradisum, fit Apostolus, & Magister gentium, & audit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Quis in hoc opere admirando immensas diuinæ gratiæ opes non agnoscat? Veniamus ad beatum Matthæum, cuius hodie festum celebramus.

*Exod.* 13. & 4.
1. *Reg.* 16.
*Amos* 7.
*Luc.* 7.
*Luc.* 23.
*Mat.* 4.
*Ibidem.*
*Act.* 9.
2. *Cor.* 12.

mus. Quid is agebat cùm ad apoſtolici & euangelici muneris functionem vocatus eſt? Nempè ad telonium ſedebat,& publicanorum officia exercebat, qui vectigalia ab hominibus extorquebāt magis quàm exigebant. Quod quidem munus(præterquam quod vix ſine peccato &pauperum oppreſſione exerceri poteſt)vſque adeò infame apud populū habebatur,vt cùm idem Saluator profligatiſſimum hominem ſignificare vellet, ethnicum & publicanum appellaret. Quòd autē ad telonium non ſtare,ſed ſedere perhibetur,fortaſſe indicat, quàm ſecura mente turpi lucro & officio operam daret. Tres enim peccatorum gradus initio ſtatim primi Pſalmi interpretes obſeruant. Alij enim abeunt in viam peccatorum,alij ſtant,alij ſedēt. Hæc autem ſeſſio magnam in prauis operibus animi ſecuritatē deſignant. Hoc autem modo mihi Matthæus ad telonium ſedere videbatur,cùm eſt à Domino vocatus. Nihil enim minus tunc temporis animo tractabat,quàm quod illi ex immenſa Dei bonitate conceſſum eſt. O ſi nunc mihi ea mens à Domino concederetur,qua intelligere poſſem, quo affectu, qua deuotione ſancti Euangeliſtæ anima perculſa fuit, cùm hanc admirandę vocationis ſuæ hiſtoriā adeò ſimplici & breui oratione deſcriberet. Cùm enim ad mētem reuocaret, in quibus tenebris tādiu vixiſſet,ſeque nihil minus aut cogitantem, aut curantem, ſola vocantis Domini miſericordia ad tam amplum dignitatis gradum vocatum ſuiſſe,vt ex publicano Apoſtolus,ex terrenorum bonorum diſpenſatione,arcanorum cæleſtium doctor fieret: quo putatis illum animo,qua mēte,quo affectu erga illum fuiſſe qui tanto ſe munere donauerit? An non igitur ſatis his exemplis conſtat,ſingularem iuſtificationis gratiam,&ſalutem noſtram,magnificentiſſimum diuinæ benignitatis opus eſſe?

Nec ſolùm prima iuſtificationis gratia, ſed quicquid etiam in gratia conſtituti piè agimus & molimur,eiuſdem miſericordiæ beneficium eſt. Vt enim nō ſatis eſt vigentes &ſanos oculos habere,quo aliquid videamus,niſi aliunde adſit lux,quæ oculis obiecta illuminet,ita nō ſatis eſt,vt piè aliquid faciamus. mentem ſanctam eſſe per gratiam,niſi adſit etiam interna vis Spiritus ſancti, quæ nos ad operandum excitet, & nobiſcum etiam cooperetur. Quemadmodum enim rerum naturalium formæ (quamuis alioqui in ſuo quæque genere perfectæ ſint) efficere tamē per ſe nihil poſſunt,niſi adſit illis generalis primæ cauſæ omnia mouentis virtus,ita quamuis graia in genere ſuo perfecta forma ſit,nihil tamen homo ęterna vita dignum efficere poterit,niſi cum illa auctori ipſe gratię ſingulari quadā

virtute

virtute atque ratione coop- retur. Nec enim fas est, vt qua virtute Dominus adest animantibus vt fœtificēt,& plantis vt fructificent,eadem adsit animę operа æterna vita digna molienti. Alia enim virtute ad finem naturalem,alia ad supernaturalem, nempe supernaturali opus est,cū finis , & quæ ad finem ordinantur,eiusdem ordinis atque dignitatis esse debeant. Vnde liquet non modò iustificationem nostram,qua prima gratia donatur,sed quicquid etiam post primā gratiam cum pietate agimus,diuinæ clementiæ munus esse.

Quid igitur, fratres , ex hac philosophia tot testimoniis & exemplis confirmata sequitur? Primum quidem, vt quicunque peccati iugum à vobis excussistis, & ad iustitiæ ac pietatis studium translati,veteris vitæ sceleribus renuntiastis,quicunq; omnia prius perpeti,quàm lethale aliquod crimē admittere parati estis, quicunque salutis vestræ negotium rebus omnibus antefertis,nihilque apud vos prius est,quā Domino Deo vestro famulari,illum diligere,illi obsequi,illius leges & mandata seruare,hæc, inquam , omnia immensæ diuinę bonitatis liberalitati accepta ferre debetis. Fateor quidem neminē per hæc fidei certitudine scire posse se esse diuinam gratiam cōsecutum(cùm nemo scire possit, vtrùm odio vel amore dignus sit)nihilominus tamen hęc ipsa nō vulgaria diuinæ gratiæ indicia & argumenta sunt,quæ magnam piis hominibus consolationem præbent,& in certissimam spem salutis erigunt. *Eccle.9.*

Ex hac item philosophia multa alia ad salutem nostram maximè necessaria consequuntur,Hinc enim primùm vera cordis humilitas manat. Qui enim apertè intelligit, bona omnia quæ habet,à Deo se habere,qua fronte animo erigi& gloriari poterit,cùm sibi ipsi illud Apostoli dicere possit, Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti,quid gloriaris quasi non acceperis? Itaque hac ratione humilitatis virtute in animo constituta atque firmata,magnus ab ea hostis,nempe superbia,eliminatur,qua superbus homo sic diuinis abutitur,quasi illa nō à Deo, sed vel à fortuna,vel à seipso receperit. *2.Cor.4.*

Deinde ex hoc eodem fonte manat gratus in Deum animus à quo videlicet,tanquam ab omnium bonorum fonte vitam, salutem,vires,opes,& pia cuncta opera& desideria profecta esse cognoscimus. Hinc prodeunt illæ voces, Repleatur os meū laude,vt cantem gloriam tuam,tota die magnitudinem tuam. *Psal.70.* Et Benedic anima mea Domino,& omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino,& noli oblui *Psal.102* sci omnes retributiones eius. Prętera hęc eadem philosophia

Eccle. 28. stimulos dilectioni erga Deum addit. Si enim (vt Ecclesiasticus ait) secundum ligna siluæ iginis excitatur, quantus diuinæ dilectionis ignis in ea mente exardescet, quæ se tot diuinis beneficiis obsessam ac penè obrutam videt, quæ quocunque oculos conuerterit, nihil aliud quàm ingentem siluam & innumera diuinorum beneficiorum signa contemplatur? Quomodo enim non vitam suam eius obsequio mancipabit, qui se solo eius beneficio & in lucem prodiisse, & viuere, & spirare intelligit? Si enim rectè à Philosophis dictum est, Beneficium qui accipit, libertatem amittit; &, Qui beneficia inuenit, compedes inuenit: quo modo sui iuris se esse patietur, qui se totum Deo debet. Quid, quod ex hoc etiam fonte manat, vt homo supplicem se ac deuotum illi exhibeat, à quo quæ sibi desunt bona sperare debet? Quisquis enim apertè intelligit, bona omnia ab illo inexhausto bonorum omnium fonte manare: quo tandem, vbi se multis rebus, quæ ad benè beateque viuendum necessariæ sunt nudatum cernit, nisi ad illum confugiat? A quo enim præterita bona, quæ possidet, manarunt, futura etiam, quibus eget, manare debent. Videtis igitur quam præclara virtutum documenta ex hac philosophia consequantur: ad quæ tractanda occasionem nobis gratuita Matthæi cæterorumque Apostolorum vocatio præbuit.

I.

Luc. 5. Sed quoniam vocantis Domini gratiam vidimus, vocati alacritatem & obedientiam expendamus. Quam quidem Matthæus ipse tacuit, Lucas autem expressit, dicens illum relictis omnibus secutum fuisse Dominum: hoc est, reliquisse propria, qui fortè rapere solebat aliena. Tanta enim diuini Spiritus vi à Domino tactus est, tantoque sequendi illum ardore flagrauit, vt non eum pecuniarum amor, quas habebat, non lucra quæ sperabat, non reddendæ rationis vectigalium cura, non hominum iudicia, non Phariſæorum obtrectationes à sequendo Christo deterrere potuerint.

Sed hic fortasse cum aliquis tãta alacritate hunc publicanum
1. Tim. 2. videat vocanti Domino paruisse, quæret, quid sit in causa, cum Dominus, qui vult omnes homines saluos fieri, omnes ad sese incessanter vocet, alij quidem promptè & alacriter vocantem se quantur, alij verò sequi renuant? Duo sunt quæ huic quæstioni responderi solent: quorum alterum ad hominum, alterum ad diuinæ vocationis & auxilij discrimen pertinet. Cum enim omnes homines arbitrij libertate prædi ti sint, quidam hac libertate rectè vtentes vocanti Domino consentiunt, sequeilli obsequen-

tes &

tes & morigeros præbent,alij contrà ea abutés obedire renuũt, qui in vacuum gratiam Dei recipiunt.Quam rem diuus Augu ſtinus Pharaonis & Nabuchodonoſoris exemplo confirmat, quorum vterque à Deo vapulatus & plagis excitatus,alter quidem durior effectus in mare mergitur, alter emendatus reuocatur ad regnum:quia ille prauè,iſte rectè libertate ſua,& diuina vocatione vſi ſunt.Deinde id etiam prouenit ex diuinæ vocationis,diuiniq́ue auxilij varietate.Duo enim auxiliorum genera Theologi ſtatuunt, quibus Deus homines ad ſe vocare ſolet:quorum alterum ſufficiens appellant,alterum ſuperabundans,quodq́ue omnem ſuperat duritiem. Et quidem priori illo auxilio excitati homines,aliquando conuertuntur,aliquando conuerti renuunt:hoc autem poſteriori,quoniam maioris gratiæ & virtutis eſt,nemo non conuertitur. Vnde diuus Auguſtinus de hoc auxilij genere loquens,ait: Hæc gratia à nullo duro cordę reſpuitur,quia ideo datur,vt duritia cordis penitus auferatur.Vtriuſque verò auxilij vim atque naturam vobis apertiſſimo exemplo commonſtrabo.Monet Angelus Domini iuſtum Lot vt è Sodomis egrediatur,ſecumq́ue filias & generos educat,quod Dominus ciuitatem illam demoliri ſtatuerat.Hoc ille nuntium ad generos detulit,qui tamen viſus eſt eis quaſi ludens loqui,& ideo ab eis contemptus atque neglectus fuit.Cum autem Angeli inſtarent atq; vrgerent,isq́ue vt generos ſeruaret,morã faceret,apprehẽſum Angeli foras eduxerũt,& vtſeipsũ in mõte ſaluũ faceret,monuerũt. Hoc igitur exemplo cernitis,fratres,& ſanctum Lot,& generos eius fuiſſe imminẽtis periculi admonitos,ſed aliter ille,aliter iſti.Iſti namq́ue,ſi opportunè monenti obtemperare humiliter voluiſſent, à periculo liberarentur:ille verò cum exire diſſimularet,ab Angelis apprehenſus,extra periculum poſitus eſt.Ad hunc ergo modũ Dominus omnes homines à gehennæ incendiis,& peccati morte liberare volens, quoſdã quidem ſufficienti auxilio vocat,quo poſſent à peccato ſurgere,ſi vellent.quorum tamen multi(vt iſti generi Lot)ſurgere nolunt,alios tamen ſecundum voluptatis ſuæ beneplacitum maioribus auxiliis, vehementioriq́ue impulſu vocat,qui ſic à diuina gratia præuenti,& potenter excitati sẽper vocanti dño parent.Et quidẽ priꝰ illud auxilium ad omnes homines,quam latiſſimè patere Theologi definiunt,nec id quidem temerè faciunt,vt quidam immeritò reprehendunt. Quid enim aliud illa Salomonis verba indicant Sapientia foris prædicat,in plateis dat vocem ſuam,in capite turbarum clamitat,in foribus portarum vrbis profert verba

*2.Cor.6.*
*Auguſt.*
*Exod.14.*
*Dan.4.*
*Auguſt.*
*Gene.19.*
*Prou.1.*

ſua,dicens,Vſquequo paruuli diligitis infantiam? &c.Quibus verbis apertè indicatur non minus à diuino lumine colluſtrari animas quàm à radiis Solis illuminari corpora. Nec enim minus larè patet lux Solis iuſtitiæ,qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundũ,quàm huius corporei Solis lu
*Ioan.1.* men,qui flammis ſuis omnia terrarum opera luſtrat.

Cæterum poſterius hoc auxilium ad pauciores ſpectat ad illos videlicet,quos diuinæ gratiæ liberalitas hoc tanto munere donare dignatur,quę cùm nemini ad ſalutem deſit,nulliq; iniuriam faciat, qui nihil cuiquam debet ſalua integritate iuſtitię, quoſdam illo,quoſdam hoc ad ſe auxilio vocans,nec illis acuſandæ ipſius iuſtitię anſam præbet,& iſtis ampliſſimam prædicandę eius miſericordiæ materiam tribuit. Hoc igitur ſuper abundanti auxilio & Matthęus Euangeliſta, & cæteri Apoſtoli à Domino vocati ſunt.Quod idem ipſe Dominus teſtatur,cùm ait,Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos,hoc eſt, non ve-
*Ioan.15.* ſtris meritis,ſed ſingulari electionis meæ gratia,huius tanti muneris amplitudine donati eſtis.

Ex his autem quę diximus,apertè liquet,cuius periculi ſit à gratia excidere,& in lethale peccatum labi,pręſertim ſi quis in eo diutius perſiſtat. Quiſquis enim hoc facit,in manifeſtũ diſcrimẽ ſalutis ſuæ cauſam adducit.Incertum enim eſt,an Deus illum ſuperabundanti auxilio ad pœnitentiam vocet, & incertum eſt etiam,an is ſufficienti auxilio,quod nemini deeſt,vti rectè velit,cum plurimos, atque adeò innumerabiles penè videamus, qui hoc auxilio ad meliorem mentem non redeunt. Vtrimque igitur huius hominis cõuerſio incerta eſt.Quod igitur maius periculum eſſe poteſt,quàm hoc tantum ſalutis æternæ negotium in tam apertum diſcrimen conijcere? Quod quidem periculum tãto maius eſt,quanto diutiùs lapſus homo in peccato iacet.Graui namque conſuetudinis pondere preſſus tanto difficilius à peccato ſurget,quãto plura peccauit. Vnumquodque enim peccatum velut põdus quoddã eſt,quod oneri præiacenti adiungitur.Vnde iniquitas velut talẽtum plumbi
*Simile.* eſſe dicitur.Quemadmodum ergo quilvires habet,quibus quinquaginta librarum pondus portare facilè poſſit,ſi huic ponderi noua onera adiicias,difficilius illud portare valeat,ita qui à recenti peccato(quod eſſet facilius)non ſurgit, quin potius noua peccatorum pondera veteribus adiungit multò difficilius ſurget. Quid igitur hic dicent,qui,multos iam annos in peccati cœno volutantur? qui quamuis ſingulis annis ſcelera ſua confiteantur, protinus tamen ad ea reuoluuntur.Si enim,vt Pro-

pheta

pheta dicit,iniquitas est quasi talentum plumbi quo labore,qui sub tam multorũ talentorum pondere pressus iacet, à peccato surget? Vt enim rectè Adrianus Pontifex ait,Rarò homines secundum vltimum potentiæ operantur,quod hac in re opus est, cùm peccati onus tot scelerum accessionibus fuerit auctum. Videtis ergo,fratres,cuius periculi sit à gratia Dei excidere, & in peccatis diu perdurare,Sed ad sequentia veniamus, *Adrian. Pontifex.*

II.

Sequitur enim diuum Matthæum splendidum in domo sua conuiuium Domino apparasse. Quod quidem magnum alacritatis & lætitiæ quam de conuersione sua conceperat,argumentum est. Legimus Herodem,qui infœliciſſimè natus est: natalis sui diem,conuiuio magnifico celebrasse. At quanto iustius Matthæus Euangelista hunc vocationis suę diẽ celebrauit,quo in nouam vitam non corporis, sed animę nec temporariam, sed æternam diuina vocatione animatus est, vel certè à morte ad vitam excitatus? quemadmodũ & de luxurioso filio ad pœnitentiam conuerso pius pater ait: Mortuus erat & reuixit,perierat,& inuentus est. Legimus item Abraham Patriarcham magnum conuiuium fecisse, quo die Isaac dilectissimum filium ablactauit,quòd iam puer à lacte depulsus adoleuisset, solidioríq; deinde cibo nutriẽdus esset. At Matthæus noster animaduertens se à fallacibus & venenatis mundi deliciis atque opibus ablactatum,& ad cœlestis gratiæ epulas inuitatum, vel(vt apertius loquar)à diaboli seruitute manumissum,& ad libertatem filiorum Dei translatum,conuiuium hoc multo splẽdidius apparauit,quo animi sui alacritatem & pium affectum testaretur. Quid ni hoc faceret tanto munere donatus? Qua,quæso,lętitia exultaret homo,ab aliquo tyranno captiuus: & ferreis catenis alligatus, & in obscurissimo carcere positus,si ab aliquo principe solueretur,& in libertatem assertus magis opibus ab eo ditaretur? Quanto ergo maiori lętitia afficitur, qui diuinæ lucis splendore collustratus,horrendas peccati tenebras,& dutissimam peccati seruitutem,in qua tam diu iacuit,animaduertens,vera libertate veríque diuinæ gratiæ opibus se locupletatum cernit? Quo enim captiuitas animę quàm corporis durior,& quo cœlestes opes terrenis præstãt,hoc alacritas & lętitia hæc maior est. Quam quidem lętitiam diuus Augustinus perceperat,cum hac diuina luce illuminatus & à peccati seruitute liberatus ad Dominum clamare cœpit, O, Domine,quia ego seruus tuus,ego seruus tuus,& filius ancillæ tuæ. Dirupisti vincula mea,tibi sacrificabo hostiã laudis,&c. Huius verò cę- *Gene. 21.* *Simile.* *August. in Confes Psal. 11.* *August. Ibidem.*

leſtis luminis & libertatis effectus mox explicat, dicens, Quàm ſuaue mihi ſubito factũ eſt carere ſuauitatibus nugarũ, & quas amittere metus erat, tunc dimittere gaudium fuit. Quibus verbis conceſſam à Domino libertatem apertè demõſtat, quando ferreum cupiditatis iugum, quod ad illud vſque tempus excutere à ſe nõ potuerat, tũc excuſſum prius ſenſit, quam ipſe excutere conaretur. Hæc igitur noua ac verè mirãda humani cordis commutatio atque libertas huic lętitię materiã præbet. Vnde cùm Iſaias lætitiæ huius magnitudinem aptiſſima ſimilitudine lætas ſegetes metentium, atque victorum ſpolia diſtribuẽtium expreſſiſſet, lætitiæ protinus cauſam ſubiecit, dicens, Iu-

*Iſaiæ 9.* gum enim oneris eius, & virgã humeri eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti. Quibus verbis tum hoſtis antiqui, tum cupiditatis noſtręimmanitatem atque potentiam deſignauit, à qua ſupernæ gratię beneficio, qui à Domino vocati ſunt, libe-

*Actor. 8.* rantur. Eandem etiam lętitiam nobis repræſentat Eunuchus ille Candacis Reginę vbi Philippo cœlitus ad ſe miſſo, Chriſti myſterium atque diuinitatem agnoſcens, & ab eodem baptiſmi gratiam recipiens, hac vera libertate & gratia, cęleſtibúſque

*Ibidem.* diuitiis donatus eſt. Sic enim de eo ſcriptum legimus, Ibat autem per viam ſuam gaudens. Quid ni gauderet, qui ex diaboli mancipio ſe in regnum & libertatem filiorum Dei mirabiliter tranſlatum vidit? Eandem quoque hodie lætitiam Matthæus noſter facilè oſtendit, cum hoc tam magnificum Domino epu-

*Lucæ 15.* lum, cęteriſque amicis & publicanis præparauit. Hoc enim perinde eſt, ac ſi cum bono illo & ſolicito paſtore diceret, Congratulamini mihi quià inueni non ouem quam perdideram, ſed me ipſum qui perieram. Vt autem vos fratres, huius percipiendæ lætitiæ deſiderium capiat, illud vos admonitos velim, hanc lætitiam, quæ initio conuerſionis oritur, maiorem aliquando

*Simile.* eſſe, quam, quę ab adultis in virtute ſentitur. Vt enim qui ruri ſemper vixerunt, vbi in inſignem aliquam & opulentiſſimam ciuitatem venerunt ſi ea præſertim celebri emporio, & portu nauibus referto ornata ſit, quocunque deflexerint oculos, velut admirabundi non ſine magna voluptate vrbis mœnia, amplas ædes, nauéſque quas nunquam viderant, demirantur, quę tamen admiratio poſt aliquot dies vſu ipſo decreſcit, ita planè quicunque in abiectiſſimo ſceleratę vitæſtatu vixerunt, vbi ad amplas diuinæ gratiæ opes percipiendas & contẽpandas euecti ſunt nunquam ſatis tantam rerum dignitatem, & nouitatem mirari poſſunt, quæ tamen admiratio, vbi diu rebus diuinis aſſueuerunt, minor eſſe nonnunquã inçipit: quam cũ noua

fuit.

fuit.Rerum enim nouitas in rebus etiam ſpiritualibus,ſicut admirationem maiorem,ita maioréquoque lætitiæ cauſam affert. *Auguſt.*

Eadem verò alacritas effecit, vt Matthæus omnes alios ad Chriſtum adducere,& fœlicitatis ſuę participes efficere voluerit.Hoc enim inter cœleſtium & terrenorum bonorum amorem diſtat,quòd terrenorum amor quanto eſt maior,tanto magis recõdere&ſeruare ſibi ſtudet ea quæ amat,cœleſtiũ verò amor quo maior eſt,eo magis cõmunicare omnib⁹ſtudet quod ipſe diligit. Hinc diuus Auguſtinus,Vbi, inquit, guſtaueram *Auguſt.* Domine lumen tuum frendebam quod aliis indicare non poſſem,hoc eſt,quo magis gratię tuæ opibus fruebar,eo ardentiùs cęteros ad eas inuitare ſitiebam:eorum videlicet ſortem miſeratus,qui tantorum bonorum extorres eſſent:Nec diuus Auguſtinus modò, ſed quicunque his deliciis atque opibus fruuntur,quicunque torrente diuinæ voluptatis potantur, adeò ſitienter hæc eadem cæleſtia dona cęteris cõmunicare appetunt, vt ſi fieri poſſit,per publicas vias & plateas ingredi, & ad eunctos mortales vociferari vellent,O filij Adam,quid facitis?quid quęritis?cur vos ipſos vano labore confidetis:cur verę fœlicitatis fonte relicto per lacunas putridas & peſtilentes,quęſitum veſtram non extinguere,ſed acuere poſſunt,deerratis? Oquas delicias, ô quas diuinæ gratiæ opes, quę vobis ad manum & in promptu ſunt poſitæ,ad quas à Deo ficti & informati eſtis amittitis!O quàm facili negotio,quàm modici labore theſaurũ indeficientem:cæleſtes opes,aquam ſapientię,inæſtimabiles *Prou.8.* delitias vobis parare liceret!Vſquequo ergo paruuli diligitis infantiam:& ſtulti ea quæ ſunt ſibi noxia cupient,& imprudentes odibunt ſcientiam?Conuertimini, inquit diuina Sapientia ad correptionem meam.En proferam vobis ſpiritum meum, Spiritus autem meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum. Hoc ergo ſpiritu, hoc eodem affectu ſanctus Matthæus publicanos & amicos adduxit ad Dominum, vt eius diuino colloquio & conuictu ineſcati, relictis terrenis cupiditatibus & lucris,eundem Dominum exemplo ſuo ſequerentur,eiuſdémque fœlicitatis & gratię participes fierent.Hoc eſt autem quod in Apocalypſi Dominus præcipit,cumait,Qui audit dicat, Veni. Hoc item quod ipſe in tabernaculi fabrica *Apoc. 22.* deſignauit, cum eius cortinas ſic inter ſeſe colligari præcepit, vt cortina cortinam traheret.Hoc autem in Eccleſia fit cum is qui diuino amore incenſus eſt,alios incendere,&ad Chriſtum *Exod.26.* trahere contendit.

Sed dum Matthęi laudes perſequimur,Domini laudes obli-

ti ſumus. Quis enim hanc tantam Domini humilitatem cum ſumma charitate cõiunctã ſatis mirari queat? cùm animaduertat, cœlorum Dominum, Angelorum Regem, & totius naturæ conditorem, qui in ſinu Patris fœliciſſimè accumbit & requieſcit, ita ſeſe ſalutis noſtræ gratia demiſiſſe, vt non ſolùm terras inuiſere, & cum hominibus verſari, ſed etiam inter publicanos & ſordidos atque infames homines ad menſam accumbere, cibum vna capere, miſcere colloquia non erubuerit, vt ipſos lucrifaceret. O quàm verè te medicum hoc in loco appellaſti, Domine! Medici enim eſt, non inter ſanos, qui medico non egent, ſed inter ægrotos verſari. Medici eſt, vulnerum ſaniem atque putredinem nõ horrere, ſed ea admotis manibus fouere, circumligare atque tractare. Indignum vobis ô Phariſæi videtur, quòd ſe Dominus ad publicanorum conuiuia deiecerit. Ego verò cõtrà aſſeuerãter dico, longè dignius & excellẽtius eſſe hoc, quàm cœlum & terram condidiſſe. Alterum enim omnipotentiæ, alterum diuinæ bonitatis immenſas opes declarat. Magis autem Dominus de bonitatis ſuæ magnitudine, quàm de potentiæ viribus gloriatur. Bonitatis verò proprium eſt, omnes alios bonos, hoc eſt, ſui ſimiles efficere. Quòd ſi huius rei gratia maieſtatem ſuam Dominus abiicit atque demittit, quo ſeſe hac de cauſa magis demiſerit, hoc maiora bonitatis & benignitatis ſuæ documenta & exempla conſtituit.

III.

Nemo tamẽ ex hoc loco anſam arripiat cum prauis hominibus verſandi. Aliud enim perfectis, aliud imperfectis, aliud in virtute confirmatis aliud infirmis conuenit. Ad hos autem Apoſtolus ait, „Scripſi vobis in epiſtola, nõ cõmiſceri fornicariis, non dico fornicariis huius mundi, (alioqui debueratis de hoc mundo exire) ſed ſi is qui frater nominatur fornicator eſt, aut
*1.Cor.15.* immũdus, aut auarus, cum huiſumodi nec cibum ſumere. Cor-
*1.Cor.5.* rumpunt enim bonos mores colloquia praua, &, Modicum fer-
*Eccl.13.* mentum totam maſſam corrumpit. Qui enim (vt Sapiens ait) tangit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicat ſuperbo, induet ſuperbiam. Vnde liquet, facilius eſſe bonos malorum cõſortio corrumpi, quàm malos bonorum ſocietate meliores fieri.
*Gregor. Theolog.* Hæc eſt enim magna illa generis humani miſeria, quam Gregorius Theologus lamentatur his verbis, Hoc eſt quo vitium probitatem maximè ſuperat, quodque ipſe animaduertens indigniſſimè acerbiſſimeque fero, quod cum res facilè imitabilis & prompta ſit improbitas, nihilque minoris negotij difficultatiſque ſit, quàm malum fieri, etiam ſi nemo ducem ſe nobis ad

vitium

vitium præbeat, rara tamen atque ardua est virtutis adeptio, quamlibet multis modis ad eam inuitemur atque trahamur. Quod etiã ipsum à beatissimo Aggęo animaduersum mihi fuisse videtur, cùm admiranda illa verisimaque imagine vteretur, Percũtamini ex lege sacerdotes: Num si caro sancta in veste cibum aliquem, aut potionem, aut vas denique aliquod tetigerit, rei admotæ sanctitatem protinus allatura est? Quod cùm sacerdotes pernegassent, Percuntamini rursus, inquit, si qua res impura, hoc est, si pollutus in anima ista omnia tetigerit, num polluetur? Responderunt Sacerdotes, Polluetur. Caro ergo sancta non sanctificat quæ tangit, caro verù polluta polluit. Quibus verbis hoc significare videtur, virtutem eiusmodi esse, vt eã homines nõ nisi summo labore adipisci queãt: quemadmodũ nec humida materia ignem facilè concipere solet: cõtrà verò ad vitiorum sordes omnes ferè mortales promptos propensosq; esse, non secus, vt opinor, ac stipula ad ignem ob naturæ siccitatem facile accenditur atque consumitur. Citiùs enim exiguum vitium vberrimè largissimeque cuipiam impartiri queat, quàm vel copiosissima virtus parcè communicari. Nam & exiguum absinthium amatorem suum melli celerrimè impartierit, mel contrà nec duplo quidem maius dalcedinem suam absinthio infuderit. Ac paruo quidem lapide submoto flumen totum in pronum trahitur, eiusdem autem impetus firmissimo etiam aggere cohiberi reprimique vix potest. Hæc Theologus. Quæ vir sanctus ad imperfectorum hominum doctrinam prudenter admonuit: cùm viris tamen perfectis, qui cautè se gerunt, non magis aliquid ex malorum contubernio accedat, quàm Solis radiis ex immũdissimarũ rerũ contactu, quas quotidie attingũt.

*Agg. 2.*

*Simil.*

*simil.*

Pharisæi autem personarum discrimina ignorantes, incognita causa sententiam aduersus Dominum pronuntiarunt, vnde ad eius discipulos aiunt, *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester?* Mos est eorum qui vel ambitionis, vel inuidiæ morbo laborant, virtutibus quas in aliis vident & quibus ipsi carent, indigna vitiorum nomina imponere, vt ipsi quidem nõ virtutibus illis carere, sed ab illis vitiis se immunes esse ostentent, sic igitur Pharisæi, cùm non essent ea humilitate & charitate præditi, vt se ad huiusmodi contubernia propter infirmorum salutem demitterent (quòd ea res eorum existimationi officere videtur) ne harum virtutum laudibus inferiores. Domino apparerẽt, virtutibus eius turpia vitiorum nomina imposuerũt, quò ipsi non his virtutibus carere, sed magis ab hoc crimine alieni esse conferentur. Sic videmus illos qui vix vnquam

ad diuina

ad diuina sacramenta, nisi ferè coacti, accedunt, eos insectari atque mordere, qui illa deuotius frequentant. Cum enim religionis & officij huius commẽdatio in eorum dedecus cedat qui ea carent, illi contrà non quidem virtutis, sed temeritatis & audaciæ religioni nomen imponunt, vt ita demũ ipsi non parum religiosi, sed minimè audaces & temerarij esse iudicentur.

Cęterùm Dominus nihil hac improborum obtrectatione cõmotus appositissima similitudine eorum calumniam elusit. *Non est*, inquit, *opus valentibus medicus, sed malè habentibus. Euntes autem discite, quid est quod per Oseam Dominus dixit, Misericordiam volo & non sacrificium.* Vox planè atque sententia Deo autore digna, quæ maximè immensam eius in genus hominum bonitatem & charitatem declarat. Cùm enim sacrificiorum religio ad Dei gloriam pertineat, misericordia verò ad leuandas hominum miserias spectet, quanta illa Dei bonitas & charitas est, quæ sui quodammodo oblita, ad hominum miserias subleuandas intentos nos esse vult, immo vero opus hoc sacrificij nomine donat. sic
*Heb.13.* enim per Apostolum ait, Beneficentiæ autem & communionis nolite obliuisci talibus enim hostiis promeretur Deus. Hoc
*Caiet.* autem inter vtrumq; sacrificij genus intercesse Cardinalis Caietanus ait, quòd misericordiæ sacrificium ex natura sua Deo gratum est, vitulorum autem mactatio, nisi religionis virtute condiatur, nihil habet cur Deo, solius virtutis amatori, grata sit. Qui quamuis omnibus virtutum officiis maximè capiatur, misericordiam hoc in loco se maximè diligere profitetur, quam sacrificiis anteponit. Cuius rei causa esse videtur quòd cùm is
*Psa.144* misericordiam præcipuè colat? miserationes enim eius super omnia opera eius) non potest, cùm seipsum diligat, sui similes
*simile.* non diligere: cùm similitudo conciliatrix moris sit. Vnde sicut aquilam ferunt pullorum suorum generositate ad Solis radios explorata, quos oculis inconniuentibus Solis splendorem sustinere viderit, tanquam legitimos filios, sibique similes diligere atque nutrire, cæteros autem tanquam nothos, suique dissimiles à nido abigere, ita summus ille misericordiarum Pater in extremo iudicio misericordes homines, hoc est, paternæ misericordię sectatores, intra sinum gloriæ suæ amanter excipiet: crudeles autem & immisericordes procul à conspectu & complexu suo præcipites in tartara dabit.

Cùm autem duplicia esse constet misericordiæ opera, quorum quædam ad corporum, quædam ad animarum salutem spectant (& hæc quidem tanto sint illis nobiliora, quanto anima corpori, & spiritualia bona corporeis præstant) S. Matthæus

harum

harum præcipuè ſtudio omnẽ vitam ſuam dicauit. Quod enim aliud munus Apoſtolo & Euangeliſtæ propoſitum eſt, quàm omnia vitæ ſtudia ſaluti animarum impendere, & pro illis, cùm opus ita fuerit, vitam ipſam & ſanguinem fundere? Vtrumque autem beatus Matthæus præſtitit: qui in Ætiopiam profectus (quæ illi prouincia in diuiſione orbis terrarum obtigerat) immanes & barbaras nationes ad fidei & pietatis cultum doctrina & miraculis adduxit: & regio puero è morte ad vitam reuocato, Regem patrem cum vxore, & totam prouinciam ad fidẽ Chriſti conuertit. Sed Rege hoc defuncto: Hirtacus quidam regnum obtinuit, qui Iphigeniam prioris Regis filiam ſibi vxorem optabat. Matthæus verò (quo autore virginitatem illa vouebat) vt in ſancto virginitatis propoſito perſiſteret, eandem hortatur, Hirtacus igitur moleſtiſſimè ferens Iphigeniæ virginitatem conſtanter ſuis votis obſiſtentem, Matthæum (quem eius conſilij autorem eſſe nouerat) ad altare ſacra facientem gladio cofodi iuſſit. Atque ita beatus Matthæus & Apoſtoli, & Euangeliſtæ, martyriſque coronam adeptus eſt. Cuius ſempiternę fœlicitatis Chriſtus Dominus participes nos efficere dignetur, qui cũ Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorũ. Amen.

## In feſto B. Matthæi Euangeliſtæ concio ſecunda: in qua ſanctorum quatuor animalium myſtica viſio, quam Ezechiel propheta vidit explicatur.

THEMA. *Similitudo vultus animalium, facies hominis, & facies Leonis à dextris ipſorum quatuor: facies autem bouis, à ſiniſtris ipſorũ quatuor, facies autem aquilæ deſuper ipſorum quatuor.* Ezech. 1.

QVoniam Eccleſia hodie beatiſſimi Matthæi Euangeliſtæ feſtum diem celebrat, non alienum erit ſacram Ezechielis prophetæ viſionem, quę quatuor illa myſtica animalia deſcribit, in præſenti concione, Domino aſpirante, explicare. Hæc enim animalia, ſanctorum Euangeliſtarum, & perfectorum virorum mores, officia & dignitarem deſignare, Eccleſia in hac ſacra ſolemnitate declarat, cùm ad Dominum loquens, ait. Tu inſignes Euangelij prædicatores animalium cæleſtium figura præſignaſti. His namque cæleſte munus collatum glorioſis indiciis es dignatus oſtendere. De hac igitur myſtica mirabiliq; viſione, quæ ſancti Patres conſeruarunt, quæque temporis anguſtiæ

ſtiæ permiſerint, hodie dicturi, cæleſtem opem ſacratiſſimæ Virginis interuentu, ſuppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Simi. Quemadmodũ Medici, cum ægrotos animaduerterint faſtidio labore, & ob eam cauſam de vita periclitari, varios modos condiendi cibos, quærunt, vt quod ſub vna ſpecie & condimento faſtidium parit, ſub alia iacentem atque proſtratum edendi excitet appetitum, ſic diuina ſapientia, cum homines videret ſpiritualis doctrinæ pabulum faſtidire, varias eius tradendæ rationes excogitauit, vt quod ſub vna doctrinæ ſpecie faſtidium forte infirmis pariebat, ſub alia faſtidientis animæ palatum alliceret. Quædam igitur tradit ſimplici doctrina, quædam hiſtoriæ dulcedine atque ſuauitate, condit, quædam claro & aperto ſermone pronunciat, quædam verò parabolarum & figurarum inuolucris ſolicitè inquirenda proponit. Eſt autem poſtremum hoc docendi genus maximè copioſum & fecundum, quia cum non propriis, ſed tropologicis verbis vtatur, plures interpretãdi rationes admittit, cum inducta ſimilitudo ad multa variè poſſit accommodari. Habet illud præterea hæc docendi ratio quòd quò obſcurior ac difficilior ad intelligendum eſt, hoc magis religioſas mentes ad recondita myſteria indaganda ſolicitat. Nõ enim temerè dictum eſt,

Ouid. *Nitimur in vetitum ſemper, cupimúſque negata.*

Exemplo nobis erit admirãda hæc Ezechielis viſio quæ tot penè myſteriis quot litteris referta eſt. Hunc enim Prophetam Dominus ſpiritu ſuo repleuit, atque eum, vt concaptiuis Iudæis
Orig. vaticinari poſſet, Babylonem miſit. In quo apparet quod Origenes hoc in loco adnotauit, hoc eſt, nunquam iuſtitiam Domini adeò ſeueram eſſe, vt aliquo miſericordiæ temperamento vacet. Iuſtitiæ enim fuit, peccatorem, populum captiuitate, & exilio punire, miſericordię autem, Prophetam hunc ſpiritu ſuo replere, & ad illum erudiendum, atque ab impietate reuocandum mittere.

Cæterum, quoniam prophetarum omnium ſtudia in promouenda hominum ſalute maximè intenta erant: hanc verò ſalutem per Chriſtum conſtituendam eſſe ſciebant: ideo prima Ezechielis viſio, Chriſti Domini aduentum, Euangelij prædicationem, & eorum mores qui eſſent Euangelium annunciaturi, ac poſtremò ſalutem & conuerſionem gentium, eorum opera perficiendam, continet. Sic igitur Propheta exorſus eſt: Cum eſſem in medio captiuorum iuxta fluuium Chobar, aperti ſunt cæli & vidi viſiones Dei. Vidit igitur Propheta triumphalem curtũ. mira variarum rerum ſpecie inſignitum. In excelſo enim cur-

zus loco Hironus positus erat, cui insidebat hominis similitudo, ignis splendore circumamicta. Currus autem quatuor rotis mira arte elaboratis nitebatur. Rotas autem & currum ipsum, quocunque esses eundem deferebant quatuor animalia, mirabili quoque ac planè stupenda forma decorata, Sancti autem Patres hoc in loco esi qui supra currum sub imagine hominis in solio sedebat, Christum Dei filium humana carne vestitum interpretantur. Animalia verò, quæ currum deferunt, Apostolos & Euangelistas, omnesque perfectos & Euãgelicos viros intelligũt, qui incarnati Verbi notitiam & gloriam, lætumque Euangelij nuntium per vniuersum mundum detulerunt. Si quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Rotæ verò quæ ad animalium motum mouebantur, fideles populos designant, qui Apostolorum doctrinam amplectentes, eiusdemque fidei vestigiis insistentes, communi Domino famulantur. Sunt autem rotæ volubiles, vt hoc iudicio obedientiæ promptitudinem & alacritatem, quæ in subditis populis esse debet, agnoscamus. Sed his omissis, animalium figuras, quæ viros Euangelicos atque perfectos designant, diligentius inspiciamus. Hodie namque perfecti viri, vel perfectionis studiosi à nobis instituendi sunt. Cum enim sapientibus & insipientibus, hoc & perfectis & imperfectis debitores simus, vtrosque salutaribus præceptis instituere debemus Illud autem in primis animaduertendum est, vnumquodque ex his animalibus quatuor habere facies: videlicet hominis, vituli, leonis & aquilæ, quæ in superiori loco erat. Vnumquodque item quatuor habebat alas: quarum duæ erectæ, simulque coniunctæ erant: duæ verò reliquæ corpora eorum tegebant, Sub singulis autem alis totidem manus suppositæ erant. Aspectus autem eorum, quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum. Pedes autem eorum recti erant, qui tamen in pedis vituli formam desinebant. Facies autem eorum, & pennæ sursum porrigebantur. Quodque his omnibus mirabilius est, cum facies, manus, pedes & alæ certo numero definitæ essent, oculorum tamen nullus erat definitus numerus: quandoquidem totum eorum corpus (vt Ioannes in Apocalypsi ait) oculis vndique antè & retro perfusum erat. Hæc de animalium figura. De motu verò ipsorum subdit Propheta, Vbicunque erat impetus spiritus illuc gradiebantur, nec reuertebantur cum incederent. Vnumquodque autem ante faciem suam ambulabit, & animalia ibant, & reuertebantur in similitudinem fulguris corruscantis. Hæc, & multa alia, quæ longum esset recensere, multoq; longius

*Psal. 18.*

*Apoc. 4.*

vno

vno sermone explicare, his animalibus Propheta tribuit. Quis igitur nō apertè videat, hæc omnia mysteriis esse referta? Quis porrò adeò stupidus & mentis impos erit, qui non cupiat, hæc ipsa, quę clausula, & mysteriis plena sūt, sibi reserari? Quis autē prouinciā hanc sine diuini spiritus magisterio audeat attentare? Audeo enim dicere, tantum mysteriorum, tantumq; spiritualis doctrinæ in hoc primo Ezechielis capite esse recōditum, vt quicquid omnes qui spiritualis vitæ præcepta tradiderunt, literis mandarunt, mira docēdi ratione hoc vno capite cōtineatur. Quę tamen doctrina purgatas auditorum mentes, & spiritualis perfectionis studio incensas requirit. Quòd si non omnes, quotquot hic adsumus, huiusmodi aures habemus, nihilominus tamē hac sublimi & cælesti doctrina, quantum nobis ad Christianę virtutis perfectionem desit, intelligere poterimus, qui non contēnendus huius doctrinæ fructus est. Sed iam rem ipsam propiùs attingamus. I.

Diximus his quatuor animalibus Euangelicos viros adumbrari. Vnumquodq; autem eorum quatuor facies habere dicitur, quibus quatuor præcipuæ ipsorum virtutes significantur. Habet enim primùm omnis vir sanctus aquilæ faciem. Aquila autem (vt scitis) altissima loca petit, & minimè cōniuentibus oculis Solis fulgorem contemplatur, neque ad ima se deiicit, nisi cùm famis necessitas vrget, qua expleta, rursus ad sublimia recurrit, ibique tanquam in propria statione commoratur. Quid autem magis ad viuum sanctorum hominum vitam & studia repręsentat, quorum omnis penè commentatio in cælestium rerum cōtemplatione versatur? Vnde quidam ipsorum ait, Nostra conuersatio in cęlis est, non contemplantibus nobis
*Philip. 3.* quæ videntur, sed quæ non videntur. Quę enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna De viro item iusto canit Ecclesia, quod in hac peregrinatione solo corpore cōstitutus, cogitatione & auiditate in illa ęterna patria conuersetur. Ad hoc autē officium fideles Apostolus inuitat, cùm ait, Si
*Coloss. 3.* consurrexistis cum Christo quæ sursum sunt quęrite, vbi Christus est, in dextera Dei sedens, quę sursum sunt sapite, non quæ super terram. Quid autem aliud nos sanctorū Anachoritarum exempla docent, qui vitam omnem in diuinarum rerum contemplatione insumentes nunquam se ad infima hæc & terrena bona demittebant, nisi quantùm ineuitabilis corporum neces-
*1. Tim. 6.* sitas flagitabat. Habentes enim alimenta, & quibus tegerentur, his contenti erant, nec aliud præterea captabant, ne rerum terrenarum

renatũ curã à cælestium rerum contuitu auocarentur. Hæc prima sanctorum hominum virtus est, aquilæ facie designata.

Sed non satis est Euãgelico viro aquilæ faciem retinere, nisi hominis quoque faciem gestet. Debet namq; is humanitatis & benignitatis studio se hominibus accommodare, doctrinis erudire, exemplis excitare, beneficiis deuincire, modestè ac placidè se erga omnes gerere, patienter eorum siue iniurias, siue contumelias tolerare, omnibusque sese amabilem exhibere, nemini offendiculum præbere: eorumque moribus quibus cum viuit, sine vlla tamẽ diuinæ legis offensione, se adaptare, vt sic omnes ad pietatẽ allicere, & Christo lucrifacere valeant. Quàm præclarè autem hãc hominis faciem Paulus induit, qui Iudæis & gentibus, sub lege, & sine lege viuentibus, ita se accommodabat, vt meritò dicere posset, Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos! Quid verò illud ad Thessalon. Facti, inquit, sumus tanquam paruuli in medio vestri, tanquam nutrix quæ foueat filios suos, ita desiderantes vos cupidè, volebamus tradere vobis non modò Euangelium, sed etiam animas nostras, quoniam chariſſimi nobis facti estis? Quid verò illud? quàm apertè aquilę faciem in hominis faciem se commutasse testatur, cũ ait, Siue mente excedimus, Deo, siue sobrij sumus, vobis? hoc est, ab altissima illa contemplatione, qua sicut aquilæ incõmuentibus oculis diuinæ pulchritudinis splendorem contemplamur, quaque à nobis ipsis excedentes ad sublimia & inaccessa hominibus eleuamur, ad ea nos docenda dimittimus, quæ infirmitati vestræ apta sunt, videlicet, non quid ipsi Deo teste sentiamus, sed quid imbecillitati vestræ expediat considerantes. Iam verò Saluator ipse, qui Verbum inuisibile erat apud Patrem, nónne veram hominis formam induit, vt se hominibus in humana forma agnoscendum, amandum atque imitandum præberet? Quid cum in præsenti Euangelio cum publicanis & peccatoribus cibum capit? an non hac etiã ratione hominis faciem sumpsit, vt homines saluos faceret?

*1. Cor. 9.*
*1. Thess. 2.*
*2. Cor. 3.*
*Matth. 9.*

Nec satis est has duas habere facies, nisi bouis quoque imaginem sumas. Bos animal est laboris patiens, & mactationi atque sacrificio destinatum, quo nomine mortificationis virtus rectè significatur, quæ ad spiritualem vitam maximè necessaria est. Primùm enim cùm spirituali viro hoc sit propositum, vt mundo mortuus, Deo viuat, & compressa carnis cupiditate, spiritu ducatur, ac postremò vt, iuxta Apostolum, Dei imitator tãquam filius chariſſimus esse velit, quonam modo spiritualis ac diuinus esse poterit, nisi carnalis esse desinat? Quomodo autẽ sat-

*Ephes. 5.*

nalis esse desinet, nisi carnis cupiditates resecauerit? Præterea si, vt Apostolus ait, non habitat in me, hoc est, in carne mea bo-
*Rom. 7.* num, immò verò omnium ferè vitiorũ germina in illa ex peccato relicta sunt, qui fieri potest, vt ego vir bonus sim, nisi diligenter in resecandis his prauis germinibus, quæ à carne mea pullulant, occupatus fuero? Hoc autem continuũ studiũ sponsa sibi proposuisse testatur, cùm ait, Manus meæ distillauerunt
*Cant. 5.* myrrham, & digiti mei pleni sunt myrrha probatissima Mirrhę autẽ nomine mortificationis studium designari perspicuũ est. Sponsa verò manus digitosque myrrha probatissima sibi plenos esse ait, quia præcipuum Christianæ vitæ officium in subigenda carne, eiusque cupiditatibus comprimendis positum est. Hoc autem citra laborem & contentionem fieri non posse constat.

Quo in loco illud animaduertendum est, non tam in cha-
*Simile.* ritate, quæ Christianæ vitæ finis est, quàm in via qua ad charitatem peruenitur, laborem omnem positum esse. Videmus enim humentia ligna, cùm ab omni humore defecata fuerint, si igni admoueantur, nullo negotio ignem concipere. Hoc autem exemplo discimus, non tam in charitate, quàm in animæ præparatione ad perfectionem charitatis totum huius negotij pondus atque laborem existere. Nisi enim pellatur cupiditatis humor, locum habere nõ potest charitatis ardor. Labor autem non tam in percipienda charitate, quàm in expellenda cupiditate positus est. Videtis ergo, fratres, quàm sit vituli facies, hoc est, mortificationis virtus, perfectis viris necessaria? Multi enim faciẽ aquilæ & hominis gerant, qui tamen vituli faciem habere recusant,
*1. Cor. 9.* quia mortificationis laborem refugiunt. Non fugiebat tamen ille qui dicebat, Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cum aliis prædicauero, ipse reprobus officiar.

Quanta verò facies leonis esse dicitur, quo fortitudo intelli-
*Prouer. 30.* gitur, sic enim legimus: Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum. Cum autem duæ sint huius virtutis actiones, quarum altera est ardua opera constanter aggredi, altera verò aduersa patienter tolerare, posterior hæc actio priore præstantior esse dicitur. Hac autem virtute Apostoli, cæterique Euan-
*1. Cor. 4.* gelici viri ita claruerunt, vt spectaculum facti sint Deo, Angelis & hominibus. Hac item virtute & mundi redemptio celebrata, & Ecclesia fundata & stabilita est. Christus enim Dominus per patientiam crucis mundum redemit, sibique Ecclesiam desponsauit. Vnde patientia eius, nuptialis vestis esse dicitur, qua indutus fuit, cùm sibi Ecclesiam in cruce desponsauit. Apostoli verò & Apostolorum sectatores, Martyres, insuperabili patien

tiæ ro

ciæ robore fidem & Ecclesiam fundauerunt, & ad nos integram inuiolatamque transmiserunt. Vsque adeo enim horrenda mortis supplicia non formidabant, vt multi etiam sitienter appeterent. Vnde cùm ex militibus beati Mauritij (cuius crastina die festum celebrabimus) decimus quisque ad mortẽ propter Christi fidem peteretur, viri sancti quodamodo inter se contendebant, vt alius ante alium iugulum carnifici præberet, ne desiderata martyrij corona fraudaretur. Prisca verò nobilis Senatoris filia, cum Christiani iussu Præfecti occiderentur, Præfectum grauiter accusabat quòd cum esset nobilis & ingenua, ignobiles illi in supplicio anteferrentur. Quidam verò martyr sanctissimus, cum immanissimè torqus vocem nullam doloris indicem emitteret, à iudice rogatus, quonam modo intet tot dolorum aculeos vocem & gemitum contineret? Quoniam, inquit, disciplina Christianorum est, silentium seruare cum orant. Quid igitur hac patientia mirabilius? Hac igitur patientia Ecclesia Christi stabilita atque defensa est, ne portæ inferi prævalerent aduersus eam. Quæ si sanctis Martyribus defuisset, hodie Ecclesiam nullam haberemus. Videtis ergo quomodo ad propagandam fidem, & Christi gloria n atque triumphum per omnes nationes prædicandum, talibus ministris opus erat, qui leonis, bonis, hominis & aquilæ facies simul in vna mẽte haberent?

II.

Diximus præterea, vnumquodq; horum animantiũ quatuor alis instructum, quarum duæ conjunctis vtrimq; pennis in sublime porrigerentur, duæ rerò reliquæ tegendo corpori seruirent. Quia verò alis aues in sublime ferunt, non abs re alarum nomine cœlestium rerum contemplatio significatur. Duæ autem superiores alæ, intellectus & voluntas, quibus in altum mens nostra fertur. Mihi esse videntur. Neque enim aut sine intellectu voluntas, aut sine voluntatis affectu intellectus in sublime salubriter & religiosè ascendit. Sapientia enim, quæ prima inter Spiritus sancti dona numeratur, duabus nititur actionibus, quarum altera ad intellectum, altera spectat ad voluntatem. Eæ autem alæ coniunctæ esse perhibentur, vt intellectus & voluntas pari gressu incedant, ita vt quod ille percipit, ista sentiat, & rerum magnitudinem, quas intellectus percipit, par voluntatis affectus consequatur, ne de nobis illud merito dici possit, quod in multos huius seculi sapientes cadit, Præuolat intellectus, & sequitur tardus aut nullus affectus. Quæ res in Euangelicos viros minimè cadit, quorum pennæ coniunctæ esse dicuntur, quòd intellectus & voluntas pari gressu in Deum tendant. Duabus

verò alis corpora tegunt. Duæ autem iſtæ alæ, quæ tegendo
1.Pet. 4. corpori deſtinatæ ſunt, gemina charitas, in Deum videlicet atque proximum, eſſe videtur; cùm charitatis ſit tegere atque operire multitudinẽ peccatorum. Duę quoq; virtutis pœnitentiæ partes, nempè præteritorum dolor, & futurorum cautio animæ nuditatem per pœnitentiam tegunt. Iuſtitia quoque & miſericordia, quarum altera nemini nocet, altera omnibus prodeſſe ſtudet (ad quas virtutes aliæ reuocantur) animam tegunt atque veſtiunt. Ornatus quippe eius non in gemmis & auro, ſed in virtutum cultu poſitus eſt.

Quid verò eſt, quòd ſingulis alis ſingulæ manus ſubiiciũtur? Mirus certè membrorum numerus & collocatio, vt totidem manus ſint quot alę, & quidem ſuppoſitæ, non ſuprapoſitæ. Alarum autem atque pennarum nomine cœleſtum rerũ contemplationem ſignificari diximus, manuum verò nomine, quibus cuncta ferè opera externa molimur, operationis ſtudium. Cùm ergo manus alis coniunguntur, hoc nobis deſignatur, vt nunquam ita cæleſtium rerũ contemplationi addicti ſimus, vt rectè operandi, ac proximos iuuandi ſtudium penitus negligamus, nec rurſus ita nos totos proximorum obſequio mancipemus, vt ſanctarum precationum & meditationũ ſtudium prorſus abiiciamus. Quamuis enim contemplatiua vita præſtãtior atque nobilior quàm actiua ſit, illa tamen conſulitur, iſta præcipitur, illa magis voluntaria, hæc magis neceſſaria eſt. Quotieſcunque enim proximus opera atque ope tua ita indiget, vt ſine ea in magnum diſcrimen adducatur, altiſſima etiam contemplatio deſerenda eſt, vt periclitanti fratri ſubuenias. Hoc autem eos pręcipuè accuſat, qui vt internis ſpiritus occupationibus vacent, ea officia negligẽter obeunt, ad quę ſtatus atque officij ſui ratione tenentur. Vxores igitur viris, parentibus filij præpoſitis ſubditi diligenter obtemperare debent eorumque pręcepta tota animi deuotione implere. Quodvbi perfecerint, quicquid ſupererit temporis, otio contemplationis addicant,
*Exod. 31.* Idemque de prælatis erga ſubditos iudiciũ ſit: ne videlicet ob ſtudium altiſſimæ etiam contemplationis ouium ſuarum curam deſerant, alioqui periculum erit, ne dum illi cum Moyſe
*Mat. 26.* in mõte diuinis rebus intendunt, populus in valle relictus vitulũ aureũ fabricet, illique ſe ſupplicem exhibeat. Quanto rectius Dominus ac Saluator noſter qui inſtante paſſionis agone ſic orationi vacabat, vt diſcipulos inuiſeret, & ab imminẽti pericu lo cauere præciperet, rurſumque ad orationem rediens, ea finita mox ad eoſdem monẽdos reuerteretur, & ad vigilãdũ orãdumque

dumque hortaretur,ne in tentationem inciderent. Quod contrà multi faciunt,qui contemplationis dulcedine inescati,& solitudinis amore capti,charitatis & misericordiæ officiis seruire renuunt.Aiunt enim se talibus officiis quietem, & animi tranquillitatem, spiritumque dulcedinem amittere,ac multis etiam in rebus cum hominibus versantes delinquere,& à rectitudinis suæ statu deflecti. Tales autem alas quidem habent, manus autem alis adiunctas non habent,ideoque inter imperfecta & infirma Ecclesiæ membra connumerandi sunt. Perfectorum enim est & in solitudine,& in turba, & cum Deo,& inter homines,& in otio & in negotio strenuè se gerere,& (quod aiunt)ambidextros esse. Quod faciunt,qui sic animo constituti sunt,vt non minori dexteritate actionis, quàm contemplationis officia exerceant. Sic enim actioni incumbunt, vt non prorsus contemplationis officium deserant. Exercent enim(vt Climacus monet)in membris,agilibus intellectualem quietem, vbi verò ab operatione cessarunt,magna celeritate ad intermissum cõtemplationis opus redeunt,se ipsos prophetica illa voce cohortantes: Conuertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi. Hoc enim nobis indicat,quòd sancta hæc animalia, de quibus loquimur,ibant,& reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis:hoc est, quoties ad charitatis officia esset prodeundum,peracto charitatis opere,summa celeritate ad intermissum contemplationis studium redibant,priusquam ille deuotionis & amoris feruor tepefieret. Intelligebant enim,& periculo ipso didicerant,verum esse quod de magno illo Antonius Athanasius in eius vita refert, id esse piis hominibus solitudinem,& spiritualium rerum commentationem,quod piscibus aquam. Ideoque sicut pisces ab aqua extracti,ad illam se quanta possunt celeritate proripiunt: ita viri sancti,vbi charitatis necessitate cogente, ab interna vocatione ad frequentiam hominum prodeunt, confestim ad illam redire contendunt,ne si diutius cum illis versati fuerint,vel aliquid ex eorum moribus contrahant,quo mentis suę puritatem inficiant, vel refrigerato charitatis ardore de integro illis laborandum sit, vt eo perueniant vnde ceciderunt. Multi enim sunt, qui hoc parum prospicientes,externis negotiis,ad quę initio, vel charitatis necessitas,vel maiorum imperitia impulerunt, sic se implicauere,vt postea nec ab illis emerserint,nec ad priora deuotionis studia redierint,atque ita frigidi per omnem vitam remãserint. Cum enim ad ea regredi conarẽtur,difficilesque aditus inuenirent,laboris difficultate offensi ea prorsus deseruerunt. Est

*clim.*

*Psal.114.*

*Athan.*

*Simil.*

*Psal.77.*

enim deuotio velut ſpiritus vadẽs,&nõ rediens:vel certè ſi diu fuerit intermiſſus,difficulter rediẽs. In quod diſcrimen multos monachorum incidiſſe animaduerto,qui cùm initio cõuerſionis ſuæ ab omnibus externis occupationibus feriati, ſoli Deo vacarẽt eiusque ſuauiſſimis deliciis fruerentur, vbi poſtea vel obedientiæ,vel ſtudiorũ occaſione illi ab interna vacatione ad externa opera tranſierunt,adeò incautè ſeſe illis implicuare,vt priora interni hominis exercitia penitus reliquerint. Neque enim plenã ſibi homo ſecuritatẽ polliceri debet,quòd vel charitate,vel obedientia impulſus ad externas occupationes deſcenderit,niſi illam etiam cautionem adhibeat,vt non modò iuſtè, ſed prudenter etiam quod iuſtum eſt, exequatur. Saul enim.

*2.Reg.10* Domini imperio regnum inuitus & reluctans,& ſeipſum,vt regni dignitatem effugeret,abſcondens accepit: quia tamen incautè ſe in hoc officio geſſit,ab eodem Domino,à quo vocatus

*1.Reg.16* ad regnum fuerat, derelictus eſt. Meritò igitur ſancta hæc animalia à charitatis & obedientiæ officiis ad interna ſtudia tãquam fulgura reuertuntur,ne ſi diutiùs illis hærerent perpetuò eiſdem implicata remanerent.

## III.

Sed quoniam alarum & manuum myſteria expediuimus, pedum quoque ſignificationem excutiamus. Pedes,inquit,eorum pedes recti, & planta pedis eorum quaſi planta pedis vituli. Scitis, fratres, pedis nomine in literis ſanctis animi propenſionem & amorem deſignari. Vndè diuus Auguſtinus: Pes, inquit animæ amor eſt, qui ſi rectus eſt dicitur charitas, ſi curuus cupiditas. Idcirco autẽ amores hominum pedes nuncupantur, quia ſicut pedibus corpus fertur, ſic anima mouetur amoribus. Vnde eſt illud eiuſdem Auguſt. Quocunque feror, amore feror. Ideóque luxurioſo filio ad patrem redeunti,cum ſtola prima & anulo calceamenta quoque prouidentur,ne pedes animæ,calceamẽtis nudati,terrenis rebus per amorem inhærerent. Quia verò huiuſmodi calceamentis Iſraeliticus populus nudatus erat,de illo Ieremias ait,Sordes eius in pedibus eius,quo ſignificare voluit, populum immoderato terrenarum rerum amore fuiſſe ſordidatum. Hac ergo de cauſa ſanctorum animalium pedes recti eſſe perhibentur,quod omnis eorum amor,ad quæcunque porrigeretur,recta tamen in Deum tenderet. Quorum exẽplo nos quoque monemur, vt omnes amores noſtros,quos ergares conditas habemus,in Deum,tanquam in vltimum finem,referamus. Amanus enim primùm eos quibus aliqua naturæ neceſſitudine cõiuncti ſumus: vt parentes

*Auguſt.*

*Idem.*

*Luc. 15.*

*Thren.2.*

vt

vt filios, vt vxores, vt viros cęcerósque sanguinis communione coniunctos. Amamus item opes, honores, dignitates & magistratus, quibus nos publicæ saluti consulturos speramus, eadémq; de causa litterarum studia colimus ac diligimus. In harum ergo rerum amore sollerter prouidendum est, vt quamuis per hæc diuerticula amor noster deflectatur, rectè tamen in Deum tendat. Quod facimus, quando quicquid diligimus, ex claritate diligimus, tum autẽ ex charitate diligimus, cùm propter Deum diligimus, & ad vitam æternam hæc omnia destinamus. Quo in loco solicitè amor noster explorãdus est, ne quid illi peregrini amoris admisceatur, si purum aurum, nullíque inferiori metallo admistum offerre Deo cupimus. Sępissimè enim peregrinus amor huic amori adiungitur, sæpissiméque in hoc iudicio fallimur, dũ quæ propter Deum diligere nos putamus, nostri gratia diligimus. Ideóque nõ sine magno consilio pedes isti sanctorum animalium in pedes vituli, qui vngulam findũt, terminantur, qua quidem diuisione discretio significatur, vt hac ratione intelligamus, omnibus his amoris affectionibus, discretionis virtutem iungendam esse: vt quid purũ aurum quid adulterinum, quid ignobiliori metallo permistum sit prudenter intelligamus. Natura quippe amoris proprij subtilis admodum est, & quocunque voluerit, penetrat, & in omnibus quærit seipsam. Homo quoque hoc eodẽ amore captus sibi ipsi blãditur sibíque ipsi adulatur, iustéque se facere putat, quicquid vehementer optat. Præclarè enim D. Gregorius, Sæpè, inquit, mens sibi mentitur & fingit de bono opere amare, quod nõ amat, de mundi autem gloria non amare, quod amat. Quàm multi Ecclesiæ dignitates sub prætextu pietatis ambiunt, qui tamen hac in re non tam Dei gloriam quàm suam quærunt? Quàm multi sub eadem imagine sacrarum literarum studiis incumbunt: nõ tam vt animarum lucra quàm vt sua captent! Quid? quod spirituales quoque amicitiæ inter viros & fœminas peregrini amoris aliquid interdũ admittunt? quod cũ initio minus appareat. consuetudine tamẽ crescit. Quo fit, vt spiritualis amor (quemadmodum D. Thom. ait) in carnalem sæpè degeneret, atque ita demũ euenit quod Apostolus ait, vt cum spiritu cæperint, carne consummẽtur. Multos enim qui hac occasione turpiter lapsi sunt, deplorat Augustinus de quorum casu se non magis dubitare aiebat, quàm Ambrosij, aut Hieronymi. Quin etiam Ecclesiasticæ historię memorant, illustrem quendam Confessorẽ post superatas vngulas, & tyrannorum minas hoc laqueo irretitum, fuisse, & qui carnificum tormenta superauerat, fœmineis blãditiis

*Gregor.*

*S. Thom.*

*Augustin. Gnat. 3.*

riis succcubuisse. Qua ex re apparet, quàm sit necessaria vngularum diuisio, vt pedum rectitudo, hoc est, affectionum puritas in animo conseruetur.

Non modò autem pedum figura, sed etiam aspectus sanctorum animalium describitur. Vnde sequitur, Aspectus eorum instar carbonum ignis ardentium & quasi aspectus lampadarum. Aspectus autem, quod in animante præcipuum est, charitatem quæ principem inter virtutes omnes locum obtinet, designare videtur Expendite verò qualis esse sanctorum charitas debeat,
*Psal. 103.* quæ igni & lampadibus comparatur. Hinc illud ex Psal. Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammã ignis. Ad hoc
*Actor. 2.* enim Spiritus sanctus super discipulos in igne venit, & in hoc
*Luc. 12.* ipsum Dei filius se venisse ait, vt ignẽ mitteret in terrã, quo videlicet ignei homines efficeret. Certè hoc igne flagrabãt duo
*Luc. 24.* illi discipuli ab Emmaus redeuntes, cùm inter se dicerẽt, Nònne cor nostrum ardens erat in nobis, cùm Iesus loqueretur nobis in via, & aperiret scripturas? Hoc est igitur quod ait, sanctorũ animalium aspectum esse quasi carbonũ ignis ardentiũ, & quasi aspectum lampadarum. Quo in loco non frustra lãpadum nomen adiectum est. Carbones namq; ardent illiquidem,
*Eccl. 48.* non tamen illuminant, at lampades vtrumque præstant, illumi
*Ioan. 5.* nant quippe simul & ardent, ardent sibi, illuminant alios. Talis erat Elias, de quo scriptum est. Surrexit Elias quasi ignis, & sermo eius vt facula ardebat. Sic etiam de Ioanne Baptista Dominus ait, Ille erat lucerna ardens. & lucens. Quicumque igitur ardet quidem, sed non lucet, carbo ignitus est: at Euangelici viri lampades esse debent, qui sibi ardeant, & aliis luceant.

Restat aliud in aspectu animalium considerandum. Ait enim Propheta, facies eorum, & pennas corũ in sublime erectas esse. Hoc in loco, per faciem, operum intentionem accipimus. Sicut enim inspecta facie homines agnoscimus, ita opera nostra ex intentionis puritate dignoscimus. Alius enim eleemosynam inanis gloriæ desiderio ductus, alius Dei amore incensus tribuit, illud inanis gloriæ, hoc misericordiæ opus est. Sic cętera opera ex intentionis conditione metimur. Pennarum autem nomine cogitationes intelligimus, quibus animus noster in sublime fertur. Cùm ergo ait sanctorum animalium & facies & pennas in altum subrectas esse, hoc admonere nos voluit, vt omnis nostra intentio & operatio, hoc est, quicquid exterius molimur, vel interius cogitamus in cælum referamus, quando iam domestici Dei, & cæli ciues effecti sumus. Animaduertite
*Ephes. 2.* quæso fratres, quo studio à nobis Dominus requirat, vt in terris

positi

positis semper, animus noster in cælo versetur. Non enim contentus aquilæ faciem animalibus indidisse, duplicesque alas in sublime protentas contulisse, modò etiam facies, sicut & alas, in altum erigi vult, vt videlicet omnis nostra actio, omnis cura & cogitatio, omnis amor ac desiderium in cælum semper tendat, eò ferantur, ad illud semper aspirent, vitæque cursum & gressus omnes dirigant. Hoc igitur summo studio viri sancti præstare curabant, cuius rei gratia cælestes homines aut terrestes Angeli nũcupantur. Theodoretus verò viros sanctos appositissimo nomine animalia alata nuncupat, quia cùm in terris quẽadmodum animalia versentur, vt aues tamen in sublime volant. Intelligunt enim in hoc se esse cõditos, propter hoc in vita conseruari, propter hoc cælum, terras, maria, & quæ his locis continentur, illis perpetuò deseruire, vt ipsi cõmuni omnium Domino seruientes, cælestis patrimonij hæredes instituerẽtur. Et idcirco quamdiu ab hoc officio feriantur, frustra se quodãmodo viuere, frustraque creaturarum obsequio se vti arbitrantur. Vnde quemadmodum fidelis seruus, qui expediendæ alicuius litis gratia in curiam missus est hoc vnum semper agit, hoc solicitè curat, modò iudices, modò aduocatos, modò scribas conueniens, neque aliud agit, quàm id cuius gratia missus est: ita fidelis Dei seruus & prudens, cùm intelligat se ob hoc in vitam missum, vt cælestis regni hæreditatem bonorum operum meritis consequatur, in hoc vnum tota animi contẽtione incumbit, hoc curat, hoc dies noctésque cogitat, huc omnes cõgitationes & omnia vitæ studia dirigit, cætera verò omnia tanquam aliena, & nihil ad se pertinentia valere iubet. Hoc est igitur, quod facies & alæ sanctorum animalium, quæ desuper extentæ sunt, nobis insinuant. *Theod.* *Simi.*

IIII.

Sed quoniam animalium sanctorum figuram videmus, eorum quoq; motum consideremus. De eo namq; Propheta subdit, Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec reuertebantur cùm incederent. Quibus verbis admiranda quædam sanctorũ alacritas & obedientia, & perfecta propriæ voluntatis mortificatio designatur. Intelligunt enim viri sancti, totius humanæ perfectionis & fœlicitatis summam in exequẽda diuina volũtate, hoc est, in pleniſſima obedientia sitam esse. Hac enim vna re charitatis perfectio, quæ diuinæ legis finis est, cõtinetur: Idem namque velle, idemque nolle, ea demum perfecta amicitia est. Hac etiam obedientia homo fit quodammodò Deiformis, atque diuinus. Qui enim sic voluntatem suam instituit

vt nihil prorsus aut velit, aut nolit, nisi quod Deum velle, aut nolle cognouerit, is, vtique (quod ad vitæ integritatem attinet) hominum quodãmodo exuisse, & Deum induisse, videtur. Cæterum, cùm intelligant, neminem ad hoc virtutis fastigium pertingere posse, nisi propria voluntate, quantum fieri possit, abdicata, in hoc totis viribus incumbunt, vt propriæ voluntati, quatenus fieri possit, moriantur. Quod faciunt, cùm illam non modo in concessa appetere non sinunt, sed à concessis etiam frequente abstinere compellunt. Qua quidem exercitatione eo tandem perueniunt, vt sine vllo impedimento se totos diuinæ voluntatis obsequio tradant. Inde fit quod idem Ezechiel ait, vt quo eos rapiat impetus spiritus, eò protinus rapiantur. Siue enim aliquid præcipiat, siue consulat, siue nutibus & interno impulsu ad fidei regulam explorato moueat, siue lætis in rebus versari, siue aduersis agitari velit, demisso protinus capite libentissimè quicquid ille voluerit, amplectuntur. Sic cum beatissima Virgo Catharina Senensis se morituram ob vehementissimum pectoris dolorem credisset, eiusque discipuli obnixè ab ea contenderent, vt precibus à Domino longiorem vitam peteret, ne discipulis, quorum illa saluti prospiciebat, deesset: illa contrà, se iam voluntatem suam exuisse, & diuinam pro illa amplexatam fuisse, respondit, nec ab illa vel latum vnguem posse discedere. Sed quoniam ab hac perfecta obedientia multorum etiam Christianorum mores quam longissimè distant, non verebor illo ethnicis hominis,

*Senecæ.* hoc est, Senecæ exemplo accusare, qui cum Deo loquens, obedientiam suam his deuotissimis carminibus testatus est:

*Duc me pater: celsiq; dominator poli.*
*Quocunque placuit, nulla parendi mora est.*
*Adsum impiger. Fac nolle: comitabor gemens,*
*Malusque patiar, quod pati licuit bono.*
*Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.*

Hactenus ille. Cuius verba tantum pietatis & religionis habere mihi videntur, vt non dubitem vos omnes, adhortari, vt ea in rebus afflictis ad mentem reuocare velitis.

Quod verò deinceps Propheta subdit, Nec reuertebantur cum incederent, perseuerantiam nobis boni operis, studiumque semper proficiendi insinuat: quale sancti illius animalis erat,

*Philip. 3.* cuius hæc verba sunt, Vnum autem, quæ retro sunt obliuiscens ad ea verò quæ sunt priora extendens me ipsum ad destinatum

*2. Reg. 6.* persequor, ad brauium supernæ vocationis. Sic vaccæ illæ quæ arcam Dñi ex terra Philisthinorum in terrã Israel deferebant recta semper via itinere suo pergebant: nec eas aut retrocedere,

aut

aut de via deflectere mugientes earũ vituli impellere potuerũt.

Sed quid est, quod Propheta deinde subdit, Vnum quodque horum animalium ante faciem suam ambulare? Hoc quoque, sicut & cętera mysterio non vacat. Hoc enim symbolo monemur vt quæcunque agimus, quæcunque molimur, loquimur aut cogitamus: solicitè ac prudenter circunspiciamus: ne qua in re à virtutis tramite vel paululum declinemus. Scitis enim veram esse vulgatissimam illam magni Dionysij sententiam, quòd ad bonum omnes simul causæ conspirare debeant: ad malum autem vel vnius tantum circumstantiæ omissio sit satis, Et ideo quoties vel aliquid aggredimur, vel cum animo nostro cogitamus, diligenter omnia circumspiciamus, quo modo, quo fine, apud quos, quo loco, quo tempore, & quæ sunt eius generis. Quicquid enim horum defuerit, bonum aliqui opus in contrarium vertit. Hoc est ergo ante faciem suam ambulare, suorum videlicet operum spectatorem ac iudicem fieri. Quam rem Salomon designauit, cum dixit; Sapientis oculi in capite ipsius: stultus in tenebris ambulat. Stultus enim cum nullam honesti rationem habeat, sit honestum an turpe quod agit, non attendit. Sapiens autẽ in capite oculos habere dicitur, quia ex sublimi loco, velut in specula quadam positus, opera sua atq; seipsum tanquam alterũ spectat: atque ita se velut in duos homines partitur, quorũ alter operatur, alter operis iustitiam & modum examinat. Hoc item nos idem Salomon admonet; Oculi tui recta videant, & palpebræ præcedãt gressus tuos. Ego verò hos oculos & palpebras nõ solum præcedere, sed etiam comitari, & ad finem vsque opera nostra prosequi debere statuo, cum antiquus hostis nõ solum in operis initio, sed in medio etiam cursu ac fine insidias tendat. Quo interdum euenit, vt quæ rectè cæpta sunt, non rectè postea persequamur. A quo periculo sancta hæc animalia longissimè aberant, quando vnumquodque ante faciem suam ambulabat, ne quid per ignorantiam delinqueret.

*Dionys. Areop.*

*Eccl. 2.*

*Prou. 4.*

Sed quamuis hæc omnia quæ diximus, admiratione non vacent, in his tamen oculorum multitudo, quam illis Iohannes in Apocalypsi tribuit, maximè mirabilis esse videtur. Cum enim Propheta definitum numerum alarum, manuum, atq; pedum his ce animantibus tribuat, oculos tamen sine numero assignauit, per totum corpus, ante & retro, oculis plena esse dicẽs. Quid igitur hæc tanta oculorum multitudo nobis indicat? Multa sanè, sed illud in primis, hostibus, laqueis & periculis esse omnia plena. Omnis etenim creatura (vt Sapiens ait) in laqueum & muscipulam pedibus insipientium facta est. Quid verò est, in quo

*Apoc. 4.*

*Sap. 14.*

quo serpens antiquus laqueos miseris hominibus non tendat: in cibo, in potu, in incessu, in vestibus, in colloquiis, in frequentia hominum, in solitudine, in secundis, in aduersis rebus, ac postremò in ipsis etiam bonis operibus, quibus frequenter nos ad inanem gloriam extimulans, in portu naufragium facere compellit. Quæ cùm ita sint, quid mirum, si contra multitudinem laqueorum necessaria nobis sit multitudo oculorum? Quid mirum, si cùm hostis antiquus mille habeat nocendi artes, nos quoque mille oculos habeamus, quibus tot eius fraudes & insidias deprehendere valeamus? Diuus Bernardus ex medicamenti prætio, hoc est, sanguinis Christi, morbi nostri magnitudinem colligit: nos verò ex hoc oculorum multitudine, periculorum magnitudinem, inter quæ quotidie versamur, colligere possumus. Nec enim tam multis oculis opus esset, nisi multis modis nos hostis noster adoriretur. Sunt etiam tot oculi ante & retrò necessarij, vt non modo præterita, sed etiam futura prospiciamus. In præteritorum enim recordatione inueniemus vnde erudiamur, vnde doleamus, & vnde gratias Domino agamus. In futurorum autem perspicientia, vnde timeamus, & vnde nobis oportunè prouideamus. Hanc autem sapientiam sanctus Propheta filiis Israel optabat, cùm diceret, Gens absque consilio, & sine prudē-

*Bernard.*

*Deut. 32.*

tia est. Vtinam saperent, & intelligerent, & nouissima prouiderent. Ad vtraque ergo hæc tempora inspiciēda, anteriores & posteriores isti oculi dati sunt: quin etiam ad omnia virtutum officia moderanda; illamque mediocritatem præscribendam, sine qua nulla virtus extare potest, necessarij sunt. Magna enim prudentia, quæ oculorum nomine designatur, ad hoc opus est. Ea namque virtutum omnium velut auriga quædam & gubernatrix esse dicitur: ideoque multi oculi numerantur, quia multa nobis prudentia opus est. Virtutes etiam, quibus ipsa præsidet, mediocritate gaudent: quasi destituantur, virtutis nomen amittunt. Prudentia verò nullis finibus coërcetur, sed quò maioribus incrementis aucta fuerit, eò perfectior erit. Ideoque cùm ea quę ad cultum templi, & sacrificiorum oblationes necessariæ erant, à Rege Persarum certa quadam mensura tribuerētur, sal tamen absque vlla mensura dari præcepit. Cùm autem sapientia & salis, & oculorum nominibus designetur, nihil mirum, si nullus certus numerus oculorum, nulla salis mensura sit. Hos igitur oculos sancti Euangelistæ habuerunt: hos etiam beatissimus Matthæus speciali quadam ratione sortitus est, cui inter sancta hæc animalia hominis facies tribuitur, propterea quod sacratissimæ humanitatis Christi opera atque mysteria luculentissimè persecutus

cutus est. Post Christi verò resurrectionem profectus in Æthiopiam, quam prouinciam fuerat sortitus, verbū Domini sequentibus signis latissimè disseminauit. Et regio puero è morte ad vitam, diuina ope reuocato, regem patrem cum vxore, & vniuersa prouincia ad Christi fidē conuertit. Cui regi defuncto cùm Hirtacus quidam in regno successisset, eiusque filiā Iphigeniam sibi vellet matrimonio copulare, Matthæus, quo auctore virginitatem illa vouerat, vt in sancto virginitatis proposito persisteret, eādem hortabatur. Itaq; virginem constanter suis votis obsistere molestissimè ferens Hirtacus, Matthæum, quem eius consilij auctorem esse sciebat, ad altare sacra facientem gladio confodi iussit. Et sic Apostoli, & Euangelistæ, Martyrisque coronam adeptus Matthæus, ad Christum, beatamque vitam migrauit.

## In festo S. Michaelis Archangeli cōcio prima, in Qua lectio Euangelica explanatur.

THE. *Quicunque humiliauerit se sicut paruulus iste, maior est in regno cœlorum.* Matth. 18.



I huius sententiæ veritate secratissimæ virginis dignitatem & celsitudinē (vt par est) metiri velimus, non dubiū, quin post diuinæ maiestatis sedem, proximum eā locum in regno cœlorū obtinere fatea mur. Quia enim eius humilitas summa fuit, altissimum quoque in hoc regno locum ipsam tenere credendū est.

Si quis autem ex altera quidem parte sacræ Virginis humilitatem, quam in hoc seculo prætulit, dum inter homines versata est, consideret; ex altera verò gloriæ magnitudinem, qua nunc in cœlo fruitur, contempletur, an non præ admirationis magnitudine obstupescet: cum hinc tantam abiectionem, inde tantam gloriæ celsitudinem videat? In hoc enim seculo sic se vt paupercula mulier pauperi fabro desponsata gerebat, & circa frequens domus suæ ministerium sine ancillarum gregibus occupata, viliq́ue cultu atque habitu induta, sponsi sui paupertatem, & quotidianum laborem opera & labore suo qua poterat ratione leuabat, colo ac tela victum quæritans. Qui igitur illam sic abiectam atque humilem in hoc seculo viderunt, quid faciēt, cum illam super omnes Angelorum choros inæstimabili splendore fulgentem, & ad vnigeniti filij Dei dexteram assidentem, & sub pedibus suis supera & infera omnia cernentem viderint? Quid hoc spectaculo iucūdius? quid mirabilius? Sic enim repro-

bi in

bi in extremo illo iudicio admirabũtur,cùm pios homines(qui contemptibiles in hoc ſeculo apparebant)ad ſummum dignita-
Sap.5. tis & gloriæ gradum euectos viderint. Videntes enim (ait Sapiens)turbabuntur timore horribili,& mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, &c.Si igitur tãtæ improbis admirationi erit Sanctorum gloriam intueri,quid facient,cùm ſummã Virginis gloriam poſt tantã huius vitæ humilitatẽ & paupertatẽ videãt?

Verùm hoc ad eius præcipuè laudẽ ſpectat. Ad nos illud maximè ſcire ſpectat,an ſacra Virgo in tanta celſitudine cõſtituta, ad paruulorum preces, quas in hoc ſeculo ad eam fundimus, ſe demittat,eoſque pio charitatis ſinu amplectatur. Num igitur,ô beata mater, noſtri oblita es? num præcordia tua gemitus & lacrymæ noſtrę tangunt?num voces noſtrę caſtiſſimas aures tuas pulſant? Prouerbium enim eſt,honoribus mutari mores, & eos qui malorum ignari ſecunda fortuna fruuntur , miſerorum cu-
Gene.40. ram abiicere.Sic enim pincerna ille Pharaonis,qui cùm Ioſeph in carcere vinctus aſſeruabatur,ſuccedentibus proſperis,oblitus eſt interpretis ſui. O quàm longè ab hoc animo clementiſſima Virgo abeſt ! Nunquam enim ſummus ille bonorum omnium largitor Deus magnã celſitudinẽ niſi cum magna humilitate, magnaque paruulorum cura coniunctam tribuit Quanto enim maior eſt dignitas Angelorum quàm hominum? At ij in iuuandis,tuendis,& cuſtodiendis hominibus continẽter intenti ſunt, quemadmodum cęleſtis magiſter in hodierna ſancti Euangelij
Matt.18. lectione docet, Angeli,inquit,eorum ſemper vident faciẽ Patris mei,qui in cælis eſt.Itaque tantũ abeſt vt ſumma Virginis celſitudo obliuionẽ aut contemptum hominum pariat ,vt etiã curam & charitatem eius in nos maximè auxerit.Quis enim dubitat,quin vbi maior gloria,maior etiam ſit charitas & gratia:ac proinde maior erga miſeros miſericordia? Hac igitur miſericordia nunc indigemus,fratres, vt depoſito ſuperbiæ & arrogantię ſupercilio, Virginis humilitatẽ ſectari valeamus. Hæc enim virtus quo longiùs ab effectu carnis diſtat, hoc magis cæleſti eget auxilio. Verè enim magnum & ſupra hominis facultatem poſitum eſt, vt qui ſuperbia elati ad concionem venimus , demiſſo atq; humili corde ab ea recedamus. Ad hoc igitur cæleſtem opem,ſacratiſſimæ Virginis interuentu, ſuppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Inter magnificentiſſima mundi opera, Salomonis templum celebratur:in cuius fabricam infinita penè auri , argenti & æris copia expẽſa fuit, quo opere obſoluto Hebræi magnum ſe obſequium Domino præſtitiſſe credebant. Quorum tamen ignorantiam

rantiam per Esaiam Dominus corripuit his verbis, Cælum mihi sedes est,& terra scabellum pedum meorum:quæ est ista domus quã ædificabitis mihi,& quis iste locus requietionis meæ? quod perinde est ac si diceret: Domus hæc ad habitationẽ quidem meam superuacanea & angusta est,cùm cęlum mihi sedes, terra verò scabellum pedum meorum sit. Itaque domum hanc non tam mihi quàm vobis ædificastis,ad quem opem & misericordiam meam imploraturi confugiatis. Quid igitur Domine? Si tibi quæ æstimatione nostra magnifica & ampla sunt, vilescunt:quid tibi quæso gratum,quid te dignum erit?Num taurorum & agnorum millia in sacrificium oblata?Non,inquit ille, accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos: quoniam meæ sunt omnes feræ siluarum, iumenta in montibus & boues. Quid igitur (expone quæso Domine) maiestatis tuæ oculis gratum sit: hoc enim nostra maximè scire refert. Sicut enim qui regum gratiam expetunt,ea solent diligẽter indagare, quæ ipsis præcipuè iucunda sunt: ita qui gratiam tuam supra omnia expetendam iudicant, quo te potissimum officio demereantur,studiosissimè quærũt.Ne ergo ingenium nostrum in huiusmodi inquisitione fatigaremus, ipse nobis arcanum hoc patefacere dignatus est, cùm post illa verba subiecit: Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Quis hic non diuinam bonitatem collaudet, quæ hoc tantum bonum in ea re collocauit, quæ volentibus in promptu est? Si enim in excelso dignitatis gradu, aut splẽdida fortuna hoc posuisset difficultatem rei causari tenues homines potuissent: at cùm non in ascensu, sed in descensu posuerit, facilem quidem&expeditam nobis ad fœlicitatem viam muniuit. Quo nomine D. Bernard. grauiter aduersus hominum superbiam incandescit: quòd cum descẽdere sit facillimum, difficillimum autem ascendere, ipsi tamen malint cum labore & periculo ascendere, quàm cum maximo suo fructu,pariqúe facilitate descendere. In hunc ergo humilem corde (quem pauperculum Dominus appellat) oculos suos figit,hunc se respicere,hunc sibi gratum esse testatur. Meritò autem paupertatis nomine humilem appellauit:quia ille verè humilis est, qui paupertatem & nuditatem suam agnoscit: qui se nihil ex se habere præter peccatum & nihilum profitetur: qui omnia quæ habet siue naturę siue gratię bona,vni Deo accepta refert: qui neque iudicio suo, neque consilio,neque viribus nititur, sed spem omnem salutis in diuina misericordia collocat, qui totus ex Deo pendens, eius opẽ piis clamoribus continen-

*Esa.66.*

*Psal.49.*

*Simile.*

*Esa.66.*

*Bernard.*

ter

ter implorat. Idem etiam ad Dei sermones tremere, propter summum parendi studium, dicitur. Vnde cùm Deus minatur, timet: cùm promittit, sperat, cùm iubet, obtemperat, cùm loquitur, auscultat, cùm vocat, accurrit, cùm reuocat, redit: & omnibus in rebus se illi obsequentem & morigerum exhibet. Tales ergo qui in oculis suis nihil sunt, summus ille rerum omnium conditor amicis oculis intuetur: qui verò tales non sunt, quamlibet magni sibi appareant, viles ante eum existunt. Hinc D. Gregorius verba illa Domini 1. Regum 15. explanans. Nónne cùm esses paruulus in oculis tuis, &c. sic ait: Magnus mihi fuisti quia despectus tibi: at nunc quia magnus tibi es, mihi es dispectus. Tanto ergo fit quisque vilior Deo, quanto pretiosior sibi, Hæc ille. Idem etiam Regius vates nos docet, cum ait, Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta (hoc est, mundi iudicio ampla & illustria) à longe cognoscit: quoniam ea despicit & pro nihilo ducit. Vera enim magnitudo in superbis contenendis, & pauperibus infirmisque tuendis maximè cernitur. Hinc regius vates cum Deo agēs, Tibi, inquit, derelictus est pauper, pupillo tu eris adiutor. At falsa magnitudo vt potētioribus turpiter seruit; ita infimos quosque crudeliter despicit. Hāc enim Amos Propheta notauit, cum dixit, Bibentes vinum in phialis & optimo vnguento delibuti nihil patiebantur super contritione Ioseph. Sed dicetis forsitan: Quorsum hoc tam longum de humilitate principium? Nimirum, quia hoc est quod præcipuè in hodierna sancti Euangelij lectione cœlestis magister docet, ea verò sic habet.

*Gregor. Mor. lib. 18.*

*Psal. 137*

*Psal. 9.*

*Amos 6.*

I.

*Accesserunt discipuli ad Iesum dicētes, Quis, putas, maior est in regno cælorum?* Expendamus primum quę fuerit huius interrogationis occasio. Primum quidem, quòd Petrum inter cæteros discipulos Ecclesiæ caput & fundamentum à Domino constitutum fuisse audierant, & quod in pręsenti lectione tributum Dominus pro se, & pro eodem Petro solui præceperit. Qua de re sic S. Euangelista ait, Cùm venissent Capharnaum accesserunt qui didragma accipiebant, ad Petrū & dixerunt ei, Magister vester non soluit didragma? Ait, Etiā Et cùm intrasset in domum, præuenit eum Iesus, dicens, Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributū vel cēsum? à filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit, Ab alienis. Dixit illi Iesus, Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum & eum piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem: illum sumens, da eis pro me & te. Sequitur deinde

*Matt. 17.*

deinde: In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes, *Quis putas, maior est in regno cælorum? &c.* Cuius quidem interrogationis hæc causa extitit: quod cùm tributum illud non à singularibus personis, sed à patribus familias, qui domibus præerant, exigeretur. Dominus autem non pro cæteris discipulis, sed pro Petro tantum solui iussisset, hoc ipso cæterorum discipulorum, hoc est, familiæ Christi caput & primatem esse declarabat. Cùm ergo discipuli Petrum à Domino hac in re cæteris præferri animaduerterent, non minus ægrè hoc tulerunt, quàm cùm Iacobus & Ioannes fratres, dexteram & sinistrã in regno Christi, subornata matre, petierunt: tunc enim hæc de primatu contentio inter eos agitata fuit. Hæc igitur quæstio, quæ specie tenus pietatem referre videbatur, occultam ambitionis & inuidiæ radicem intus celabat. Inuidiam quippe diuus Gregorius ambitionis filiam esse testatur: neque enim ambitiosus patienter ferre potest, vt alius honorem, quem ipse ambit ei præripiat, quin liuore & inuidia mordeatur. Quamobrem quisquis inuidiæ pestẽ à se excutere cupit, radicẽ eius abscindendam curet: matre enim (vt idẽ Gregor. ait) extincta, filia protinus interibit. *Grego.*

Cùm ergo Saluator quandam ambitionis & inuidiæ (vt ita dixerim) fibram in discipulorum pectore latentem huic interrogationi causam dedisse animaduertisset, hac ratione morbum hunc curare aggressus est, *Aduocans* enim *paruulum, statuit in medio discipulorum.* Mos erat Prophetis olim vt cùm aliquid audientium animis altiùs infigere vellent (quoniam nuda verba exiguam ad hoc vim habere videbantur) earundem rerum imagines verbis addere studerent, vt auditorum oculis cõspiciendum subiicerent, quo verba minus aperte significabant. Sic Esaias ex Domini præcepto nudus in medio populi ambulauit, vt Hierosolymitani regni vastitatem & populationem propter peccata populi futurã denunciaret. Sic Hieremias cinctas collo circumpositas baiulare, & lagunculas præsente populo confringere præcipitur, vt eiusdem populi captiuitatem, & vrbis excidium prænunciaret. Sic Ezechiel parietem nocte perfodere, per eam egredi, & pilos abscissos per aëra spargere, & gladium post eos euaginare iubetur, quo eiusdem populi fugam, & futuram eius dispersionem hac rerum imagine ipsi ante oculos poneret. Ad hunc ergo modum Saluator, qui tam multis antea documẽtis humilitatis virtutem commendauerat, nunc nouo quodam exemplo non verbis solùm, sed expressa quadã eius effigie commendat. Aduocatum enim paruulum statuit in medio discipulorum. Mirantur illi rei nouitatem, nouamque docendi rationem, *Esa. 20. Hier. 19. Ezec. 12.*

nem, qua nunquam cæleſtis magiſter, niſi in hac ſola humilitatis commendatione, fuerat vſus. Circumſtante igitur diſcipulorum corona, pueroque in medio eorum collocato, Saluator protenſa in paruulum manu, ait: *Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicunque ergo humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic maior eſt in regno cælorum.* Animaduertite quæſo, fratres, quantum diuina ab humanis iudicia diſtent. Veriſſimè enim Dominus per
*Eſa. 55.* Prophetam dixit, ſicut exaltantur cæli à terra: ſic exaltatę ſunt viæ meę à viis veſtris, & cogitationes meę à cogitationibus veſtris. Diſcipuli ambitio ſpiritu inſtigati, cæleſtis regni primatum ambiebãt: Dominus contrà nouiſſimum eis locum, & paruulorum ſpiritum proponit, ſi principem in eo regno locũ habere vellent. O quàm diſſimiles diuini Spiritus, & humani cordis affectus ſunt! Iſti nihil niſi ſublimè, excelſum & honorificum cogitant: illi nihil niſi humile, demiſſum & abiectum. Sed dicetis: Qua ratione conuerti poſſumus, & effici ſicut paruuli?
*1. Pet. 2.* Hoc nos Petrus Apoſtolus docet, cùm ait, Quaſi modò geniti
*1. Cor. 14.* infantes rationabile & ſine dolo lac concupiſcite. Paulus item, Nolite, inquit, pueri effici ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote. Iubemur ergo puerili ignorantia prætermiſſa, candidos puerorum mores, non pueriliter, ſed prudenter æmulari. Pueri enim primùm, vt nomẽ ipſum præ ſe ferre videtur, puri ſunt, ſimplices, innocentes, humiles, & maiorum imperio parentes. Pueri facilè placantur, citò ignoſcunt, & iracundiam aut odium diu non retinent, non de eminentiori in templis loco digladiãtur, non factionibus ſtudent, non malè de alijs aut iudicant, aut loquuntur: denique malitia omnis à puerili ſimplicitate abeſt. Hãc ergo puerorum ſimplicitatem & innocentiam in moribus noſtris cæleſtis magiſter referre nos & imitari iubet.

III.

Quamuis autem hæc in paruulis ſimplicitas ab omni malitię fuco aliena præcipuè eminęat, humilitatem tamẽ (cuius imaginem in pueris cernimus, qui ab omni arrogantiæ & ſuperbiæ faſtu atque tumore alieni ſunt) nobis Dñs hoc exemplo voluit commendare, quòd ea videlicet aliarum virtutum non modò fundamentum, ſed cuſtos etiam & nutrimentum ſit: ideoque hanc à nobis præcipuè colendam atque ſectãdam monet, ſi ad
*Auguſt.* virtutum culmen volumus peruenire. Hinc D. Auguſt. Cogitas, inquit, fabricam magnam extruere celſitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis. Non tamen ſatis eſt huic virtuti, quòd aliarum ſit fundamentum, niſi eaſdem etiam & conſeruet, & augeat

geat,& ad culmem vſque perducat:tanta eius vis atque poteſtas eſt. Quam rem D.Bernar.ad duas nobiliſſimas virtutes, caſtitatem videlicet & charitatẽ,præcipuè referens,ait: Vt caſtitas ſiue charitas detur,humilitas meremur:quoniã humilibus Deus dat gratiam,Eadem etiam ſeruat acceptas:quia nõ requieſcit Spiritus,niſi ſuper quietum & humilem:& ſeruatas item conſummat: nam virtus in infirmitate,hoc eſt,in humilitate perficitur,& inimicam gratiæ,omnisque initium peccati debellat ſuperbiam. *Bernar.in epiſt.*

Sed inter has tamen humilitatis laudes illa maxima cenſenda eſt,quod in hac vita(quæ tota vel tentatio,vel militia eſſe dicitur,in qua nihil tutum,nihil ſecurũ eſt (ſola humilitatis virtus, quamdiu firmiter mentibus noſtris infixa hæret,ſecuritatẽ inter innumeros Diaboli laqueos & inſidias præbet. Nunquam enim verè humilem amator paruulorum Dominus labi permittet. Quod intelligens Dauid Rex ad huius virtutis præſidium,velut ad ſacrã anchorã confugiens,aiebat:Cuſtodiés paruulos Dñs humiliatus ſum,& liberauit me.Hinc Ioannes Climacus, Omnium,inquit , venenatarum ferarum ſenſibilium interemptor eſt ceruus:intellectualium verò humilitas interfectrix eſt. Vnde magnus ille Antonius magnus in ecſtaſim raptus , vniuerſum mundũ laqueis ſeſe mutuo connectentibus plenum vidit,tantæque rei nouitate ſtupefactus,exclamans:O,inquit, quis iſtos effugiet?vocemque protinus è cælis allatam audiuit,Antonij, humilitas.Quin &illud huic eximiæ virtuti tribuitur,quòd quemadmodum tribulationum patientia:ita etiam cordis humilitate vera atque perfecta virtus probatur.Quam ſententiam D. Auguſt.confirmat,illum Eccleſiaſtici locum enarrans: Vaſa figuli probat fornax,&c.Hæc namque vaſa vento erumpente crepant; quæ autem vento carent,multò magis igne ſolidantur.Ad hunc ergo modum ſpiritualia vaſa,quæ ſuperbiæ vento inflata ſunt, ignominia oblata crepant;non crepant autem quæ hoc ſuperbiæ vento carent,Hoc autem argumento antiqui olim eremi Patres ſancti Simeonis Stilitis virtutem probare voluerunt.Cum enim is nouam quandam viuendi rationem , omnibus antea ſeculis incognitam,elegiſſet:vt videlicet in columna,triginta quinque cubitis à ſolo erecta, habitaculum ſibi elegiſſet:ad illum Patres legationem miſerunt , quam Euagrius Scholaſticus memorat his verbis:Cum Simeones iſte,qui in terra Angelus,in carne cæleſtis Hieruſalem ciuis fuit,peregrinam viuendi viam,hominibus planè incognitam,inſtituiſſet,ſancti eremi incolæ mittunt quendam ad illum,iubentque vt ab eo ſciſcitaretur, quid hæc noua & inuſitata vitæ ratio ſibi vellet,& quamobrem trita vi- *Pſal.114* *Io.Clima.* *Auguſt. Eccle.27* *Euager.*

uendi via,& ſanctorum preſſi veſtigiis relicta,aliam quandam peregrinam,& hominibus omnino ignotam ſequeretur?eumque hortantur per nuncium,vt ex ſuo domicilio deſcenderet, viaque electorum Patrum inſiſteret.Quòd ſi alacri animo ac parato deſcendere videretur mandarunt,vt ei ſui ipſius viuendi via inſiſtendi poteſtas fieret,(ex obedientia enim ſatis conſtare poſſe dixerũt,eum Deo duce in eam viã ingreſſũ fuiſſe, támq; graue certamen ad ſe afflictandum in vita ſuſcepiſſe)ſin reſiſteret,aut ſuæ inſeruiret voluntati ac non ſtatim ipſorum hortationi morem gereret, vt vi inde abſtraheretur.Nuncius vbi acceſſit ad eum,& Patrum mandatum illi expoſuit,isque extemplo alterum produxiſſet pedem, Patrum hortationi obſecuturus,permiſit ſua ac propria viuendi via incedere, ſic eum affatus:Bono animo ſis,&ſtrenuè rem gere:ſtatio tua à Deo eſt inſtituta.Hactenus Euagrij verba,quę ſatis indicant ſummã ſanctiſſimi huius viri humilitatem,qui cùm intelligeret,genus illud vitæ à Deo probatũ fuiſſe(quod quotidiana eius miracula declarabant)maluit tamen Patrum iudicio quàm ſuo niti. Vnde illa promptiſſima obedientia ortum habuit. Hic igitur hoc Domini præceptum,quo nos inſtar paruulorum demiti atque humiliari iubet, perfectè adimpleuit.

III.

Arbitror autem,fratres, ob ea quę hactenus de humilitatis laude diximus,vos eius amore captos,ſcire etiã velle,quonam modo eam comparare poſſitis,Planè fateor non perinde facile eſſe adultum hominẽ in hunc paruulum,quem Dominus propoſuit,commutari.Sic enim natura comparatũ eſt,vt quo quę. que res vtilior & præſtantior ſit,hoc ſit etiam difficilior: quod in hac virtute cernere licet.Verè enim tota carnis militia,peccati morbo infecta, huic puerorũ ſimplicitati atque humilitati repugnat.Quid enim aliud tota vita homines per tela, per ignes,niſi primatum,honorẽ,& gloriam quærunt?Itaque perinde eſt ſuperbo homini,vt ſe,ad paruuli humilitatem demittat,ſuadere,ac ſi claudo, turſum imperes, niſi diuinus Spiritus adſit, qui eum hoc paruulorum ſpiritu imbuat:ideoq;paucos admodum hac ætate reperire licet,qui hoc modo paruuli ſint,

Quid igitur nobis facto eſt, quo hanc adeò neceſſariam virtutem adipiſcamur?Ad hoc ſanè viam nobis ipſa humilitatis definitio aperit quã D.Ber.deſcribit hisverbis:Humilitas eſt virtus, qua homo viliſſima ſui cognitione ſibi ipſe vileſcit. Ex qua definitione liquet veram inopiæ atque vilitatis ſuæ cognitionem,humilitatis fundamentum eſſe.Ex hac enim cognitio-

*Bern ard.*

ne

ne,quæ est in intellectu,despectio atq; contemptus sui nascitur, qui in voluntate est:in qua humilitas, tanquam in subiecto, residet. Hæc autem cognitio exigit primùm, vt omnia præteritæ vitæ peccata nobis ante oculos proponamus:quorum cõsideratione supercilium deponentes, nos cum Euangelico publicano indignos existimemus, qui ad cœlum oculos leuare audeamus. Solent studiosi vinearum cultores tribulos & sentes, ne vitibus noceant,radicitus euellere, ex illisque vallum & septum vineæ conficere,quò furibus aditum in vineam præcludant: ita fit, vt illud ipsum quod vineæ nocumento erat,custodiæ seruiat. Hos igitur imitetur,quisquis ex præteritæ vitæ spinis & sentib⁹,quas per veram pœnitentiam ab anima sua reuulsit, sese deiiciendi atque humiliandi materiam sumit: atque ita per humilitatis virtutem ex peccatorum recordatione manentem animæ suæ vineam custodiat. Deinde, quantum nobis ad Christianæ vitæ perfectionem desit, custodiosè consideremus.Hac enim ratione quidam ex sanctis illis eremi Patribus (vt Ioan. Climacus scribit)superbiæ tumorem colaphis cædebat. Descripserat enim in cellulæ pariete altissimarum virtutum appellationes,putà,perfectæ charitatis,Angelicæ humilitatis,mundissimæ orationis, incorruptibilis castitatis,& huiusmodi virtutum reliquarum.Cùm ergo illum cogitationes extollere cœpissent,dicebat illis,Eamus ad argumentum,aduenientsq; relegebat appellationes,sibiq; ipse clamabat, Cùm has omnes possederis, tunc scies quàm longè adhuc à Deo sis.Cùm enim ea possederis,seruus eris inutilis:feceris enim quod facere debuisti. Ad hæc, diuina quoque beneficia,& virtutis adiumenta, quæ à Deo percepimus,ad mentẽ reuocabimus,inueniemusque,nequaquam nos his cœlestibus donis, quibus alij meliores efficerentur, pro dignitate satisfeciisse. Sic enim fiet,vt ex diuinis beneficiis,& cœlestibus donis,quibus alij insolescere solent,nos humiliandi atque submittendi materiam arripiamus. Hac enim consideratione viri sancti se grauiter accusant,adeóque se non efferunt,vt semper Deo se debitores esse fateantur.Postremò,illud maximè ad hanc virtutẽ pertinet, vt vir pius luce clarius agnoscat,si quidquid rectè cogitat aut molitur, non opis & virtuti suę,sed gratuitũ diuinę misera tionis beneficium esse. Hoc enim passim diuina eloquia testantur.Tale est illud Apostoli,Cùm timore & tremore salutem vestram operamini: Deus est enim qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate. Et iterum, Quid habes quod non accepisti?si autem accepisti,quid gloriaris, quasi non acceperis? Sic & apud Ioannem Dominus, Sine me, ait,nihil po-

*Simile.*

*Climac.*

*Philip 2.*

*1.Cor.4.*

*Ibidem.*

*Ioan.15.*

testis facere. Et iterum, Sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Horum autem diuinorum testimoniorum, aliorúmque similium auctoritate, Pelagiana hæresis in Concilio Mileuitano damnata est, quæ sola liberi arbitrij facultate, sine cælestis gratiæ auxilio nos opera æterna vita digna facere posse impiè asserebat. His igitur considerationibus pius homo illud Ecclesiastici consi-
*Eccle. 7.* liũ implendum curat: Humilia valdè spiritum tuum. Quo enim
*Idem. 3.* magis illum ante diuinæ maiestatis conspectum demiseris, hoc magis illam suspicies & veneraberis. Hac enim de causa idem Ecclesiast. ait: Magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur. Quo minus mirandum est, si magnis illos Deus ho-
*1. Reg. 2.* noribus afficiat, à quibus maximè honoratur: cùm scriptum sit, Ego glorificãtes me glorifico. His igitur sanctis cogitationibus fratres, veram cordis humilitatem consequi poterimus, si his tamen assiduum orationis studium adiungamus, qua continẽter altissimam hanc virtutem à Domino virtutum crebris gemitibus, ardentibusque desiderijs postulemus.

IIII.

Sed iam quid de hoc paruulo, quem oratione descripsimus, Dominus dicat, videamus, *Qui* inquit, *susceperit vnum paruulũtalem in nomine meo, me suscipit.* Magnum sanè præmium, & quo nullum maius; quia tali hospite nihil maius. Quid igitur qui offenderit? Subdit protinus. *Qui autem scandalizauerit vnum ex his pusillis qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius: & demergatur in profundum maris.* Videamus primũ quid scandalum sit. Scandalum, Latinis offendiculum est, quod incautè gradientibus lapsus & ruinæ causa existere solet. Hoc si à corpore ad animum transferamus, scãdalum erit quod Prophe ta dicit, In via hac qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi. Quicunque enim aut verbis, aut prauis etiam ex-
*Psal. 141.* emplis alteri occasionem præbet ruinæ, vtique scandalum: siue offendiculum in via ponere dicitur. Verbi causa: Qui hominem aliqua iniuria affectum, adulationibus, prauisque consiliis ad vindictam expetendam inducit, is planè offendiculum eius pedibus subiicit. Scandalum item est cùm quis innocentem virginẽ verbis, literis, munusculis, promissis, internunciis, cæterisque malis artibus ad pudoris iacturam solicitat. Sic etiam cùm eadem virgo, instar Iezabelis, oculos suos pingit stibio, & meretricio habitu cultúque ornata. in edito loco sedens, prætereuntes, & simpliciter in via gradientes, in sui amorem pellicere intendit, scandalum & laqueus Diaboli est. Cùm præterea patet in

filiorum conſpectu impudentèt & frequenter iurat, peierat, & ſacrilegum os in cælum ponit,& diris omnibus famulos deuouet & pictis ludit parrimonium chartis,vnde fit vt hoc exemplo filij famulíque inducti, idem facere diſcant:ſcãdalum planè & quidem grauiſſimum eſt.Quicunque præterea piorũ hominum ſimplicitatem derident,eosque ignominioſis nominibus appellant,quo fit, vt alij puerili metu territi,virtutis viam horreant,vel cœptam deſerant:hoc eodem peccati genere delinquũt.Quale autem quantúmq;hoc ſcelus ſit,latè Dominus in præſenti Euangelio deplorat.Si enim fur,qui decem aureos è domo tua clãculum ſurripuit,capitis ſuppl cio commiſſi pœnas luit,qua pœna dĩgni erũt qui ex anima tua Deum,hoc eſt ſummũ bonũ ſurripuerũt,&pro illo Satanã ſuppoſuerunt?Sunt planè multa reprobationis ſigna,quæ ſancti Patres commemorant:inter quę pręcipuum mihi locũ hoc ſceleris genus habere videtur.Iuſtitiæ enim & æquitatis ratio hoc exigit,vt qui alterius animã perdidit ſuãperdat.Sic enim olim diuina lex ſanxit, *Exod.21.* Animã pro anima,oculũ pro oculo,dentẽ pro dẽte, aduſtionẽ pro aduſtione.Iuſtum ergo eſt,vt quæ nos mala innocentibus *Exod.14.* irrogauimus,ipſi patiamur.Sic Pharao, qui ferali immanitate Hebræorum pueros aquis interimebat, aquis ipſe quoquedi uina perurgente vindicta,interemptus eſt.Sic Dauid,qui alienã vxorem violauit,& maritũ gladio ſuſtulit,eadem mala,& multo etiam grauiora,non ab exteris,ſed à patricida filio perpeſſus eſt.Sic Adonibezec, qui Regibus,quos bello ceperat pedes& manus amputabat,ſimili modo ipſe quoque, Deo ità diſponẽte truncatus eſt.Quid igitur ex his ſequitur,niſi vt qui animam Chriſti ſanguine redemptam,Satanæ tradidit,ipſe quoq;eidem torquendus tradatur? Quocirca Dominus vehementer nos in huius ſacræ lectionis fine ab hoc peſtilenti crimine reuocat:dicens: *Videte ne contemnatis vnum ex his puſillis : dico enim vobis,quia Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt.*

Hactenus à peccato ſcandali nos Dominus propoſita periculi noſtri magnitudine deterruit,nunc paruulorum dignitate expoſita à quouis peccãdi genere animũ noſtrũ reuocat:quòd videlicet Angeli,quorum tutelæ commiſſi ſunt,cæleſtis Patris faciem(quæ ſumma eorum gloria eſt)perpetuo videãt. agnã *Hieron.* profecto(vt D.Hieron ait.)dignitas animarum vt vnaquæque ab exordio natiuitatis ſuæ Angelum habeat delegatũ. Sic etiã *Gloſſ.* Gloſſ.hoc in loco,Vnicuique,ait,noſtrũ adeſt Angelus,qui regat,qui moneat,qui pro actibus noſtris corrigendis,& miſerationibus impetrandis quotidie Dei faciem videat.Si quis verò

hanc tantam hominis dignitatem, quam sacræ literę prædicant
*Senec. in Epist. 111.* miratur, multo magis mirabitur, hoc ipsum et iã (vt Seneca refert) Stoicorũ dogma fuisse. Eius hæc verba in Epistol. 111. sunt: Sepone in præsentia quæ quibusdam placent, vnicuique nostrũ pædagogum dari Deum, non quidem ordinarium, sed hunc inferioris notæ, ex horum numero, quos Quidius ait, de plebe Deos. Ita tamen hoc seponas volo, vt memineris, maiores nostros, qui crediderunt hoc, Stoicos fuisse. Hactenus ille. Itaque quod nos tutelares Angelos appellamus (quos catholica & Euãgelica fides asserit ad custodiam nostri destinatos) Philosophi isti, nescio quo spiritu acti, sub inferiorum Deorum nomine ad idem munus deputatos confitentur. Hi verò Angeli magna cura munus suum obeunt, nõ iustos modo, sed iniustos etiam suę fidei cõmissos custodientes, quoniam diuinę prædestinationis arcanum illis prorsus incognitum est: quandoquidem diuina electio atque prædestinatio nullum in prædestinati anima characterem aut signum imprimit (quod tamen sacramenta quædam faciunt) ideò non indiligenter improbos etiam homines custodiunt, quos an prædestinati sint, ignorant. Quid enim non custodiant, qui videant publicanum cooptari in Euangelistam, & Ecclesiæ persecutorem in doctorem gentium?

Quid autem nobis præstent Angeli Exod. 23. Dominus de
*Exod. 23.* clarat his verbis: Ecce ego mittam Angelum meum qui præcedat, & custodiat in via, & introducat in locum quem præparaui tibi. Qua in re singularem diuinæ prouidentiæ curam licet admirari: quam Ecclesiasticus insinuauit his verbis: Omnia duplicia, vnum contra vnum, & non fecit quidquam deesse. Quia
*Eccl. 42.* enim multa in rebus cõditis erant, quæ nobis nocerent, decuit vt multa etiam illis aduersa & inimica essent, quæ nos tuerentur, & illorum vim reprimerent. Ad hunc ergo modum, quia quamdiu in hoc corpore militamus, non desunt spiritus nequam, qui sint ad malum incentores, non desunt etiam Angeli qui sint ad bonum hortatores: qui videlicet nos præcedant, hoc est, qui lucẽ nobis ad veritatis cognitionem præferet, qui viam qua itur in cœlũ, monstrent, qui ab hostibus tueantur, qui á sceleribus auocent, & ad honesta semper inducant. Sicut ergo illi semper mala suggerunt, ita contrà isti semper honesta suadent. Cùm igitur has in animo tuo voces audis, Ne inimico tuo parcas, ne reddas quod alteri debes, ne pauperi tribuas, ne inimicũ alloquaris, aut beneficiis promerearis, vindictam de illo sume, contumeliis affice, sordida & spurca verba loquere, absentibus detrahe: voces has Dęmonis in peccati te barathrum pręcipitã

tis certissimè

tis certissimè scias. Quamobrem sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequã,& cum propheta dic,Narrauerunt mihi iniqui fabulationes,sed non vt lex tua. Cùm verò contrà audis, parce veniam petenti: redde quod alteri debes, libenter tribue amicũ in Deo,& inimicũ propter Deũ dilige,terrenas opes cõtẽte,cœlestes admirare,ne peieres,ne detrahas,ne maledicas,ne sordida&scurrilia verba loquaris,voces esse intellige soliciti custodis,qui te hoc virtutis tramite in terram viuentium, quam pijs omnib⁹ Dominus policitus est,introducere vult. His enim cogitationibus& verbis Angeli gaudent illis immundi Spiritus pascuntur. In vitis Patrum legimus, sanctissimum quendam virum inter colloquentes monachos vidisse Angelos ibidem astantes quibus paulo post abscedentibus magnum porcorum gregem inter eos volutari conspexit. Quam rem vehementer admirans,& causam diligenter inquirens,deprehendit,eos initio quidem de spiritualibus atque diuinis rebus inter se colloquia miscere cœpisse, deinde verò linguę lapsus ad vna colloquia sermonem conuertisse,Quod sanctus ille audiens,reuelatione patefacta,vehementer eos ab eiusmodi colloquiis deterruit,& ad salutaria & honesta adhortatus est;quibus præcipuè Angeli interesse solent.

*Psal. 118.*

*Vit.patrum.*

Sunt præterea iidem spiritus non modo mentis nostrę monitores,sed etiã animarum nostrarũ in cœlum portitores. Hoc enim de mendico Lazaro Dominus ait:Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.Sed hoc tamen officium Archangelo Michaeli præcipuè demandatum est,sic enim de eo canit Ecclesia,Data est potestas Archangelo Michaeli super animas Sanctorum,vt perducat eas in paradisum exultationis. Magnus certè principatus, qui in hora mortis cuiusque nostrum exercendus est. Hæc enim dies de tota vita nostra immò de tota æternitate sententiã fert:quoniam (vt D.Gregor.ait) post supremum illud examen, homo inueniet,quod in æternum mutare non poterit.

*Luc. 16.*

*Gregor.*

Quid igitur ex his colligere licet,fratres? Primum quidẽ,vt dum tempus suppetit, sic vitam instituamus, vt propitium ac beneuolum Angelorum principẽ in hoc adeò tremendo temporis articulo inuenire possimus. Deinde, vt immortales Deo gratias propter Angelorum custodiam ad salutem nostram destinatam,semper agamus. Postremò, vt illud D.Bernardi consilium ante oculos nobis proponamus,Quouis angulo,quouis loco reuerentiam habe Angelo tuo,& ne audeas coram illo facere,quod me præsente non auderes. Vnde posteaquam Domi

*Bernar.*

nus dixisset, Ecce ego mittam Angelum meum qui præcedat
*Exod. 23.* te,& custodiat te:subdit protinus:Obserua eum,&audi vocem
eius ne contemnendum putes: quia non dimittet cùm pec-
caueris,&est nomen meum cum illo.Habes igitur in his verbis
præsentem Angelum, quẽ in omni loco vereri debeas. Quid
si addam,te non ab Angelo solùm, sed ab ipso etiam superno
*Cant.2.* iudice videri? Ipse enim stat post parietem nostrum,respiciens
per fenestras, prospiciens per cancellos. Quid est autem post
parietem stare,& per cancellos prospicere,nisi ita alios videre
vt ipse tamen qui videt,ab illis minimè videatur? Hoc autem
*Isa.57.* modo videt ille, qui peccata nostra per Prophetam impropе-
rans,ait,Ego tacens,& quasi non videns,& mei oblita es.Sed is
*Idem.65.* tamen quem putamus non videre,alibi etiam ait,Et faciebatis
*Iere.29.* malum in oculis meis, & Ego sum iudex & testis,dicit Domi
nus:Ergo & Angelum,& Angelorum Dominum nostris ope-
ribus testes semper assistere considerantes, demus operam, ne
quid purissimis eorum oculis indignum committamus, néve
qui rationales à Deo conditi sumus,pudore & verecundia ab
elephantis superari patiamur.De iis námque scriptum est quòd
cùm sobolis propagationi dant operam, conspectus hominũ
fugiant,& fortè interuenientem occidant. Si igitur animalia
bruta pudore hominum continentur,cur nos Dei omnia con-
*Seneca ad Lucil.* tuentis & Sanctorum & Angelorum præsentia non conti-
neat? Inter varia moralis philosophiæ documenta non po-
stremum obtinet locum quod Seneca tradit his verbis:Aliquis
vir bonus nobis eligendus est,ac semper ante oculos haben-
dus,vt sic tanquam illo spectante viuamus,& omnia tanquam
illo vidente faciamus. Hoc mihi Lucili Epicurus præcepit,cu-
stodem nobis &pædagogum dedit nec immeritò.Magna pars
peccatorum tollitur,si peccaturis testis assistat. Aliquem habeat
animus,quem vereatur,cuius auctoritate etiam secretum suum
sanctius faciat.O fœlicem illum, qui non actus tantum,sed e-
tiam cogitatus emendat!O fœlicem qui sic aliquem vereri po
test,vt ad memoriam quoque eius se comparat,atque ordinet!
Qui sic aliquem vereri potest,citò erit ipse verendus.Elige ita-
que Catonem,si hic videturtibi nimis rigidus,elige remissioris
animi virum, Lælium:elige eum cuius tibi placuit & vita &
oratio,&ipsius animum ante te ferens & vultum,illum semper
tibi ostende vel custodem,vel exemplum.Opus est,inquã,ali-
quo ad quem mores nostri se ipsi erigant.Nisi ad regulam pra-
ua non corriges.Hactenus ille.At quæ alia commodior vitæ re
gula,quis testis nobis sanctior,quàm Dei & Angelorũ conspe-

ctus

ctus. Hoc autem,fratres, inter ſpiritualis vitę conſilia maximè commendatur,vt omni tempore,omnibúſque in locis Deum præſentem habeamus. Itaque ſiue domi reſidentes, ſiue in via gradientes,ſiue in æde ſacra, ſiue in platea,ſiue in otio, ſiue in negotio,ſiue in menſa dum cibum capimus, ſiue in lecto dum quieti membra componimus, Deum ſemper (quatenus per infirmitatem humanam licuerit)intueamur,nec ab illius conſpectu mentis noſtræ aciem vſquam deflectamus. Hac enim ratione fiet,non ſolùm vt is & teſtis nobis,& adiutor ſit ad vitæ innocentiam, ſed dux etiam & anteſignanus ad immortalitatis & fœlicitatis ſempiternæ gloriam. *Pal. 18.*

## In eodem feſto S. Michaelis concio ſecunda, in qua lectio Euangelica explanatur.

THE. *Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt.* Matth.18.



VM peccata omnia dilectiſſimi,aut carnalia ſint, aut ſpiritualia, conſtat planè ſpitituali a eſſe carnalibus grauiora,in quorum numero ſuperbiam præcipuè collocamus. Habet autem ſuperbia tria inſignia mala. Primum, quod inter maxima crimina numeraretur:hoc enim illa Dauidis verba indicãt:Si me non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo. Maximũ verò delictum appellat ſuperbiam, de qua prophetam loqui verſio Hieronymi ex Hebræo declarat,qui pro eo quod nos legimus. Ab occultis meis munda me ille vertit, A ſuperbis quoque libera ſeruũ tuũ,&c. Ideò autem ſuperbia delictum maximum appellauit, quia ſingulari quadã ratione cum diuina mente pugnat. Tria enim ſunt peccatorũ genera,quorum alia ipſum hominem ſibi: alia proximum:alia Deum eripiũt. Ira enim hominem ſibi ipſi eripit quoniam iratus quo tempore ira æſtuat, ſui iuris non eſt,cum rationis compos non ſit,quæ propria eſt hominis. Inuidia autem proximũ mihi,eiúſque bona eripit. Si enim me charitas vnum cum proximo efficit,eiúſque bona mea per amorem facit, conſequens eſt,vt inuidia,quę charitati aduerſatur,illum mihi,eiuſq; bona adimat:quibus ego adeò nõ fruor,vt illis etiam propter inuidię tabem vehemẽter cruciet. At ſuperbia, his multo grauior, Deũ ab homine alienat:quia cùm debitum illi honorem & gloriam ſurripiat, de gloriæ poſſeſſione atque primatu aduerſus illum contendit. Quamuis enim mortifera peccata omnia Deum ab *Hieronim.*

anima

anima pellant, hoc tamen ſingulari hac ratione ſuperbia facit: ideoque delictum maximum appellatur. Habet item aliud ſuperbia malum, quòd videlicet occultiſſimum vitium ſit. Carnalia quippe vitia, quæ per corpus exercentur, facilè deprehenduntur: at ſpiritualia (cuiuſmodi ſuperbia eſt) ſola ferè interiori mentis actione committuntur: ideoque difficilius agnoſcuntur, quãuis grauiſſimè animam ſaucient. Quis enim ſuperbus ſe eſſe ſuperbum credat? Hæc igitur duo mala facilè declarant, quantum nobis ab huius peccati veneno cauere debeamus, cum non modo grauiſſimum, ſed etiam occultiſſimum ſit. Poſtremò habent hoc etiam ſpiritualia peccata, quòd ſpirituales viris potiſſimum infeſtant. Sic enim aſtutus ille ſerpẽs ſpiritualib⁹ ſpiritualia comparat; quibus carnalia odio eſſe intelligit. Ad hoc autẽ virtutibus etiã ipſis (quibus ſpirituales viri exculti ſunt) ad ſuperbiã, & inanis gloriæ fomentum abuti ſolet. Cûmq; virtutũ adminiculo cętera vitia debilitentur & extinguantur, ſola ſuperbia nõ rarò ex eiſdem vires & robur colligit. Tantò enim magis homines inſolẽſcũt, quanto plus ſe virtutibus ornatos vident. Hinc D. Hie. Superbia, inquit, natione cæleſtis, ſublimiũ mentes inhabitat, in cinere frequenter & cilicio recubans. Quò minus mirandum eſt, ſi hic ſuperbię ſpiritus in Apoſtolorũ quoq; pectora irrepſerit. Antiquus enim hoſtis, qui propter ſuperbiam ex Angelo dęmon atq; ex fœliciſſimo infœliciſſimus factus eſt, venen⁹, quo ipſe interiit, hominibus propinare contendit, vt illi ſimiliter intereant. Hoc igitur modo diſcipuli laborantes, de primatu regni cælorum, quod in hac vita futurum ſperabant, ſæpè contenderunt. Nam & ante magiſtri diſceſſum, & in hodierna ſancti Euangelij lectione de hoc inter ſe primatu diſputare cœperunt, quam ſibi vnuſquiſque vindicare volebat. Qua etiam de cauſa aduerſus Iacobum & Ioannem indignati ſunt, quòd ſedes ad dexterã & ſiniſtram Domini, ſubornata matre, petierint. Quemadmodum igitur eo tempore his duobus diſcipulis ſubinuidebant: ita modò eodem affectu aduerſus Petrum commouentur, quòd Dominus pro ſe ac pro illo tantum, non etiam pro aliis diſcipulis tributum pendi iuſſerit. Diuina autem diſpenſatione factum eſt, vt hanc diſcipulorum infirmitatem nobis ſancti Euangeliſtę explicarent, vt hoc argumento intelligeremus, quales eos Dominus acceperit, quales ſpiritu ſuperueniente reddiderit, vt hac ratione diſcipuli, quid natura, quid gratia poſſet, & quid ſibi, quid Deo tribuendum eſſet, agnoſcerent: quo ſic tandem in ſe ipſis quidem humiles, erga Deum verò grati atque deuoti exiſterent: & ita demum ab omni ſuperbiæ veneno immunes eſſent.

*Hieron.*

Acceden-

Accedentes ergo ad magiſtrum diſcipuli, ab eo quęrunt, quis maior eſſet in regno cælorum. Huic autem interrogationi noua quadam & inſolita docendi ratione Dominus reſpondit, *Aduocans enim paruulum, ſtatuit eum in medio eorum, & ait: Amen dico vobis niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Vtrobique Dominus diuerſam ab effectibus carnis noſtræ viam elegit. Cum diſcipuli conſeſſum ad dexteram & ſiniſtram eius peterent, paſſionis calicem illis propoſuit: cùm verò primatum regni cœlorum in præſenti lectione ambirent, infimam illis humilitatis viam, qua ad regnum peruenitur, oſtendit. Sic ſapiẽs & fidelis animarum medicus nõ quid ęget amicus cupiat, ſed quid ei potiſſimum expediat, præſcribit. Itaque ait, Vos de primatu, & ſublimi ſede contenditis, ego autem aſſeueranter prædico vobis, niſi efficiamini ſicut paruuli, non modo cæleſtis regni primatum non aſſecuturos, ſed nullum prorſus in eo regno locum vos habituros. Vos item de terreni regni gloria quęſtionem proponitis, ego ad cæleſtis regni gloriam, quæ vera & ſempiterna eſt, vos reuoco. Quam ſi adipiſci deſideratis, hac lege vobis illam comparare debetis. *Niſi enim conuerſi fueritis: & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicunque ergo humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic maior eſt in regno cælorum.* Hęc Domini verba non tam verba, quàm fulmina mihi eſſe videntur. Quid enim magis timendum, quàm ſub hac omnium extremarum pœnarum hanc à Domino (vt ita dixerim) metamorphoſim præcipi: Qui enim fieri poterit, vt adultus homo, & fortaſſe (vt ille ait) inueteratus dierum malorum hoc modo paruulus fiat? Obſtat enim huic animi ſubmiſſioni omnium humanorum affectuum potentiſſimus, nempe immodicus gloriæ & propriæ excellentiæ amor, imis hominum viſceribus infixus. Qui ſanè affectus adeo latè patet, vt nullus ſit neque tanta humanitate præditus neque tam agreſtis, & inhumanus, neque tantis honoribus inſignis, neque tam obſcurus & ignotus, neque tot virtutis ornamentis excultus, neque tam multis flagitiis coopertus, qui non flagret infinita quadam gloriæ cupiditate. Obſtat ſimili ratione abiectionis atque humilis officij odium, quo aliam homo dignitatis ſuæ iacturam ſibi facere videatur. Nec enim minori ſtudio vulgus hominum ignominiæ notam fugere contendit, quam vadoſa loca, & latentes ſcopulos in mari nautæ. Quo enim alio omnia hominum vota & ſtudia conferentur, niſi vt humiliora officia vel loca fugiant, & ad ſublimiora prouehantur Cum ergo iſti duo affectus velut duo quidam potentiſſimi gigantes mentem hominis ſumma vi ab humilitatis abiectione reuocent

uocent,& ad excelſa rapiant,quis ira ſe ſupra naturam,ſupra modum,ſupraque ſe ipſum attollat,vt his affectibus reclamantibus inanes honores reſpuat,& humili loco, humiliq́ue officio gaudeat? Quomodo ab ea quis cupiditate immunis erit, quæ etiam Apoſtolorum pectora inuaſit, qui tamdiu in ſchola humilitatis ſub humilitatis magiſtro verſati erant? Quòd ſi agreſtes etiam & inculti homines(quorum vilis gloria eſt)hoc morbo laborãt, quid de principibus & opulentis viris,& vana ſciẽtiæ perſuaſione inflatis iudicandum erit,qui & maiorem gloriam ambiunt,& acriores ad eam expetendam ſtimulos habent?

I.

*Qua ratione humilitas paranda ſit.*

Verùm dicet aliquis forſitan: Vehemẽter animos noſtros hæc tua diſputatio concutit, cùm hinc quidem ſummam huius virtutis neceſſitatẽ exaggeras (ſine qua nemini ad regnum cœlorum aditus patet) inde verò maximam eius adipiſcendæ difficultatem propter ingenitã mẽtibus noſtris humanæ gloriæ appetitionẽ,ob oculos ponis. Quid igitur? An ſpes omnis huius virtutis aſſequendæ nobis abiicienda eſt? Minimè verò:immo etiã hæc eadem difficultas viam nobis ad hanc virtutem obtinendam munit,dum nobis & animi noſtri morbum oſtendit, & ad verum animarum medicum remittit. Mandata enim difficilia non faciunt homines tranſgreſſores,ſed humiles. Quod hac in re videre licet. Quo enim vehementius homo ad ſublimes & inanes honores & dignitates aſpirat, hoc magis inanitatem & morbum ſuum, ac velut ſitim febricitantis oſtentat, qui adeò ardenter concupiſcit, quod illi exitioſum & noxium futurum eſt. Sic enim diuina æquitas & ſapientia hominis rebellionem & ſuperbiam puniuit, vt pœna culpæ eſſet etiam medicamentum ſuperbiæ: & quia incautus homo ex donis quæ intra ſe perceperat,occaſionem arripuit ſuperbiendi,ex malis quæ intra ſe caſtigatus ſentiret,materiam ſumeret ſeſe humiliãdi.Sic factum eſt,vt illata pœna admiſſi criminis eſſet non modò ſupplicium,ſed etiam medicamentum.

*Auguſt.* Miratur D. Auguſt.in Geneſi, quod Eua, cùm primùm formata eſt,virago fuerit appellata:cùm verò poſt admiſsũ crimen ad mortem damnata fuit, vitæ nomen acceperit,mateq́ue omnium viuentium fuerit nuncupata. Rectius enim hoc illi nomen conueniret in prima ſua conditione, quando immortalitatis & iuſtitiæ donum acceperat,quàm cùm mortis ſententia aduerſus illam prolata eſt. Quomodo enim cum ſententia mortis vitæ nomen conſentit? Ad hoc autem idem Auguſt.reſpondet,quòd videlicet meritò vitæ nomen prima illa fœmina acceperit, cùm

ſublatis

ſublatis donis, quæ illi ſuperbiendi occaſio extiterant, eas intra ſe moleſtias & incommoda ſentiret, quæ illi ſeſe humiliandi & ſubmittendi materiam ſingulis penè momentis præberent: vt hac miſeriarum ſuarum cognitione admonita, vitam reciperet, quam donorum cœleſtium abuſu perdiderat. Has autem moleſtias eſſe quoſdam mentis noſtræ monitores, qui ad humilitatẽ hortentur, & à ſuperbia auocẽt, declarat idem Auguſt. qui Confeſſionum ſuarum librum his verbis exorditur: Laudare te Domine vult homo, aliqua portio creaturæ tuæ: homo circũferens mortalitatem ſuam, circumferens teſtimonium peccati ſui, & teſtimonium quòd ſuperbis reſiſtis. Quibus verbis non obſcurè vir ſanctus declarauit, corporis animíque moleſtias, quibus perpetuò infeſtamur, voces eſſe quæ ſuperbiam deteſtentur; cum hæc omnia mala antiquæ illius ſuperbiæ ſupplicia ſint. Quocirca mirum non eſt, ſi tunc prima illa fœmina vitæ nomen acceperit, quæ tot contra ſuperbiam, ſalutis & vitæ exterminatricem, remedia & medicamenta percepit. Quiſquis autem hoc mira- 2. Cor. 2.
tur, in Apoſtolum oculos cõiiciat, cui magnitudo reuelationum donorumque cœleſtium, elationis ac proinde mortis occaſio fuiſſet, niſi ſtimulus ille carnis, & quotidiana fragilitatis ſuæ experimenta huic periculo obſtitiſſent, quæ illum ad ſui cognitionem, & veram cordis humilitatem inducebant. Quid ergo mirum ſi vitam appellem, quod mihi (ſi rectè vti velim) ſalutis & vitæ materiam præbet? Quiſquis igitur ingẽtes ſpiritus, ad quos corrupta & læſa nos natura rapit, comprimere cupit oculos ſuos ad interiora mala, quæ propter ſuperbiæ ſcelus inflicta ſunt, vertat, ibi enim contra morſum viperæ, ex vipera ipſa antidotum Rom. 8.
inuenietvt ipſe quoque (ſicut de Domino Saluatore dictũ eſt) de peccato damnet peccatum. Hanc autem humilitatis viã breuiter nobis Dominus per Prophetam oſtendit, cum dixit, Hu- Mich. 6.
miliatio tua in medio tui: quia videlicet non procul à te, ſed intra te (niſi aures occluſeris) humilitatis magiſteriũ retinet. Habes enim intra te fluidum & caſurum corpus, infinitisque morbis obnoxium, non ex terra aut aqua, vnde ſtirpes, aues & piſces procreati ſunt; ſed ex infima terræ parte, nempe ex limo terræ formatum; vt hoc nomine iure nos Propheta ab inani ſuperbię tumore reuocet. Pro eo enim quod nos legimus, Non apponat magnificare ſe homo ſuper terram, Hieron. ex Hebræo vertit, Pſal. 9.
Non apponat magnificare ſe homo de terra. Quid ergo ſuper- Hieron.
biat homo de terra; qui in eandem vertendus eſt? Si verò intra corpus animũ ſpectare incipias, offert ſe primum tibi irrequieta & volubilis imaginandi vis, quæ arborum foliis inconſtantior &

tior & volubilior, vix Dominicam orationem, ſublata in Deum mente, proferre ſinit: vſque adeò terrenarum rerum cogitationibus fluctuat. Offert ſe deinde ſentiẽdi appetitus, proprij amoris ſedes, & cupiditatum, voluptatum atque peccatorũ omniũ ſeminarium, quod inſtar olidi ſterquilinij mortiferos variorum vitiorum fœtores exhalat. Hæc enim omnia velut interni quidam doctores ſunt, qui aſſiduè vocem illam auribus noſtris inſuſurrare videntur: Hominem te eſſe momento. Rurſum ſi ad præteritæ vitę conditionem oculos conuerteris, videbis eam innumerabilium penè delictorum ſordibus fœdatam: adeò, vt
*2. Par. 36.* cum rege pœnitente dicere verè poſſis, Peccaui ſuper numerum arenæ maris, & nõ ſum dignus videre altitudinẽ cæli præ multitudine iniquitatis meæ. Adde his etiã motus animi noſtri rebelles, quos à nobis radicitus euellere non poſſumus. Adde quotidiana variarum tentationum pericula, quibus pios Dominus
*Greg. Mor. li. 4.* ad infirmitatis ſuę cognitionem vexari permittit. Hinc D Gregorius, Fit Deo prouidente, vt qui fortia vincit, à leui ſuperetur: quatenus ſic agnoſcat à Deo fuiſſe, quòd maiora vicerit: & ita mens ſua de infirmitate roboretur. Quare Cananæus conteri potuit, non potuit exterminari: efficitur tamen tributarius, quia
*Iudic. 3.* & vitium illud humilitati ſubſeruit. Quare Iudicum 3. dicitur, Hæ ſunt gentes quas reliquit Dominus, vt erudiret Iſrael. Semper enim ab eis vinci formidandum eſt. In paruis autem diſcit, quòd ex ſe maiora non ſubiecit. Hactenus ille. Quis igitur dum hanc tantam intra ſe miſeriarum atque malorum ſcaturiginem
*Eccle. 10.* ſentit, intumeſcere atque ſuperbire audeat? Rectè enim Eccleſiaſticus, Quid, inquit, ſuperbit terra & cinis? Non adeò mirum eſſe videtur altiſſimum illum Angelum eleuaſſe cor ſuum in decore ſuo, quippe qui harum miſeriarum expers erat: at qui tantos intra & extra nos in corporre ſimul & anima viſitatis & humilitatis teſtes & præcones habemus, quo pacto efferri, & inaniter gloriari poſſumus? Quid verò miſeriarum omnium extremã, omniumq; terribilium vltima mors? Quantum hæc ingentes etiam hominum ſpiritus extenuare atque demittere poteſt: cùm ij attentè conſiderant, quò tãdem omnis humana potentia, quò ingentia imperia & ſceptra cadant. Hoc planè (vt multa alia argumẽta præteream) vel vnius Cyri Perſarum Regis epitaphium ſatis indicat, illius inquam Cyri de quo extat
*Eſa. 45.* magnificentiſſimum illud Eſaiæ vaticinium: Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cuius aprehẽdi dexteram, vt ſubiiciam ante faciem eius gẽtes, &c. Hic igitur poſteaquam Aſſyriorum regno potitus eſſet, & monarchiam ab Aſſyriis ad Perſas tranſtuliſſet,

tuliſſet,tãdem naturæ concedens, hoc ſibi tumulo epitaphium inſcribi præcepit.

*O vir quicunque es,& vndecunque aduenis,neque enim te aduenturum ignoraui:Ego ſum Cyrus,qui Perſis imperium cõſtituti Puſillum hoc terræ quo meum tegitur corpus,mihi ne inuideas.*

Quis igitur in his pauculis verbis nõ apertè humanæ gloriæ atque potentiæ inanitatem videat? Si enim hic humanæ iactantiæ finis eſt,quid habet puluis & cinis cur inſoleſcere atque efferri debeat?Quid verò ille eorundem Perſarum domitor Alexander,cuius ſuperbiæ vix totus orbis ſatis erat: vt de eo Poeta cecinit,*Vnus Pelleo iuueni non ſufficit orbis:*quem tandem vitę exitum habuit?nónne eum, qui penè tumuli honore caruiſſe videatur?Vnde eius mater Olympias, cum filij cadauer inſepultum iacere vidiſſet, inter materna lamenta exclamaſſe dicitur: O fili,tu qui ſtudebas cęli particeps eſſe,huc toto impetu properans,ne iis quidem potiri potuiſti, quæ ſunt mortalium omnium communia,terra,ac ſepultura.Alexander viuus ambiebat diuinos honores, defuncto nec ille cõtigit vltimus honos quę quiuis homo perſoluit,homini quamlibet humili.Narrãt enim Q.Curtius & Plutarchus,Alexandri corpus multis diebus inſepultum iacuiſſe,obgraues Procerum concertationes de ſucceſſione principatus. *Q.Curt. & Plut.*

Quiſquis igitur,fratres,hæc omnia prudẽter conſideraverit, facilè omnem à ſe animi elationem atq;faſtum excutiet & ita demum inſignem illam humilitatis virtutem aſſequetur, qua inſtar paruuli effectus in regno cælorum magnus fiat.

Huic autem conſiderationi illud etiam adiungere curabit,vt humilitatis amator ab omnibus admoneri,ab omnibus corripi paratus ſit.Hoc enim ſanctorum virorum propriũ fuit, vt quo quiſq;ſanctior atq;ſapientior eſſet,hoc magis ab omnibus corripi atque moneri paratus inueniretur.Hinc D Gregor.Ab omnibus,ait,corripi,ab omnibus emendari paratus ſum: & ſolum mihi amicum æſtimo, per cuius linguam,ante apparitionẽ diſtricti iudicis meæ maculas mentis tergo.Sic ergo magnus ille Doctorum doctor Auguſt.Ego,inquit,& ſenex, & Epiſcopus, paratus ſum à puero doceri.Quid hac cordis humilitate ſubmiſſius?Non enim quiſquam de populo hoc dicit, ſed ille de quo dictũ eſt,Legi Dei deeſſe, quicquid Auguſtinũ ignoraſſe contigerit.Hac igitur ratione ſexagenarius Auguſtinus in Euangelicum paruulum conuerſus eſt, dum ſe à paruulo erudiri paratum exhibet.Sic tamen in hac parte humilitatem colere debemus,fratres,vt meminerimus ſcriptum eſſe, Noli eſſe humilis *Gregor. in Epiſt.* *Auguſt.* *Eccle.13.*

*Eccle. 5.* in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiã seducatis. Et illud itẽ Esto firmus in via Domini, & in veritate sensus tui. Sic enim & humilitatem conseruabimus, & virtutis & constantiæ firmitate retenta, nequaquam circumferemur omni vento doctrinæ.

Deinde illud etiã præstare debet quisquis huius eximiæ virtutis cultor & amator est, vt nequaquam humiliora officia, humilioráque loca & abiecta dedignetur. Vt enim diuus Bernar-
*Bernard.* dus ait, Humiliatio, via est ad humilitatem: sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si ergo virtutẽ appetis humilitatis, viam nõ refugias humiliationis. Humiliationis autẽ nomine vir sanctus non solùm humiliora loca & officia, sed pau-
*2. Cor. 12.* pertatẽ etiam, & angores, & lachrymas, cæterósq; corporis & animi labores intelligit. Cuius verbi significatione Apostol⁹ vsus est, cùm ait: Ne iterũ cùm venero humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex his qui peccauerunt, &c. Vt autem humiliatio ad humilitatem: ita contrà secundæ res, honores & potẽ-
*Psal. 72.* tia ad superbiam & fastum viam muniunt. Hinc regius vates, In labore inquit, hominum nõ sunt, & cum hominibus nõ flagellabuntur: ideò tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate &
*Psal. 130.* impietate sua. A quo quidẽ fastu longissimè se abesse idem Vates profitebatur, cùm diceret: Domine non est exaltatum cor meũ, neque elati sunt oculi mei, neq; ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me. Hoc igitur modo potẽtissimus hic Rex se ad paruuli mensuram contrahebat, dum & intus corde nihil de se magnum sentiebat, & foris se ad ima demittens, nu-
*2. Reg. 6.* dus ante arcam Domini saltare nõ erubescebat. Micholi autem vxori hanc in Rege humilitatẽ obiurganti respondit: Vidit Dominus, quia lũdam ante Dominũ, qui elegit me potius quàm patrem tuum, & quàm omnem domum eius, & præcepit mihi vt essem dux super populũ Domini in Israel: & ludam & vilior fiam plus quàm factus sum: & ero humilis in oculis meis, & cũ ancillis de quibus locuta est, glorioſior apparebo.

His igitur rationibus, fratres, hanc virtutem, quæ omnium aliarum radix, fundamentum & custos est, assequemur, si his etiam assiduæ orationis studium adiungamus, qua illam à Dño virtutum continuis votis ac desideriis postulemus. Orationis
*Theodoretus.* enim virtus quàm latissimè patet, & ad omnia valet. Hinc quidam ex illis eremi Patribus (vt Theodoretus in historia religiosa memorat) medicos aiebat variis pharmacis ad varios morbos curandos vti: at fidelem & deuotam orationem ad omnes animorũ morbos curandos, & virtutes adipiscẽdas commune remedium & medicamẽtum esse. Per hanc igitur nos tanquam

paruulos

paruulos ante diuinæ maiestatis conspectum exhibeamus, profitentes nos sufficientes non esse cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, sed omnem sufficientiam nostram ex Deo esse. Hoc enim de se penitus cognitum & exploratum habere, & sic de se demisse atque humiliter sentire, id demum est euangelicũ paruulum esse. Sed quia diutius fortasse, quàm par erat, in hoc paruulo effingendo immorati sumus, quid de his qui hunc talẽ paruulum offenderint, Dominus dicat, videamus.

II.

*Qui*, inquit, *scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, &c.* Qua Dominus charitate huiusmodi paruulos amplectatur, aperte his verbis indicat, cum & iuuantibus maximum præmium, & nocentibus, siue scandalum inferentibus maximum minetur supplicium: de quo multa, & quidem grauissima, in sacra huius diei lectione persequitur. Quæ res non modo horum paruulorum dignitatem, sed immensam Domini bonitatem, & erga genus hominum charitatem non obscure declarat. Sicut enim admiranda illa hospitalitatis & misericordiæ commendatio (quam in extremo iudicio prolaturus est) eximiam eius in homines charitatem & misericordiam ostendit, quæ tam magna præmia, pauperum miserias subleuantibus, constituit: ita non minus eandem charitatem demonstrat, cum magna supplicia nocentibus, & scandalum paruulis inferentibus comminatur. Atque vt mirabilem concordiam inter Euangelicam & Apostolicam doctrinam pernoscatis, legite, quibus licet, Pauli Epistolas ad Romanos, & Corinthios: in quibus Apostolorum aduersus scandali peccatum tonantem & fulminantẽ videbitis: inter alia verò sic ait, Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem: & iterum, Bonum est mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet. Gloriam autem suam appellat nullum offendiculum præbere Euangelio Christi. Iam verò qualis illa Apostoli vox, quàmq; apostolico pectore digna, Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? ille enim scandalum, ego incendium patior. Cuius autem periculi sit, infirmis hominibus scandalum, hoc est, peccati occasionem præbere, idẽ declarat his verbis? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam infirmam, in Christum peccatis. Christus autem Dominus peccatũ hoc inultum abire non sinit, quin & illud frequenter præsenti vindicta plectere solet. Sic enim sororem B. Catharinæ Senensis, Bonauenturam nomine, è medio substulit, & grauissimas igne

1.Cor.8.

1.Cor.9.

2.Cor.11.

Rom.8.

purgatorio pœnas pendere coëgit, quòd multa vi precũ Christi virginem ad faciem ornandam impulerit, quo eam ad coniugij spem,& mundi amorem alliceret. Sed aliud camẽ huius rei multo formidabilius,ac penè incredibilius exemplum ex dicto Hieronymo hoc in loco referam. Is igitur in epistola ad Lætam sic ait: Prætextata, nobilissima quõdam fœmina, iubente viro Hymetio, qui patruus Eustochij virginis fuit, habitum eius cultumque mutauit: & neglectum crinem mundano more pexuit, vincere cupiens & virginis propositum, & matris desiderium: & ecce tibi eadem nocte cernit in somnis venisse ad se Angelum, terribili voce minitantem pœnas, & hæc verba frangentem: Tu ne ausa es viri imperium præferre Christo? Tu caput virginis Dei tuis sacrilegis attrectare manibus, quę iam nunc arescent, vt sentias excruciata quid feceris: & finito mense quinto ad inferna duceris. Sin autem perseueraueris in scelere, & marito simul orbaberis, & filiis. Omnia per ordinem expleta sunt, & serã miseræ pœnitentiam velox signauit interitus. Sic vlciscitur Christus violatores templi sui, & sic gemmas, & pretiosissima ornamenta defendit. Et hoc retuli, non quòd insultare velim calamitatibus infœlicium, sed vt moneam, cum quanto metu & cautione seruare debeas, quod Deo spopondisti. Hactenus Hieronymus. Quis igitur dum hęc audit, non perhorrescit, si se huius criminis reum aliquando fuisse cognoscit? Nã de huius adeò tremendæ historiæ fide dubitare non licet, cùm eius D. Hieron. & scriptor, & oculatus testis extiterit. *Hieron.*

Quisquis igitur hæc ipsa diligenter animaduerterit, minimè mirabitur quod post hæc Saluator inferat. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proiice abs te* Hoc in loco pedum & manuũ nomine coniunctissimos nobis homines, maximeque necessarios, qui nobis pro pedibus & manibus sunt, accipere debemus: quorum si consuetudo, si familiaritas, si dicta factáve illorum ita mentem nostram perturbat, vt vel nos à studio rerum diuinarum, vel ab amore in Deum auocent, vel ad inhonesta & inconcessa rapiant, gladio diuini timoris abscindendi atque repellendi sunt. Hic enim est spiritualis ille gladius, de quo Saluator ait, Non veni pacem mittere in terram, sed gladium. Non contentus autem pedum, manuúmve abscissione oculum etiam effodiendum docet, cùm subdit: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proice abs te.* Quæ quidem sententia Domini ad spiritualem etiam rationis humanæ oculum referri debet. Cùm enim hic oculus vel fidei dogmatibus contradicit, vel miser homo calamitates suas cum aliorum secunda fortuna comparans, de di *Mat.10.*

uina

uina prouidentia & iustitia tentari incipit, cùm inopiam suam cum aliorum opibus comparat, tunc spiritualiter oculos iste ne quam eruendus, & in obsequium fidei captiuandus est, quę fides Dei iustitiam & æquitatem defendit, auribusque nostris, quod olim Petro dictum est, insusurrare videtur: Quod ego facio, tu neścis modò, scies autem postea. Sciuit posteaquàm è viuis excessit Lazarus, quam gloriam mendicitas & vicera illa sua sibi pepererint: quāta verò diuiti epuloni splendida mensa & purpurea vestis supplicia comparauerint. *Ioan. 13.*

Demùm post tot minas, totque documenta ad vitandū scandalum à Domino data, quasi parum esset quod hactenus dixerat, iterum perorata causa, dictorum memoriam renouat, dicens: *Videte ne cōtemnatis vnum ex his pusillis. Dico enim vobis, quia Angeli eorū in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Hactenus quidem Dominus exposito periculo nostro, nunc proposita paruulorum dignitate, à scandali maleficio deterret: quòd videlicet tātæ curæ sint Patri cælesti, vt supernis illis spiritibus, qui splendidissimam eius faciem semper intuentur, eorum custodiam atque tutelam commiserit. Summus enim ille rerum moderator ac conditor Deus, qui cælum terris miro charitatis modo cōiunxit, quique hanc tantam rerum vniuersitatem ita deuinxit, vt supra infimis, per ea quæ in medio posita sunt, vim suam communicaret (vt ita tandem ex tam multis variisque rebus, tāquam ex diuersis sonorum interuallis pro certa ratione distinctis consona quædam rerum vniuersitas surgeret) is vtique sublimen illam Angelorum naturam cum humana ita colligauit, vt qui in cœlis diuinæ pulchritudinis speciem contemplantur, in terris ad hominum custodiam destinarentur.

Quòd si eorum (quod ad nostri custodiam attinet) officia quæras, multa planè sunt. Primùm, corpora nostra ab iniuriis dæmonum tuentur: qui cùm capitali nos odio prosequantur, eadem mille modis vexarent atque laniarent, nisi eorū furori Angelorum præsidia obsisterent. Ideoq; nihil in hac parte aduersum nos possunt, nisi quod illis Dominus posse permiserit. Quod facilè illa beati Iob vexatio declarat, in quem perfidus ille hostis nihil potuit, nisi quod Dominus voluit. Idem etiam sub imagine quadam videre licet in eo leone qui deceptū Prophetam ex voluntate Domini interemit: qui tamen neq; corpus eius, neq; asinū, cui insidebat, tangere ausus est, sed iuxta vtrumque esuriens & innocens leo, vt prædæ suę custos, non vt deuorator inuentus est. Neque enim aliud in corpus viri Dei potuit, quàm quod illi Dominus concessit. Quod idem de leone illo qui rugiēs circuit quę

rens quem deuoret, intelligendum est. Hinc autem Angelorũ cu-
*Psal.3.* stodiam regius Propheta declarat, cũ ait: Immittit Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Pro, immittit,
*Hieron.* autẽ diuus Hieronymus ex Hebræo significãtius vertit, Castra metatur Angelus Domini in circuitu timentium eum, &c. Cuius
*Cant.7.* verbi vim Sponsus in Canti. exprimit, cùm ait, Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorũ? Vidit hoc planè puer Elisei, cũ totũ mõtem igneis curribus plenũ in circuitu Elisei demiratus est.

Diligentius tamen Angeli piorum animas à peccato, quàm à morte corpora seruant. Testatur hoc illustris illa fœmina Iudith,
*Iudit.13.* quæ Holofernis abscissum caput secum gestans, hoc de Angelo suo testimonium tulit, Viuit autem ipse Dominus, quia custodiuit me Angelus eius, & hinc abeuntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem: & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati reuocauit me vobis gaudentem in victoria sua, in euasione mea; & in liberatione vestra. Nec à peccatis solùm, sed ab occasionibus etiam, per quas homines in peccatum labi possent, solicitè custodiunt.
*Psa.90.* Quod non obscurè Regius vates designauit, cùm ait, Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. In manibus autem portare, est peccandi occasiones abscindere, ne in peccati præcipitium incidamus. Idem etiã hostis antiquus testatur, cùm de B. Iob ad Dominũ loquẽs ait: Nónne tu vallasti eum, & omnem domum eius: hoc est, omnes aditus occlusi-
*Simile.* sti, ne ego in illum irrumpere, illum lædere, aut in peccatũ præcipitare possem? Vt enim vitrea vasa, quæ fragilia sunt, mollibus integumentis, ne ad duriora corpora allidantur atq; frangantur, cõseruare solemus, ita misericordiæ vasa Dominus angelica protectiõe sepit, ne vlla vis eorũ teneritudinẽ lędere aut violare queat.

Est etiã curę beatis istis Spiritibus, orationes & eleemosynas, piaq; opera nostra communi Dño præsentare. Quod satis apertè
*Tob.12.* Raphaël Angelus Tobiæ significauit, cùm dixit, Quando orabas cum lacrymis, & sepelibas mortuos, & relinquebas prandiũ tuũ, & mortuos abscondebas per diẽ in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuã Domino. De hoc autẽ An-
*Apoc.8.* gelorũ ministerio sic Ioan. in Apoc. Venit, inquit, Angelus & stetit antẽ altare, habens thuribulũ aureum: & data sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronũ Dei. Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.

Cùm ergo beati isti Spiritus piorum vota & preces esse Deo gratissi-

gratissimas intelligant, libenter astant orantibus, & intersunt meditantibus, vt habeant quod conditori suo pro nobis offerant. Hinc illud in Cant. Quæ habitas in hortis, amici auscultant te, fac me audire vocem tuam. Vox est cælestis Sponsi ad amantissimam sponsam in amœnissimis scripturarum hortis commorantem, seque ipsam diuinorum mysteriorum contemplatione pascentem: quam Angeli circumstant, eius cõtubernio gaudentes, & deuota orationis & laudum eius cantica audire gestiẽtes. Quid igitur? An non ipsi multò dulcius atque suauius canunt? Canunt planè: sed quemadmodum homines philomelæ, similiumque auium cantilantium modulatione delectantur, cum tamen humanæ vocis organum longè sit gratius atque iucundius: ita beati illi Spiritus diuinis præcibus & laudibus humana voce decantatis magnoperè oblectantur, quamuis ipsi longè dulcius atque suauius canant. His igitur modis, multisque aliis, quos recensere longum esset, beati illi Spiritus solicitam nostri curam gerunt. Ipsi namque (vt D. August. ait) adiuuant laborãtes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus, de te, inquam, gaudentibus: cõpatiuntur patientibus, pro te, inquam, patientibus. Grandis est iis cura de nobis, magnus est affectus dilectionis eorũ erga nos: & hoc totum propter honorem tuæ inæstimabilis charitatis, qua dilexisti nos. Diligunt enim, quos tu diligis: custodiunt, quos tu custodis: & deserunt quos tu deseris. Nec diligunt operantes iniquitatem: quoniam & tu odisti omnes operantes iniquitatem. Quoties benè agimus, gaudent Angeli, & tristantur dæmones: quoties verò à bono deuiamus, diabolum lætificamus, & Angelos tuos suo gaudio defraudamus. Gaudium est enim eis super vno peccatore pœnitẽtiam agente, sed Diabolo super vno iusto pœnitentiam deserente. Da igitur, da Pater eis semper gaudere de nobis, vt & tu semper per eos laueris in nobis, & nos cũ eis in vnum ouile tuum adducamur, vt confiteamur simul nomini sancto tuo creator hominum & Angelorum: qui cum vnigenito filio tuo viuis & regnas in secula seculorum. Amen.

*Cant. 8.*

*Similia.*

*August. in soliloq.*

In eodem festo S. Michaelis Archangeli concio tertia; in qua, post Euangelicæ lectionis enarrationē occasione superbię Angelorum, quos è cœlo S. Michael exturbauit, de peccato superbiæ agitur. De quo tria præcipuè tractantur: Primò, quibus modis homines in hoc peccatum incidant: deinde quæ hominum genera huic præcipuè morbo obnoxia sint: ac postremò varia huius morbi remedia assignantur.

THE. *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Matth. 18.

*Simile.* SOlent, qui de nauigandi ratione scribunt, vadosa loca, & scopulos præcipuè, qui sub vnda latent, diligenter annotare, & in charta describere, vt ab illis naturæ naues submoueant. Cùm autem hęc ipsa vita, quam viuimus, nauigatio quædam sit, qua ad optatum sempiternæ vitæ portum (ad quem conditi à Deo sumus) nauigationis cursum dirigimus, necesse est, vt nos quoq; vadosa loca, & vitiorum scopulos, sub virtutis imagine latētes, solicitè describamus ne ad eos innocentiæ nauem illidamus, & iustitiæ atque pietatis naufragium faciamus. Inter omnes autem huiusmodi scopulos nullus pernicioſior, nullus occulsior, quàm superbia est, quam & maximum & occultissimum omnium vitiorum in præcedenti concione esse diximus. Quod qui non credit, in summum illum Angelum, quem S. Michael ex summa cœli arce in tartarum præcipitauit, oculos coniiciat,
*Dionys.* quem D. Dionysius vnum quidem ex summis cœli principibus,
*Gregor.* D. autem Gregorius, Angelorum omnium principem esse ait; cui hoc peccatū sola breuissima cogitationis mora cōmissum æternæ dānationis causam attulit; & nobilissimam illam creaturam, creaturarum omnium pessimam & infœliciſſimam reddidit. Quin & illud ad huius crīminis detestationem verè dici potest, ipsum omnium ruinarum atq; malorum causam & fon
*Pro. 16.* tem esse. Veriſſimè enim à Salomone dictum est, Contritionē
*Ibidem.* præcedit superbia: &, Ante ruinam exaltabitur spiritus. Vnde enim hæreses omnes, vnde schismata, vnde omnes etiam carnis lapsus, in quos, qui virtutem sectabantur, inciderunt, nisi ab hoc fonte manarūt? De hoc igitur maximò superbię periculo, quod in huius vitæ pelago nauigaturis imminet, in præsenti cōcione

agere

agere constitui. Ad quod & Euangelica lectio (in qua Dominꝰ occultam discipulorum superbiam curare voluit) & sancti Michaelis festũ nos etiam adigit: cuius illud memorabile facinus celebratur, quod superbiẽtes aduersus Deũ Angelos è cœlestis regni sedibus præcipitauerit. Prius tamen Euangelicam lectionem, quæ huius doctrinæ fundamentum est, breuiter explicabimus, vt diutius in huius vitij penetralibus excutiendis immorari valeamus. Ait igitur S. Euangelista.

*Accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes, Quis, putas, maior est in regno cœlorum?* Hanc interrogationem ex occulta superbiæ radice orLuc. 9.
tum habuisse apertè Lucas ostendit, dicens, Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum esset maior: nec cogitatione solùm, sed verbis etiam hoc inter se tractauerãt. Vnde Marcus narrat discipulos primùm cũ venissent Capharnaum, à Christo fuisse Marc. 9.
interrogatos, Quid in via tractabatis? siquidem in via inter se disputauerant quis eorum esset maior. Considerate, quæso, fratres, quàm latè virus superbiæ pateat, quòd non solùm opulentos, & principes viros, qui aliud habere videntur vnde gloriari possint, sed abiectos etiam piscatores & inopes inuadit. Licet enim illorum res angusta sit domi, & externo habitu sint abiecti: tamen ex ingenij humani corruptione, quæ ex Adam cuncti sumus, ineſt mortalibus, sæpè fastum intus alunt, quem per affectum cordis humiliati tollere oportet. Scrutator ergo cordiũ Dominus huius interrogationis causam intelligens, respondit, *Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, &c.* Nõ parum ponderis habet, quod cælestis magister admonitioni huic grauissimã præmisit asseuerationem, vt de eius veritate dubitare nemini liceret. Itaque perinde est ac si dicat: Vos contenditis de primatu regni cælorum, at ego asseueranter vobis affirmo, quod nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli adeò nõ efficiemini in regno meo magni & illustres, vt ne pro discipulis quidem meis vos sim habiturus. Quomodo autem paruuli effici debeamus, Petrus Apostolus in Epistola sua docet 2. Pet. 2.
his verbis, Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones, sicut modò geniti infantes rationabile & sine dolo lac concupiscite. *Quicũque ergo se hoc modo paruulum fecerit, hic maior est in regno cælorum: & qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit.*

Quo in loco, suscipiendi verbum non tantum sonat hospitio excipere, sed quoduis etiam benignitatis obsequium exhibere. Hoc enim sensu Apostolus dixit, Suscipite inuicem sicut & Rom. 15.
Christus suscepit vos: hoc est, adiuuate vos inuicem, mutuisq;

officiis fouete Cui officio magnam sanè proponit mercedem, cùm dicit, se ipsum, hoc est, vnigenitum æterni Patris filium in his paruulis excipi atque foueri. Qualis ergo merces ex tali beneficentiæ officio, quod in ipsum Dei filium confertur, speranda est? Vt autem officiosis in hos paruulos inæstimabile propositur præmium: ita scandalum inferentibus maximum Dominus minatur supplicium: Subdit enim: *Qui autem scandalizauerit vnum ex his pusillis qui in me credũt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* His verbis (vt Hieronymus ait) supplicij genus peculiare Palæstinis designauit, quod ob enormia crimina solebat exigi. Suspendebatur enim collo noxij saxum molare, & demergebatur in profundum. Satis erat hæc tanta supplicij acerbitas ad criminis huius grauitatem exaggerandam. Verùm addit supplicio Dominus exclamationem interni doloris indicem, cùm subdit, *Væ mundo à scandalis.* Væ, maledictionem & damnationem significat. Est ergo sensus: Væ, id est, maledictio ipsi mundo propter scandala quibus est plenus, cùm totus sit in maligno positus. Cùm autem stultorum numerus sit infinitus, tot erunt etiam scandala & offendicula, quæ simpliciter in via gradientibus obiicientur. Ideóque subdit necesse esse vt veniant scandala, qui cùm tot in mundo praua opera & exempla, & praua item perditorum hominum dogmata & concilia sint, cùm tot etiam modis homines hominibus partim contumeliis, partim iniuriis, partim detractionibus & iniquis litibus noceant, consequens est vt multis modis infirmi homines scandalum patiantur. Hęc autem à Theologis necessitas consequentię, nõ consequentis esse dicitur Nec enim absolutè necesse est vt scandala veniant, sed cùm tot in mundo sint causæ malorum, cõsequens est, vt ex his mala & scandala oriantur. Nec tamen malis impunè erit, quod necesse sit venire scandala, cùm ij instrumenta sint Satanæ, qui egregiam illi operam nauant, eiusque negotium & officium gerunt. Cuius autem grauitatis hoc peccatum sit, ex animarũ prætio, quod Christi sanguis est, æstimari poterit. Si enim aurum est, quod auro emitur, sanguis vtique Christi erit quod eius sanguine redemptum est. Hunc autem effundunt atque conculcant, qui prauis monitis & exemplis fidelium animas corrumpunt. Quo quidem peccati genere multò grauiùs deliquunt Principes siue in Ecclesia, siue in Republica viri: tum quia eorum praua opera magis conspicua sunt, tum quia honorem & dignitatem vitiis dignitatis suę auctoritate præbent. Nemo enim inglorium sibi esse putat id facere, quod sublimes

limes in Republica viros facere constat: ita fit vt ij plus exemplo quàm peccato noceant. Quod sanè obscuris hominibus, & intra priuatos parietes degentibus non perinde contingit. Isti enim cum peccant, sibi solis præcipuè nocent. Itaque vt humana cadauera nemini nocent, inhumata verò putredine sua aërem inficiunt, & pestem hominibus afferunt: ita cùm priuatus homo intra domesticos parietes latens peccat, se vnum tantùm damnat, publici autem homines, quales Episcopi, magistratus, & patresfamilias sunt, cùm in officio delinquunt, velut inhumata cadauera multorum malorum causa existunt. Cùm Moyses cinerem in altum effudit, vesicæ turgentes, & morbi Ægyptios grauiter infestarunt: ad hunc ergo modum cùm leues homines excelsum in Repub. vel in Ecclesia locum occupant, necesse est vt varia malorum genera in ea cõsequantur. Vnde pro eo quod nos legimus, In circuitu impij ambulant, secundum altitudinem tuã multiplicasti filios hominum, D. Hieron. ex Hebræo vertit: In circuitu impij ambulant, cùm exaltati fuerunt vi liſſimi filiorum hominum. *Simile.* *Psal. 11.*

Adauget autem Dominus criminis huius grauitatem, cũ subdit: *Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proiice abs te.* Animaduertite, quæso, qua cura nos Dominus adhortetur, vt omnes scandali occasiones vndecunque irruentes amputemus. Leuius fuisset dixisse, caue, obserua, cohibe: at quã tò maius quod præcipit, vt abscindamus omnem offendiculi materiam, quo demonstret, quanta sit magnitudo periculi, quãdo, nisi id fiat, prorsus sit pereundum, non minus atque si quis viperam è manu pendentem nõ concitus excuteret. Est autem hæc adhortatio ab vtili & commodo conseruandi vniuersi. Vbi enim totus homo periclitatur, præstabilius est vnius membri iactura totius reliqui corporis salutem redimere, quàm seruato membro luxato & putrescente, totius corporis salutem in discrimen conijcere. Hæc ratio habet simile sumptum ab illis, quibus morbida membra per chirurgos amputantur, & seruetur quod reliquum est corporis sanum. Certè hunc animũ nobis à natura insitum habere debemus, vt alicuius membri dispondio (si aliter fieri non potest) vitam seruemus. Si enim tanto studio corporis vita retinetur, quanto maiore animæ salus ac vita conseruanda est? Quid enim habet eximij momẽti, si corpus abscisa dextera seruetur breui postea morituram: animæ verò longè alia est ratio: id quod & Poëta gentilis agnouit cum canit,

*Vt corpus redimas, ferrum patieris & ignes.*
*Arida nec sitiens ora lauabis aqua.*

*Vt valeas animo, quicquam tolerare negabis.*
*At pretium pars hæc corpore maius habet.*

Deniq; non contentus Dñs tot modis nos à scandali peccato deterruisse, addit etiam extremam, eandemq́ue breuissimam admonitionem, dicens: *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis, &c.* quod perinde est ac si diceret, Etiam atque etiam curate, & soliciti ac diligentes estote, ne pios atque humiles contemnatis. Non enim ait, Ne lædatis, aut perdatis vnum ex his, &c. sed ne contemnatis: quo verbo omnem offensionis ac læsionis fontem, quo pusilli lædi possunt obturat. *Dico enim vobis, quia Angeli eorũ in cælis semper vident faciẽ Patris mei qui in cælis est.* A dignitate ergo Angelorum quibus paruulorum tute a commissa est, eorundem amplificat dignitatem. Sunt enim Angeli immortales, inuisibiles, indissolubiles, incommutabiles, simplices, hoc est, ab omni corporea mole secreti, in genere suo perfecti, mente puri, affectu benigni, religione pij, vnanimitate indiuisi, pace securi, diuinisq́ue laudibus & obsequiis semper intenti. Inter quos maiores sine cœlatione præsunt, & minores sine murmure subsunt: qui cum ad exteriora exeunt, ab interieri diuinitatis contemplatione non recedunt. Quanta ergo reuerentia iis hominibus exhibenda, qui tales à Deo pędagogos, custodes, atque salutis suę ministros nacti sunt? Hactenus de Euangelica lectione, nunc præcipuam eius sententiam, qua superbiæ peccatum à Domino accusatur, in reliqua concionis parte persequamur.

I.

De hoc igitur occultissimo atque maximo superbiæ crimine dicturi primum, quibus modis homines in hoc vitium incidant explicabo: deinde quæ hominum genera huic morbo prępiuè obnoxia sint: ac postremò, quibus aduersus pestilentissimũ hunc animorum morbum remediis vti debeamus, expediam.

Multis modis homines in hoc superbiæ præcipitium vel non sentientes cadunt. Quidam enim adeo stupidi, adeoq́ue sui, ac rerum diuinarum ignari sunt, vt quidquid præclarum, siue in bonis naturæ, siue industriæ, siue fortunæ habeant, vel sibi ipsis, non bonorũ omnium auctori Deo tribuant, vel sic se in animo & vita gerant quasi à se ipsis, non ab ipso percepissent. Quorum mentem & cæcitatem superbus ille Pharao repræsentat, cui per Ezechielem Dominus dixit: Ecce ego ad te draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis, Meus est fluuius, & ego feci memetipsum. Similiter modo Assyriorũ Rex deliquit, cui Dominus exitium prophetica voce minatur his verbis, Visitabo super fructum magnifici cordis Regis Assur, & super gloriã altitudinis

*Ezec. 29.*

tudinis oculorum eius. Dixit enim, In fortitudine manus meæ feci, & in sapientia mea intellexi, & abstuli terminos populorũ, & detraxi quasi potens in sublim residentes. Hoc eodem genere peccati deliquit eiusdẽ Babyloniç Rex Nabuchodonosor, qui se suæ virtute, nulla Dei habita ratione, ampliſſimam illam ciuitatem extruxiſſe, & latiſſimum imperium propagaſſe arbitrabatur, aduersus quam sanctus ille vigil è cælo descẽdens, grauiſſimam illam & inauditam sententiam fulminauit, Tibi dicitur Nabuchodonosor, Regnum tuum transibit à te, & ab hominibus eiicient te, & cum bestiis & feris erit habitatio tua, fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur excelsus in regno hominum, & cuicumq; voluerit, det illud. Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, &c. Hoc igitur tam nouo, & inaudito supplicio, quod diuina censura excogitauit, satis declarauit, quàm sit hoc peccatum diuinæ maiestati inuisum: quo vilis homuncio ex limo terræ conditus, & in eam reuersurus, gloriam vni Deo debitam sibi arrogare præsumit. A quo crimina sanctus Iob se alieniſſimum esse confitetur, cum ait, Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedẽtem clarè, & osculatus sum manum meam quod est peccatũ grande, & negatio contra Deum altissimum. Hoc ad verbum contra eos dicitur, qui Soli & Lunę diuinitatis gloriã, vni conditori debitam, tribuebant, sed nihilominus tamen spiritualiter in eos etiam quadrat, qui rerum suarum splendorem, & cętera siue naturę siue fortunę, siue industrię bona, non Deo, sed sibi ipsis & manibus suis accepta referunt. Hi enim & manus suas osculantur, dum illis tribuunt, quod diuino munere & beneficio perceperunt, & Deum negant, quando quod sibi sumunt, Deo adimunt.

*Esa. 10.*

*Dan. 8.*

*Iob 31.*

Sunt & alij, qui naturę beneficia: qualia sunt corporis robur, formæ decor & pulchritudo, canoræ vocis suauitas, ingenij acumen, & naturalis quędam sollertia, cętera quę his similia quæ nobiscum nata sunt; à summo illo naturæ opifice & conditore profici ſci intelligunt: nec ideò tamen humiles sunt, quoniam de his frequenter gloriantur, & ob ea laudem ab hominibus & gloriam expetunt; quos D. Aug. diuinæ gloriæ fures appellat, vtpote qui gloriam horum bonorum largitori debitam, sibi ipsis impiè & ingratè arrogent. Sunt rursus alij, qui spiritualia dona & beneficia se à Deo consecutos esse profitentur, sed ea tamen propriis meritis & virtutibus suis assignant. Hi autem partim Deo gloriam tribuunt, partim adimunt, quando ea esse Dei beneficia confitentur, meritis autem valorem atque rationem sibi

*August.*

sumunt

sumunt, cùm tamen certum sit, omne meritum nostrum non minus gratuitum Dei munus esse, quàm quòd propter ipsa nobis merita conceditur. Hinc D. Aug. locum illum enarrans, Qui coronat te in misericordia, &c. sic ait: Debetur corona bonis operibus, si fiant, sed gratia præcedit, vt fiant. Itaque vtrumque diuinæ gratiæ beneficium est, & boni operis præmium, & eiusdem operis meritum: Vt autem quantum periculi in hoc superbiæ genere sit, intelligatis, memorabile exẽplum, quod S. Ioãnes Ægyptius, inter veteres illos Anachoritas celeberrimus retulit, hoc in loco attexere volui. Ait igitur: Erat quidẽ apud nos monachus in hac vicina eremo commanens, cui habitaculum spelunca erat, vir summæ abstinentiq, quotidianum victum laborem manuum quærens, in orationibus diu noctúque persistens, cunctisque animi virtutibus florẽs. Sed hic lætis successibus elatus, confidere quasi in profectibus suis cœpit, & non Deo totum, sed sibimetipsi quod fecerat deputare. Hanc autem eius intuens animi præsumptionem tentator, continuò accedit, & laqueos parat. Quadã námque die ad vesperam fingit specie decoræ mulieres oberrantis per eremum, quæ velut fessa post nimium laborem, accedens ad hostium spelũcę monachi, se lassabundam simulans ac fatigatam, intrinsecus semetipsam proiecit, atq; aduoluta genibus viri, vt misereatur exorat. Nox enim me infœlicem, inquit, in eremo latitantem comprehendit, iube me requiescere in angulo cellulę tuę, ne fortè efficiar nocturnis bestiis præda. At ille primo miserationis obtentu recepit eam in speluncam, requirens quæ ei causa errandi per eremum fuerit. Illa causam fingit satis accuratè, & interim venena blandimentorum atque illecebræ virus per omnẽ textum narrationis interserit, nunc se miserandam, nunc etiam defensione dignam ostendens, elegantia & suauitate sermonis inclinat animũ hominis, & in affectũ sui illecebroso amore deflectit. Hinc iam inter blãdiora colloquia iocus risusq; miscẽtur, manus etiam procax ad mentũ barbámq; quasi venerandi specie protendit, tunc verò palpare ceruicem mollius, collúmq; leuigare. Quid multa? Ad vltimũ captiuũ ducit militẽ Christi. Continuò enim perturbari intra semetipsum, & libidinis fluctibus æstuare cœpit, nequaquã laborũ præteritorũ, nequaquã professionis ac propositi sui memor. Pascitur cum cordis sui cõcupiscẽtia, & intra arcana cogitationũ suarũ fœdus cum falsa cupiditate cõponit. Inclinat stultus latera sua, & efficitur sicut equus & mulus, quibus nõ est intellectus. Atque vbi obscenos iam conabatur inire cõplexus, illa vlulatũ, serreũ, dirę vocis emittens, vmbra vt erat tenuis

Augustin. Psal. 102.

per

per manus amplectentis elabitur, ipsumque dedecorosis motibus inanes auras sectantem fœdissima cum irrisione deseruit. Tunc præterea multitudo dæmonum in aere ad hoc ipsum spectaculũ congregata, clamore ingenti cum cachinno exprobrationis elevato, O inquiunt, monache, monache, qui te vsque ad cælum extollebas, quomodo demersus es vsque ad infernum? Disce ergo, quia qui se exaltat, humiliabitur. Tũc ille velut amẽs effectus, & deceptionis suæ pudorẽ non ferẽs, grauius à semetipso decipitur, quàm fuerat à dæmonibus deceptus. Cùm enim debuisset reparare semetipsum, & renouare certamen, ac lacrymis & humilitatis fructibus prioris elationis culpã delere, hoc non faciens, sed desperans, semetipsum (sicut Apostolus dixit) tradidit omni impudicitiæ & iniquitati, regressus est enim ad vitam secularem, præda dæmonum factus. Hactenus D. Ioãnis verba: quæ satis superque elationis huius periculum declarant. *Ephes. 4.*

Sunt autem alij, qui vtrumque diuinæ benignitati facilè concedunt, hoc est, præcepta beneficia, & virtutum, quibus ea assecuti sunt, merita, sed nec hoc tamen solùm ad veram cordis humilitatem satis est. Nam inter hos sunt multi, qui his diuinis beneficiis insolescunt, qui de illis inaniter gloriantur, gloriámq; & laudem ab hominibus propter ea quærunt, & alios, qui his virtutibus destituti sunt, superbè contemnunt. Quorum de numero superbus ille Phar sæus erat, qui bona opera sua Deo accepta referebat, & pro illis gratias agebat: ob illa tamen efferebatur animo, cæterosq; peccatores, atque inter eos publicanum à lõgè stantem præ se conténebat. Itaq; orabat, Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, adulteri, iniusti, velut etiam hic publicanus, ieiũno bis in sabbatho, decimas do omniũ quæ possideo. Hic videtis hominem & diuina beneficia confiteri, & (velut ij qui in portu naufragium faciũt) de iisdem beneficiis insolescere, & ob ea superbè atque insolenter alios despicere. Tales autem frequenter, quas non habent virtutes, habere se putant, & ab his vitiis immunes se esse credunt, quibus obnoxij sunt. Iidem etiam ad vidẽda mala sua cæci, ad aliena verò inspicienda oculatissimi sunt: ideóque festucã in alio-rum oculis acutè cernentes, trabẽ in oculis suis non vident. Hos autem qui sibi nimiùm tribuunt, sibiq; nimium placent, castigat Apostolus his verbis, qui se existimat aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se sed ucit: hoc est, se ipsum stultitiæ atque amentiæ condemnat. In hunc autẽ hominem maximè quadrat quod est à D. Augustin. breuissimè simul & argutissimè dictum, Qui sibi placet, stulto homini placet. *Luc. 18.* *Galat. 6.* *August.*

His

His autẽ modis,aliiſq́ue(quos recenſere longum eſſet)in ſuperbiæ ſcopulũ frequenter homines,vel non ſentientes(vt antè diximus)impingunt,propterea quòd hoc vitiũ occultiſſimũ ſit. Hic autem multiplex intellectus erga noſtri cognitionem error (vnde ſuperbia,quæ eſt in voluntate, manat) ex amore ſui (qui altiſſimè præcordiis noſtris infixus eſt)originem ducit. Is enim falſæ huius æſtimationis atque erroris egregius artifex eſt. Si enim iudex rei amicus per leges ſuſpectus accuſatori eſt,quàm ſuſpectus ſibi homo eſſe debet, qui ſe tantopere diligit, quiq́ue in virtutibus ſuis tanquam in re gratiſſima gloriatur? Quocirca valdè vobis timẽdum eſt,quòd talem intra nos adulatorem, talemq́ue errorum magiſtrum, atque ſuperbiæ ſeminarium habeamus. Ideoq́ue multis precibus & lacrymis,multoq́ue ſtudio & contentione aduerſus eius vim atque potentiam, naturæ lapſæ præſidio munitam,dimicandum eſt.

*Simil.*

II.

Sed iam quę hominũ genera morbus hic præcipuè infeſtet, conſideremus. Et quidem primo loco ſe offerunt diuites. Niſi enim ij hac peſte laborarent, nequaquam Paulus Timotheo præſcriberet, Diuitibus huius ſeculi præcipe non ſublimè ſapere, niſi quia intelligebat, diuitias ſæpè hominum animos efferre. Nunquam enim diuitibus adulatores deſunt,qui cùm diuitias magni æſtiment, ipſos etiam diuites plurimi faciunt,eosq́; vt cęteris hominibus ditiores, ita etiam nobiliores & prudentiores eſſe cõfirmant. Quorũ ſententiis internus adulator(quem amorem ſui eſſe diximus)facilè conſenſum præbet. Quo fit, vt leuis homo talem ſe exiſtimet, qualem ab externis adulatoribus prædicari audit. Vnde in Eccleſiaſt. legimus, Diues locutus eſt, & omnes tacuerunt, & verbũ illius vſque ad nubes perducunt, pauper locutus eſt,& dicunt, Quis eſt hic? Et ſi offenderit,ſubuertunt illum. Hęc igitur ementita laus leues homines de mente deducit,& à vera ſui cognitione auocat. Hinc autẽ illud ſequitur quod Eccleſ.ait, Vana ſpes,& mendaciũ viro inſenſato,& ſomnia extollunt imprudentes,hoc eſt, futiles laudes,inanésque fauores, leues homines nimiúmque ſui amantes facilè efferunt & attollunt, efficiúntque vt tantum ſibi ipſis tribuant,quantum à mendacibus linguis ſibi tribui audiunt. Hinc D.Gregor. Laus ſua iuſtos cruciat, iniquos exaltat, ſed iuſtos dum cruciat,purgat,iniquos dum lętificat, reprobos monſtrat.

*1.Tim.6.*

*Eccl.12.*

*Idem 34.*

*Gregor.*

Acrius tamẽ ad ſuperbiam nobiles & potentes homines, qui principem in Repub.locum tenent,extimulantur. Ex loci enim altitudine dignitatem ſuam metiuntur, dum ſe eo honore dignos

gnos iudicant, quę acceperunt: cùm tamen fortuna oculis capta esse dicatur, quæ sæpè honores magnos ad indignissimos defert. Vt enim proceras arbores in vertice mõtiũ plantaras vehementioris auræ impetus concutit, ita eos qui in sublimi loco positi sunt, ambitionis atque superbiæ aura potentius infestat. Verè enim dictum est, Raram esse humilitatem honoratam. D. Bern. terrenum quendã Deũ appellat eum, qui inter diuersa vina, & opiparas epulas sobrietatẽ retinet. Non minus tamẽ huius nominis gloria dignus erit, qui in excelso loco positus, inter honores humilis, & in sublimi dignitate modestus, atque honorum contemptor existit. Hinc Ioannes Cassianus monet, ex æquo monachũ fœminas, & manus Episcopi fugere debere, illud propter castitatis insidias, hoc, propter honoris ex presbiterij dignitate periculũ. Itaque vir sapiens non minus difficile esse statuit inter honores humilẽ inueniri, quàm inter fœminas agentem, pudicum & castum esse. Vt enim fœminarum cõuictus castitati, ita honores ampli humilitati insidiantur.

*Simile.*

*Bernard.*

*Cassian.*

Quamuis autem inter dignitates & honores humilitas periclitetur, multò adhuc maius illi ex insigni scientia & litteratura periculum imminet. Quò enim scientia quauis dignitate & nobilitate præstãtior est, eò magis doctiorum animos efferre solet. Quia enim multarum rerum cognitio intellectũ maximè perficit, ideò qui hanc nobilissimam sui partem variis disciplinis excoluerunt, facilè sibi persuadent, tanto se cæteris hominibus esse præstantiores, quanto sunt doctiores. Intelligunt enim verum esse quod est ab Aristotele dictum. Visum quidem à circumfuso aere lumen accipere, animum autem à liberalibus disciplinis. Cui illa Solomonis sententia consentit. Cognoui quòd tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux à tenebris. Sapientis oculi in capite ipsius, stultus in tenebris ambulat. Hoc igitur in causa est cur Apostolus scientiam inflare dicat, quòd dignitatis suæ splendore incautis hominibus occasionem sese efferendi præbeat. O quàm multi sunt, qui sapientia inflati euanuerunt in cogitationibus suis, qui eleuauerũt cor suum in decore suo, qui dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, quia verę sapiẽtiæ, quę de cælo est, discipulos sese præbere dedignati sunt! Talibus igitur lignum scientiæ viam præclusit ad lignum vitę: quia superba sapientia ab humilitate auocat, quę viam nobis ad cælestis vitæ fructum parat. D. autem Thomas hoc nequaquam sapientiæ vitio (quæ pulcherrimum immortalis Dei munus est) sed hominum culpa prouenire ait. Theodoretus autẽ minimè, insignium sapientium, sed sciolorum quorũdam hoc esse testa-

*Aristot.*

*Eccles. 2.*

*Ibidem.*

*S. Thom.*

*Theodor. lib. 1. Curat.*

tur his verbis, Intumescunt hoc genere superbię homunciones quidam, non ex his qui ad summum sapientiæ Græcæ peruenerunt, sed qui pauca quædam (quod dicitur) primis labiis delibarunt, sibique hinc atque illinc pusilla quæpiam collegerunt.

Quid verò de eloquentia referã, quæ quamuis rerum scientia sit inferior, tamen ad attollendum animum tanto est potentior, quãto magis in ore hominum, & communi laude versatur. Scientia enim frequenter latet, eloquentia verò & scientiam, & seipsam in publicum prodit, & hominibus spectandam
*Cic. contra Sallust.* præbet. Hinc ipse parens eloquentiæ Cicero his studiis animos ad honoris & gloriæ cupiditatẽ aliteſtatur. Hic autem morbus prædicatores maximè infestat, qui in omnium conuentu & celebritate dicunt, cùm eos præsertim laudantium voces, & aura popularis in sublimè attollit. Quæ res quantoperè timenda sit cælestis magister discipulis à prædicationis officio redeuntib⁹
*Lucæ* 10. & lætis successibus gaudentibus declarauit, cùm eos Satanæ exemplo exterruit, dicẽs, Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Constat enim causam huius lamentabilis ruinæ superbiam extitisse. Vt horum autem elationem Dominus deprimeret, beatæ Catharinæ Senensi præcepit: vt se ad homines docẽdos, & à sceleribus suis reuocandos accingeret. Illa verò libenter se permittente diuinæ voluntati, sed nihilominus suam imbecillitatem, tum etiam sexus conditionem opponente, propter quam ipsam inter homines versari non deceret, Dominus ei abundè satisfecit, inter cætera dicens, vsque adeò increuisse superbiam, eorum præsertim qui se literatos & sapientes putarent, quod diuina iustitia id amplius ferre non posset, quin eos pudefaceret, idque per fœminas, ipsius virtute & sapientia instructas.

In his autẽ personarũ generibus quas hactenus recensuimus superbia carnalis præcipuè dominatur, quando hęc omnia quę diximus, vera laude & gloria quæ vni virtuti debetur) minus digna sunt, quãuis apud homines in pretio habeãtur Maius an tẽ virtutem cultoribus periculum ab hoc vitio imminet. Hinc
*August.* D. Aug. Virtutes habenti magna virtus est cõtemnere gloriam. Virtutes enim quæ cæteris vitiis aduersantur, nõ rarò superbiæ materiam subministrãt. Quo enim virtus præstantior, & laude dignior, hoc maiorẽ incautis hominibus sese attollẽdi occasionẽ præbet. O quã multi, dũ seipsos aspiciũt, seipsos decipiũt, dũ virtutũ suarũ occasione aut aliquid se esse credunt, aut cæteris superiores iudicant! Hęc enim gloria dulcedine sua sensum in animũ irrepit? & blãda quadã titillatione mentẽ pulsat, cum homo

intra

intra se nõ quidẽ verbis,sed tacitis cogitationibus dicit:Hactenus integrã & illibatã castitatem multo tẽpore conseruaui:nullũ hactenus(quod sciã)capitale crimen admisi: staras quotidie ad Dñm preces fũdo,cęlesti sæpè dulcedine fruor:corpus meũ ieiuniis macero:panẽ meũ egenti tribuo: hæc,&his similia paulatim animũ subeunt,ipsumq; tacita quadam lętitia & voluptate perfundunt,hominiq; persuadent se iã aliquid in virtutum studio profeciſſe,illisq;superiorẽ esse,quos his virtutibus destitutos videt.O quantũ in his cogitationib⁹ periculi latet:Quoties enim homo sibi in virtutum officiis placet toties in superbiæ præcipitiũ incidit,& quidquid hoc modo facit,quantumcunque auri splendore metiatur, non verum aurum, sed adulterinum est:at qui humiles corde sunt,peracto pietatis opere se nihil Deo dignum feciſſe putant,&ea quæ faciunt,multis maculis inusta esse dolẽter ferũt:ideoq; nõ plausũ de bono opere, sed metũ magis cõcipiunt,cũ beato Iob dicẽtes,Verebar omnia opera mea,sciẽs quòd nõ parceres delinquẽti. Atq;vt omnẽ ab animo suo superbiæ fibram eruant,solicitè Dñm cum Propheta orant. Non veniat mihi pes superbiæ: ibi enim ceciderunt qui operantur iniquitatem. Cur autem Propheta pedem superbiæ, non superbiam dixit? Nimirum, quia viri sancti non solùm totum superbiæ corpus, sed etiam primũ eius congressum atque aditum reformidãt. Quisquis enim domũ ingredi cupit, prius in limine pedem ponit quàm totum corpus inferat. Orat igitur vir sanctus vt ne primus quidem superbię motus mẽtem suam impetat:tantum in ea periculi positum esse arbitratur.

*Iob.8.*

*Psa'.35.*

Ex his igitur quæ hactenus dicta sunt, fratres, liquidò constat,eos potissimùm huic morbo obnoxios esse in quibus splẽdidum aliquid,& laude siue vera siue falsa dignum fuerit. Hæc enim omnia velut ligna&fométa sunt,quibus elatio animi(nisi diligenter prospicias)nutritur & roboratur. Quo autem res dignior atque præstantior est,eo maiores ex ea vires superbia capit. Cùm autem nihil sit virtute laudabilius, vehementer sibi prospicere debet quisquis virtutum laudibus redundat. Verè enim magna laus est,laudabiliter viuere, nec laudem appetere: quodque maius est,nequaquam se laude, sed supplicio magis dignum existimare,& aliorum quidem iudicio magnũ, suo verò minimum reputari,apud alios in pretio haberi,apud se autẽ vilẽ esse:ab aliis honorari, se verò non honore,sed ignominia dignũ credere. Hæc autẽ omnia nõ virtutis humanæ,sed diuinæ gratiæ beneficia & opera sũt. Inter quæ cũ multa sint admiratione dignissima,& quæ diuinã virtutẽ in fragili hominis na-

tura maximè declarant, tũ illud mihi maximè mirabile videtur, ſumma videlicet virtus cũ ſumma humilitate coniuncta. Vidi enim viros, qui cùm ad omniũ virtutum culmen peruenissent, ita ſe animo deiiciebãt, vt ipſi ſe dæmonibus compararent, nec alios inuenirent, quibus ſe ſimiles eſſe dicerent. Quid ergo mirabilius quàm ita ſe damnare, qui nihil habeat damnandũ? ita ſe accuſare, qui vix quidquam habeat accuſandum? neque ex tot virtutibus quas habet, vllam ſibi placendi anſam arripere? cumque alienarum virtutum candidiſſimi ſint laudatores & admiratores ſuarum tantùm ſunt contemptores? Huius autem rei cauſam eſſe arbitror, quòd viri ſancti mirabili quadam Dei prouidentia ad aliorum virtutes inſpicie das occulatiſſimi, ad ſuas autem penè cæci ſint. Sic enim Moyſis ſplendor in eius vultu fulgens, ab aliis videbatur, à ſe autem ignorabatur.

III.

Sed quoniam graviſſimũ ſuperbiæ morbum tot hominũ genera acerbiſſimè vexantem vidimus, conſequens eſt vt huic tanto malo remediũ adhibeamus. Inter varia autẽ eius remedia primum eſt, vt pius homo vigilantibus oculis interiores animæ ſuæ cogitationes & motus perſcrutetur, atque vbi cogitationem aliquã præſenſerit, qua vel ſe aliquid eſſe putet, vel de aliqua virtute ſibi placeat, tunc à ſubtiliſſimo ſuperbiæ ſpiritu inſidias ſibi parari intelligat, & omnem huiuſmodi cogitationẽ & motũ, veluti gehennæ ſcintillã à ſe celerrimè excutiens, in imum ſe barathrũ mente coniiciat, & ſe peccatorum omnium miſerrimum atque infimum eſſe fateatur, qui non contentus tot antè patratis ſceleribus, hoc etiam ad malorũ ſuorum cũmulũ adiũgat, vt fidelem ſe Dei ſeruum credat, cùm rebellis ſemper & ingratus extite- *Ber. in cant.* rit. Hinc D. Ber. In anima non eſt planè timenda quantalibet humiliatio, horrenda autẽ nimiumq; panenda vel minima temerè præſumpta erectio. Quamobrẽ noli te, ô homo, cõparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vni. Hactenus Ber.

Si quid autem honeſtè & laudabiliter quis geſſerit, adeò ſibi de bono opere non placeat, vt timoris etiam materiam ex eo arripiat, cùm timere debeat, an quod iuſtũ eſt, vel parum iuſtè, vel negligenter ac deſidioſè fuerit executus, ideoque magis pro negligenter præſtito officio veniam petere debet, quàm pro ſeruitio mercedem. Ita fit, vt ipſis virtutum actionibus non ad ſuperbiam & falſam ſecuritatem, ſed ad humilitatẽ cordis & ſolicitum timorẽ magis excitetur. Eſt etiam non vulgare remediũ, vt pius homo nõ ea bona quæ facit, ſed mala quibus premitur, attentiùs cõſideret, non quantũ profecerit, ſed quantũ defecerit, non quas

habet

habet virtutes, sed quibus destitutus sit, frequentiùs consideret. Hoc nos S. Pater Augustin. admonet his verbis: Qui veia pietate in Deum, quem diligit, credit, & sperat, plus intendit in ea in quibus sibi displiçet, quàm in ea si qua in illo sunt, quę non tam ipsi quàm veritati placent: nec id tribuit vnde iam placere potest, nisi eiusdem misericordiæ cui metuit displicere, de his sanatis gratias agens, de illis sanandis preces fundens. Hactenus Aug. Quisquis igitur hoc pręstiterit, cum Apostolo dicere potest: Quæ retrò sunt obliuiscens, ad anteriora me semper extendo. Hoc enim modo solicitus viator ad patriam properans, non quantum itineris emensus fuerit, sed quãtum supersit sibi ante oculos ponens, ad id quod reliquum est conficiendum accingitur. Qui verò aliter faciunt, superbum illum Pharisæum ex Euangelio imitantur: qui malorum suorum oblitus, soláque bona opera sua considerans, séque animo efferẽs, humilem publicanum despiciebat, qui ne oculos quidem propter peccatorum suorum conscientiam ad cælum leuare audebat. Ille igitur dũ sola bona opera sua contemplatur, superbus efficitur: hic verò, dum sola crimina sibi ante oculos ponit, humilitate stabilitur.

August. Philip. 3. simil.

Iuuabit & illud, si pius homo sanctissimorũ hominum clarissima exempla & virtutes sibi ante oculos ponat, vt illorum comparatione infirmitatem suã apertius videat. Hac enim ratione fiet, vt obliqua rectus cõparata, obliquitatẽ suã magis cõspicuam reddant. Vt autem qui se melioribus comparant, humiliores euadunt: ita qui se cum deterioribus componunt, superbius efferuntur. Quocirca nullo modo pius homo virtutem suam deteriorum comparatione metiatur. Nihil enim adeò turpe est, quod cum re turpissima comparatum, non aliqua ratione possit honestari: nihil adeò sordidum, quod cum re sordissima collatum, non purum iudicetur. Ab hoc autem nos D. Hieron. hortatur, qui in quadam ad amicũ Epist. sic ait, Oblitus posteriorum, semper priora sectaberis, nequaquam considerans quid alij malè faciãt, sed quid boni tu facere debeas: nec peccãtium ducaris multitudine, sed Sanctorum exempla potius imiteris. Hactenus ille. Idem nos. D. Greg monet his verbis: In cunctis quę agitis, radicem boni operis, humilitatem, tenete: nec quibus iam superiores, sed quibus adhuc inferiores estis, aspicite, vt dum meliora vobis exempla proponitis, ad maiora semper ascendere ex humilitate valeatis.

Hieron. ex Epist.

Greg. in Homil.

IIII.

His remediis extremum adiungam, quod à præsenti sollemnitate non abhorret: nempe, vt pius homo patronum aduersus

hoc monstrum exquirat, cuius illum viribus atque præsidio debellare atque prosternere queat. Nullus autem ad hoc commodior quàm Michael Archangelus, cuius inter alias virtutes & egregia facta illud præcipuè memoratur, quod magnum illum
*Apoc. 12.* Leuiathan, qui est Rex super omnes filios superbiæ, expugnauerit, atque ex altissimo cœli cardine in imum barathrum deiecerit, qua de re sic in Apocal. legimus, Factum est prœlium in cœlo, Michaël & Angeli eius prœliabantur cum dracone, draco pugnabat & Angeli eius, & nō ualuerunt, neq; locus eorū inuentus est amplius in cœlo. Huius ergo tam atrocis prœlij, quo victores cœlesti regno potiti, victi autem æterna captiuitate damnati sunt, dux sanctus Michael extitit, qui pro summi Dei gloria aduersus draconem fideliter decertauit. Certamē autem constitit non corporum, quæ ibi nulla erant, sed spirituum fuisse, in quo boni Angeli magna contentione pro Dei gloria, mali verò pro sua dimicabant. Quod autem fuerit primum horum peccatū, nō ita facilè expediri potest. Difficultatis autē rario est, quòd omne ferè peccatū (quod voluntatis cōsensu perficitur) error aliquis in intellectu (cuius ductum sequitur voluntas) antecedere solet. Vnde est illud quod vulgò iactari solet, Omnis peccans est ignorans. At in Angelorum intellectu ante peccatū error esse non potuit. Cùm enim error pœna sit quæ culpam sequitur, vbi nulla præfuit culpa, nulla etiam erroris pœna præcedere potuit. Qua de causa, qui rectius in hac parte philosophantur, primùm hoc peccatum, non cōmissionis, sed omissionis esse aiūt. Hoc enim peccati genere sine præuio intellectus errore delinquere possumus, quia videlicet nequaquam tempore debito aduertimus, quod erat diligenter animaduertendum. Sic enim sarcinator, cæmentarius peccare in officiis solent, cùm artium suarum regulas propter socordiā & incuriam non aduertunt. Mali ergo Angeli, vbi seipsos in primo operationis suæ instanti, & dignitatem in qua à Deo conditi erant, agnorunt, debuissent in secūdo conditorem suum, tantorumq; donorū largitorē reuerti, & pro tantis beneficiis gratias agere, ipsumque tanquam summū bonum summo amore diligere, illiusque se obsequio tota deuotione atq; humilitate committere. Quod quia nō fecerunt, cùm facere tenerentur, in hoc peccatum omissionis inciderunt. Dum ergo mirā illam naturæ suæ pulchritudinē & dignitatem contemplati, eam conditori acceptam referre neglexerūt, in seipsis, non in Deo gloriati sunt, atque ita eleuauerunt cor suum, in de-
*S. Thom.* core suo. Hinc Deo similes effici optauerūt, cuius proprium est, non ab alio pendere, sed propria virtute niti. D. verò Thomas

hac

hac ratione principem illum Angelum Dei similitudinem affectasse ait, vel quòd naturalem beatitudinem, vel etiam supernaturalem propria virtute sua se habiturum confidit, quam tamen nemo, nisi supernaturali Dei dono, consequi potest. Vt enim D. Anselmus ait, Id appetiit, quod habuisset, si steterisset. Hæc autem duo in idem recidere D. Thomas ait, quia vtroq; modo voluit vltimam beatitudinem propria virtute consequi. Vbi autem hoc infando scelere deprauatus fuit, in alia deinde superbiæ principia lapsus est, super res alias principatum, qui soli Deo conuenit, superbè appetens. Aduersus hanc igitur tantam superbiam S. Michael cum reliquis Spiritibus pro Dei gloria dimicans, ait, Quis similis tui in fortibus, Domine, quis similis tui? Nefas enim horrendum ac detestandum est, creaturam vllam, quòd tremendæ maiestatis proprium est, velle sibi arrogare. Hac autem de causa, ex victoria aduersum draconē parta, Michaëlis nomen accepit. Michaël enim significat, Quis Deo similis. Vt enim Scipioni Africano (si terrena hæc atque pusilla cælestibus comparare licet) à domita & superata Africa nomen inditum fuit, ita Michaeli ob insignem hanc vocem, qua Dei gloriam extulit, & superbientem draconem corripuit, hoc nomen accepit, quod eius singularem fidem, humilitatem atque obedientiā præ se ferret. Hunc igitur Archangelum, quem Dominus militiæ suæ principem, & gloriæ suæ vindicem esse voluit, nobis in patronum sumamus, ab eoque suppliciter petamus, vt quod ipse odium aduersus hoc superbiæ monstrum habuit, mentibus nostris instil et & humilitatis virtutem, qua & ipse, & sectatores virtutis eius boni Angeli in gratia cōfirmati & stabiliti sunt, nobis à Domino virtutū impetrare dignetur, vt per humilitatis viam incedentes, ad eorundum fœlicitatem & gloriam mereamur peruenire.

*Anſel.*
*S. Thom.*

## In festo B. Hieronymi concio vnica, in qua de vera sapientia, quæ in hoc Patre sanctissimo mirabiliter eluxit, & in qua etiam hominis fœlicitas sita est, deq; duplici fœlicitate, altera perfecta, altera inchoata disseritur.

THEM. *Præposui sapientiam regnis & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius.* Sapient. 7.

CVm omnia quæ à Deo in hac rerum vniuersitate condita sunt, mirabilem conditoris sapientiam atque potentiam testentur atque declarent: tum hoc in primis efficit infinita prope conditarum rerum

multitudo atque varietas,quæ non in ipsis modò rerum speciebus atque generibus,sed intra ea etiam quæ sub ipsis generibus continentur,elucet.Quanta enim in auibus cœli varietas? quanta in quadrupedibus?quanta,quámq; mirabilis in tot piscibus maris,ac postremò quanta in tot virgultorum atque arborum figuris,fructibus & frondibus?Quid verò homines qui sub eadem specie continentur referam?Vt enim varios eorundem mores & ingenia prætream, quis duos vultus omninò similes,etiam inter fratres geminos,deprehendat? vt non immeritò D.Ambrosius tantam inter se & fratrem quendam suum oris similitudinem moretur,quę non rarò faciebat,vt etiam qui cum illis versabantur,Ambrosium,pro Ambrosij fratre conuenirent, quorum is errorem intelligens,comiter & blandè respondens,Videte,dicebat,ne fratri dixeritis.

*Ambros.*

Quorsum hæc fratres?Nimirum vt intelligamus,quòd cùm idem sit naturæ & gratiæ auctor,sicut in tam variis naturæ operibus immensas sapientiæ atque potentiæ suæ opes declarauit,quo se hominibus & Angelis mirabilem ostenderet, idem etiam in operibus gratiæ,hoc est, impiorum hominum sanctificatione efficit. Mitto nunc communem illam Patriarcharum Prophetarum, Apostolorum,Martyrum, Confessorum, atque Virginum varietatem(quibus Regina illa assistit à dextris sponsi in vestitu deauraro, circumdata varietate) in his ipsis Sanctorum ordinibus quanta,quęso,gratiarum atque virtutum varietas?Moyses,prophetarum eximius, cunctorum hominum qui morabantur in terra mitissimus fuisse prædicatur: At Elias zelo diuinæ gloriæ feruens quinquagenarios principes,eorumq; milites qui ad se capiendum venerant,cœlesti igne cõcremauit, & quadringentos prophetas Baal super vno lapide iugulauit; quodque mirabilius est,trium annorum & sex mẽsium sterilitatem,acerbissimamque famem precibus suis in supplicium perfidi populi à Domino impetrauit.Iam verò si ad noui testamenti sanctos vaniamus,quanta in virtutibus eorũ varietas? quanta etiam pulchritudo?Miramur in Episcopo Cipriano solicitam ouium suarum curam,& fidei ardorem Miramur in D. Chrysostomo animi altitudinem, humanarũmque rerũ atque principum seculi contemptionem,vt pote qui dicere ausus fuerit,Iterum fuerit Herodias, iterum postulat caput Ioannis sibi in disco dari.In D.Basilio(vt ipsum quoque eius nomen sonat) effulsit etiam regale quiddam in moribus. In magno illo Antonio,eiusque discipulo Hilarione admiranda illa carnis maceratio:& solitudinis amor.Septies namque S Hilarion domi-

*Psal. 44.*

cilium

cilium,ad fugiendum aduentantium frequentiã,commutauit. In D.autem Augustino elucet præcipuè fidei zelus,&aduersus fidei hostes disputandi libido infatigabilis. At in D Bernardo incredibilis veræ religionis amor,ideóque tantus ardor in locis desertissimis ædificandi monasteria. Venio nunc ad beatissimũ patrem Hieronymum, cuius hódie glorioſa natalitia celebramus. Quid in eo non mirabile?quid non ampium atque magnificum? Alius in eo mirabitur hebdomadarum inediam,alius vigiliarum diuturnitatem,alius orationum instantiam,ego verò in illa sanctarum scripturarum amórem,& continuum diuinæ sapientiæ studium,cui se totum addixerat,vehementer admiror. Hoc enim faciebat, vt minima noctis portio daretur somno,minor cibo, nulla otio. Hoc autem studio vir sanctus magnam Ecclesiæ, diuinarúmq; literarum studioſus lucẽ præbuit. Cùm igitur tanta sit in sanctis hominibus virtutum varietas,nihil mirum si Ecclesia in sanctorum Confessorum festis Eccl.50. vocem illam vsurpet,Non est inuentus similis illi qui conseruaret legem excelsi. Ferè enim in singulis eorum singulare aliquid effulsit,cuius gratia hoc elogium in illum cadere posset. Quocirca cum hac præcipuè de causſa Ecclesia Sanctorum festa celebret,vt nos ad eas virtutes in quibus illi præcipuè enituerunt, imitandas inducat,non abs re videbitur, vt cùm sapientię donum in beatissimo P. Hieronymo præcipuè eluxerit,nos de eo in præsenti cõcione agamus. Huius enim rei gratia sacra lectio quæ sapientię huius laudes continet, pro epistola nobis hodie, in Missarum solemniis proposita est. Vt hoc autem argumentum vtiliter & religiosè tractare possimus, cælestem opem, sanctissimę Virginis interuentu,suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Sunt quidem,fratres dilectissimi,variæ ac multiplices,scientiæ,quę humano ingenio atque studio inuentę sunt: quarum aliæ in naturæ explicatione:aliæ in rebus supra naturam positis aliæ in siderum atque signorum cognitione,aliæ in morborum curatione,aliæ in differendi facultate,aliæ in moribus componendis,& vita rectè instituenda versantur. Inter has autem scientias, illa quæ rectè viuere docet,maximè necessaria est. Si quis enim omnes has disciplinas pleniſſimè calleat(quod illi omniscio Hippiæ ferunt contigisse) nesciat autem quo pacto vitam instituere debeat,quid illi hæc rerum omnium cognitio ad salutem conferet? Contra verò si quis vitam suam rectis institutis moderari sciat nihil ei cæterarum disciplinarum ignoratio obeerit. Qua ex re liquet, hanc scientiam esse hominibus maximè nec-

necessariã, vt pote sine qua aditus illis ad supremam fœlicitatem & beatitudinem minimè pateat, Ad huius autè disciplinę
*Baruch.3.* cognitionem nos Dominus Prophetica voce inuitat, cùm ait: Disce vbi sit prudentia, vbi sit virtus, vbi sit intellectus, vt scias simul vbi sit longiturnitas vitæ & victus, vbi sit lumen oculorum & pax. Pacis autem nomine tranquillitatem animi, omniumque cupiditatum & perturbationum sedationem intelligit, quibus sedatis atque compositis, tranquillitas animi, quies mentis, & inchoata beatitudo consequitur, quam cætera bona quę ibidem Propheta recenset, comitantur. Recta autem vitæ institutio ad hanc beatitudinem viam munit.

Huius autem beatitudinis flagrantissimum desiderium naturæ conditor humanis mentibus ingenerauit. Omnes enim natura instigante ad eum statum peruenire cupimus, in quo ad
*Simil.* hanc animi quietem & pacem perueniamus, in qua nihil aliud desideremus, quàm quod habuerimus. Vt enim famelicus homo, qui famem edendo sedauit, non iam esurit, ita qui ad hunc statum peruenerit, plenissimè requiescet, neque aliud amplius esuriet, quam quod habet. Hic est igitur perfectissimus status, atque vltimus humanæ vitæ finis, quem omnes homines (vt Philosophi loquuntur) infinito amore diligunt, quia videlicet non propter quidquam aliud, sed propter se ipsum eum diligũt.
*Simil.* Quemadmodum enim medici pharmaca ægrotis ea mensura propinant, quàm sanitatis necessitas exigit, sanitatẽ autem sine vlla mensura dare volunt (dant enim quantam maximam possunt) sic ea quæ nos ad hunc finem adiuuant, eatenus amplectimur, quatenus fini consequendo conducunt, finem autem ipsum, hoc est, ipsam fœlicitatem & beatitudinem sine vlla mẽsura cupimus, quia ipsam propter se ipsam desideramus neque ad aliud quidquam ordinamus. Hoc enim vltimi finis ratio postulat, vt omnia quidẽ ad ipsum, ipse verò ad nihil aliud referatur. In eo namque mens hominis plenissimè requiescit, aliter enim vltimũ nõ esset. Hic igitur tantus finis, atque beatitudinis amor ac desiderium efficit, vt nihil aliud homines in vita moliantur, nihil quærant, nisi quod eos ad communem hunc humanę fœlicitatis portum ducat. Qua tamen in rediẽtu mirũ est
*simil.* quãtoperẽ à recto itinere deuient. Vt enim homines, natura instigante, ad summi Dei omniumque rectoris & gubernatoris cultum & venerationem incitantur (quis autẽ esset verus Deus ignorantes, alij Solem, alij Lunam, cęteraque signa cælestia Deos esse putantes, diuinos illis honores exhibuerunt) ita cùm eadem natura homines ad huius fœlicitatis desideriũ incendat

(qua

(qua autē in re ea fœlicitas sit ignorātes,alī' in diuitiis celi alius in voluptatibus,alius in honoribus,alius in principum gratia, alius in scientia,alius deniq; in virtute eam esse putantes )aui- dissimè ista omnia terra mariq́ue conquirunt,fœlices se futuros, si eam consecuti fuerint,arbitrantes. *In Serm. omnium Sanct.*

Nos tamen(vt alibi copiosius disputabimus) eos omnes qui fœlicitatem in hac vita posuerunt,apertissima ratione deceptos fuisse affirmare non dubitamus. Tot enim nos in ea incōmoda vndique circumsedent,tot corporis morbi,tot animorum ægri tudines,tot insperati & acerbi casus,tot aliorum hominum in- iuriq atque contumeliæ,tot dęmonum infestationes,vt im pos- sibile sit in hac adeo ærumnosa & calamitosa vita ad eum sta- tum peruenire quemquā,in quo nulla afficiatur molestia,nulla pūgatur cura,nihilq;aliud prorsus desideret,quàm quod habet, Quòd si quisquam eò tādem perueniret,vt bonorum omnium compos nulla solicitudine aut molestia tangatur)quod nemini hactenus inter mortales contigit(mortis tamen metu,quæ om nem fœlicitatem abolitura sit,carere non poterit,atque hoc no mine fœlix iam & beatus non erit.

Nos igitur fidei lumine eruditi,hominis fœlicitatē atque vlti mū finē in futura vita,hoc est,in immēsa diuinæ pulchritudinis contēplatione,amore,fruitione collocamus.Notiæ siquidem vltima perfectio est,eò vnde prin ùm effluxit conueniens & apta conuersio. Cùm igitur redierimus vnde profluximus, tum demū beati erimus.A quo enim esse accepimus,ab eodem benè & beatè esse percipiemus. Quis enim alius cōmodius ab- solutionem & consummationem operi præstabit,quàm qui il- lud omnipotenti virtute cœpit?Is igitur solus nos fœlices & bea tos efficiet,is omnium desideriorum nostrorum sitim famemq́; sedabit. Quod intelligans Prophetа, Satiabor , inquit:cùm ap- paruerit gloria tua.Cùm igitur summo illo bono ( in quo sunt omnia bona )fruemur,tunc votorum omnium compotes effe- cti,nihil extra summum illud & vniuersale bonum requiremus. *Psal.16.*

Iter autem ad hanc tantam fœlicitatem cæleſtis magister cū aliàs frequenter,tum sigillatim adolescenti hac de re percontā- ti ostendit,Cùm is enim ab eo quæsisset,quid sibi facto opus esset,quo ad sempiternam vitam perueniret,ille , Si vis,inquit, ad vitam ingredi,serua mādata Hac autem breui oratione Do minus & illi & nobis aditum ad beatitudinem , quam omnes natura instigante cupimus,patefecit. *Matt:19.*

Nunc igitur ad vos,fratres.Si maximè necessariam inter om nes scientias eam esse paulò antè diximus ,quæ rectè viuere do

cear

ceatrecta autem vita sit,quæ omnes vitæ actiones ad extremum omnium expetendorum conuenienter dirigat; consequens est vt ille rectissimè viuat,qui Dei mandata seruat, quibus ad hunc finem peruenitur. Quisquis autem veritatem hanc intimis animi sensibus infixit,omniaq; alia quæcunq; sunt in vita siue opes,siue regna,siue imperia,tanquam aliena & peregrina,& nihil ad se hoc est,ad hunc finem pertinentia prudenti atq; constanti animo despicit,& per hoc iter vitæ graditur:hic sanè didicit quo pacto viuere debeat;hic præstantissimam illam scientiam,quam diximus,adeptus erit. Hæc igitur ad fideles omnes in communi dicta sint.

I.

Sunt tamen alij(quamuis admodum pauci)qui non contenti diuturna hac futuræ beatitudinis expectatione,obnixè dabt operam,vt in hac etiam vita incipiant esse beati. Cum enim duplex sit beatitudo,altera perfecta,quę in futura vitâ speratur:altera inchoata,quæ in hac vita possidetur:isti dant operam,vt in hac etiam vita esse incipiant,quod futuri sunt:& si non perfecta, inchoata tamen beatitudine fruantur. Hanc autem Philosophi in sapientiæ officio positam esse definiunt. Aiunt enim hominis beatitudinem in actione aliqua ita consistere, vt citra illam nemo possit esse beatus. Quo nomine fœlicium & infœlicium vitâ somni tempore parem esse aiunt,propterea quod somnus omnes rationalis creaturæ prouidas actiones suspensas atq; impeditas habeat:ac tum maximè vegetandi vis(quæ cum plantis homini communis est)officio suo fungatur. Cum ergo fœlicitatem in actione ponerent,intellexerunt vtique, actionem illam cuius exercitatio vltimam hominis perfectionem continet,præstantissimam esse debere. Nulla verò actio præstantior est, quàm quæ à præstantissima hominis vi atque potentia oritur. Haec autem constat esse intellectum. Sed cum variæ atque multiplices intellectus actiones sint,excellentissima ea est,quæ circa nobilissimum obiectum hoc est,quæ in nobilissima re contemplanda versatur. Cùm verò nihil maius aut melius in tota hac rerum vniuersitate,quàm eiusdem vniuersitatis conditor sit:efficitur planè,vt in studiosa immensæ pulchritudinis eius contemplatione summa hominis perfectio,vltimus finis & beatitudo sit posita. Rerum enim conditor & moderator Deus, sic rerum naturam instituit,vt vnicuique quietis & tranquillitatis locum designaret,isque & ponderosis corporibus infirma loca & leuibus supra in quibus quiescerent,accommodauit,idemque rationali creaturæ suum locum,suumque veluti centrum non alibi

ibi quàm in se ipso collocauit.

In hac igi ur contemplatione (quæ à summa illa atque altissima sapientia proficiscitur) summi Philosophi hominis fœlicitatem atque vltimum finem esse definierunt. Alia tamen Christianorum alia Philosophorum sapientia est. Hæc enim solis humanis viribus acquiritur, nostra autem diuinæ gratiæ ope atque cæsti magisterio comparatur. Sapientiæ autem nomine diuini numinis cognitionem, non quidem nudam, sed cum charitate & mirabili suauitate atque sapore coniunctam (quasi sapidam quandam scientiam) intelligimus, quam inter omnia Spiritus sancti dona principem locum tenere constat. Eius verò actio est, diuinæ pulchritudinis contemplatio, in cuius exercitatione inchoatam hominis beatitudinem collocamus, in qua cùm beatissimus Pater Hieronymus tota vita versatus fuerit, de ea in reliqua concionis huius parte differemus, quamuis doctrina hæc (vt modò diximus) non ad omnes, sed ad paucos præcipuè spectet, quibus tamen debitores sumus. Cum enim Apostolus sapientibus, & insipientibus se debitorem fateatur, nos quoque eius exemplo vtrisque debitores sumus. Nunc igitur consequens esse videtur vt primo loco huius diuinæ sapientiæ dignitatem & pretium videamus, quo ad eam capessendam promptiores alacriores que reddamur. Et quidem magnificas illas laudes quę in sacra huius diei lectione continentur (in quibus sapientia cunctis mundi opibus, & regnis antefertur) prætereo, venio ad beatum Iob in illo suo sterquilinio tanquam in regia cathedra sedentem, mirabiliterque de vera sapientia philosophantē, eiusque laudes prædicantem; sic enim ait: Non dabitur aurum abryzum pro ea, neque appendetur argentum in commutatione eius. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel apphyro. Non adæquabitur ei aurum vel vitrum: nec cõmutabuntur pro ea vasa auri. Excelsa & eminentia non cõmemorabuntur in comparatione eius, hoc est, nihil est tam excelsum in rebus corporeis, nihil tam pretiosum aut magnificum, quod dignum, sit non dicam comparari, sed neque commemorari in comparatione sapientiæ. Eius quippe dignitas infinitis prope partibus corporearum rerum valorem & dignitatem superat. Cum autem vir sanctus excelsa & eminentia dixit, ea intelexit quæ in sublimi & excelso loco posita inter homines eminent, qualia sedes, regna & imperia sunt: quibus alio in loco Sapiens longè multumque sapientię donum antetulit. Hoc autem ita esse (vt alia prętereamus) vnius D. Gregorij exemplo satis apertè discimus, qui in summum totius orbis Christiani Pontificem electus

*Prouer. 3. Sapien. 7. Iob. 28.*

*Sap. 7.*

ctus, quid non fecit ne à Rachelis suę amplexibus, hoc est, à diuinæ sapientiæ studio & contubernio diuelleretur? Nam ad Imperatorem litteras misit, ne vlla ratione eius electioni consensum præberet. Et permutatis, ne agnosceretur vestibus, Roma egressus in cauernis petrarum & ferarum lustris latere tentauit, & latuisset, nisi fulgidæ columnæ indicio illum Dominus prodidisset. Vnde flens & eiulans ad beati Petri cathedram euectus est. Quid verò in ea residens? quibus lacrymis & lamentis sortem suam deplorat, quòd ab huius amantissimæ sponsæ contubernio, (cum qua iucundissimam in monasterio vitam agebat) fuerit separatus? Hoc enim ipse initio statim dialogorũ cũ Petro diacono suo familiariter agẽs, animique sui æstus amico homi-

Gregor. ni declarans exponit his verbis, Infœlix animus meus occupationis suæ pulsatus vulnere, meminit qualis aliquando in monasterio fuerit; quando ei labentia cuncta subtererant, quantum rebus omnibus quæ voluuntur eminebat, quod nulla nisi cælestia cogitare consueuerat, quòd etiam retentus corpore ipsa iam carnis clausura contemplatione transibat, quod mortem quoque, quæ pene cunctis pœna est: videlicet vt ingressum vitæ & laboris sui præmium amabat. Hactenus Gregorius. Cuius auctoritas satis nobis ad sapientiæ dignitatem intelligendam esse debet, quandoquidem hic summus vir vtriusque status conditionem expertus (cum & monachus, & Pontifex maximus fuerit) monachi, hoc est, sapientiæ delicias summæ totius orbis dignitati prętulit, quibus tamen sanctissimus pater nequaquam in summa illa dignitate caruisse putandus est: sed vnam tamen illam, vt ita dixerim, guttulam, qua tum fortè carebat, summę totius orbis dignitati præferebat. Expertus quippe erat non temerè à Propheta

Psal. 36. fuisse dictum, Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas. Neque hoc planè aut mirum, aut incredibile cuiquam videri debet. Si enim paulò antè summum hominis bonum quod in hac vita haberi potest, in sapientiæ opere, hoc est, in diuinarum rerum contemplatione & amore positum esse diximus: quid mirum huic summo bono cætera mundi bona, hoc est, regna, sedes & imperia cedere, & inferiori loco stare? Hæc est enim inchoata hominis fœlicitas & beatitudo, hæc omnium curarum & desideriorum requies, hęc interna illa pax quę exuperat omnem sensum, cui nullæ mundi opes atque deliciæ vllo modo comparari possunt. Hoc tamen seculi homines minimè credunt: quia huius status opes atque delicias experti non sunt. At longè aliud sentirent, si eas aliquando vel minima ex

parte

parte deguſtaſſent. Neque enim D. Auguſtinus qui eas deguſta uerat, mentitus eſt cùm dixit: Qui biberit ex fluuio paradiſi, cuius vna gutta maior eſt Oceano, reſtat vt in eo omnis mundi huius ſitis extinguatur. Rectiſſimè enim & breuiſſimè Diuus Gregorius ait, Animæ videnti Deum anguſta eſt omnis creatura. *Auguſt.* *Gregor. 3. dialog.*

Si igitur tàta hæc fœlicitas in ſapientię opibus conſtituta eſt, dignum eſt profectò, vt vbi tantus hic theſaurus reconditus ſit, inquiramus. Hanc autem in primis curam Baruch Propheta ſuſcepit, qui poſt magnificas ſapientiæ laudes, eius locum inquirit his verbis, Quis inuenit locum eius, & quis intrauit in theſauros eius? Non eſt audita in terra Chanaan, neque viſa in Theman. Filij quoque Agar, qui exquirunt prudentiã quæ de terra eſt, negotiatores terræ & Theman, & fabulatores & exquiſitores prudentiæ & intelligentiæ, viam autem ſapientiæ neſcierunt, neque commemorati ſunt ſemitas eius. Non hos elegit Dominus, neque vim diſciplinæ dedit illis, propterea perierunt. Et quoniam non habuerunt ſapientiam, interierunt propter ſuam inſipientiam. Quis aſcendit in cælum, & accepit eam, & deduxit eam de nubibus? Quis transfretauit mare, & inuenit illam, & attulit illam ſuper aurũ electum? Non eſt, qui poſſit ſcire vias eius, neque qui inquirat ſemitas eius. His porro interrogationibus vir diuinus non modo inuenienda ſapientię difficultatem, ſed eius etiam dignitatem declarare voluit. Verè enim procul & de vltimis finibus pretium eius. *Baruc. 3.*

Verum ne hoc tanto bono homines caterent, oſtendit, protinus ſapientiæ locum, quem in ſolo Deo, vnico veræ ſapientiæ auctore, collocauit. Subdit enim: Hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit eam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus cõuerſatus eſt. Is igitur, qui increata Patris ſapientia eſt, è cęlo in terram delapſus hanc ſapientiam, quam in Patris & filij cognitione ſitam eſſe dixerat, nobis tradere dignatus eſt. Non enim in hoc ſolum venit vt homines immaculato corporis & ſanguinis ſui ſacrificio redimeret, ſed etiam vt veram illis ſapientiam quæ viam patefaciit in cælum traderet.

Ne quis autem tantum hoc bonum deſperaret, ipſe nos ad eius communionem amantiſſimis his verbis in Euangelio inuitat, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos: omnes, inquam, qui infœlicitatis inquiſitione laboratis (quam per varia negotia magno, ſed tamen caſſo labore inquiritis) omnes item, qui partim peccatorum, partim multiplici curatum pondere oncrati eſtis, venite ad me, ego enim vos refi-

refi ciam,ego insatiabilem istam cupiditatum vestrarum famẽ satiabo:vt sic tandem, quam desideratis, animarum vestrarum requiem inuenire possitis.

II.

Nunc reliquum est vt inquiramus,quibus tandẽ hominibus hanc spiritualem refectionem & requiem, hoc est, hunc pulchetrimum sapientię thesaurum cælestis hic sapientiæ Doctor tradere voluerit. O rem admiratione dignissimam! Non air prudentibus aut sapientibus mundi,non regibus aut principibus, sed paruulis,hoc est,humilibus,pauperibus,&(si externam corporis,faciem spectes) despicatissimis hominibus,quos mũdani homines videre solent,& vitam illorum insaniam computare. Quid enim (quod ad externam speciem attinet) sanctissimis illis Anachoritis,cæterisque monachis sanctissimis(qui relictis omnibus se totos huius diuinæ sapientiæ studio consacrarunt) abiectius?quid vilius?quid pauperius? Qui nihil prorsus in hoc mundo possidebant,non agrum,non fundum,non domum,nõ pecuniam,non seruum,non ancillam,non denique qui equam aliud. At hi omnes exterius quidem erant pauperes, interius veris animi opibus diuites: exterius nudi, interius cunctarum virtutum gemmis ornati: in oculis hominum abiecti, ante Dei conspectum pretiosi: exterius nihil hobentes, intus omnia in vno Deo possidentes:in oculis huminum deformes, in diuinis oculis formosi:iudicio mũdi miseri,ac tristes,at vera illa & summa fœlicitate & sapientia (quàm suprà miris in cælum laudibus extulimus)gaudentes. Quis igitur horum vitam vt tristem & luctuosam non horreret? At ea tam multis, magnisque spiritus deliciis circunfluebat, vt omnes corporeæ voluptates,horũ deliciis comparatæ,nihil aliud quàm mera amaritudo essent. Omnis enim eorum gloria omnisq; fœlicitas abintus,hoc est nõ in externis corporis bonis (quæ sunt nobis cũ pecudibus cõmunia)sed in bonis animi(quæ sunt Angelorum propria)sita erat. Vt enim thesauri ingentes inter carbones aliquando inuenti sunt:sic hæc tanta fœlicitas & gloria in his hominibus pannis obsitis,externaque specie abiectis,deprehensa est. Quid enim sanctissimis his Patribus,quid eorum principe Paulo eremita pauperius,cui vna palma obsonium & indumentum præbebat? Quid cæteros eius sectatores,qui solis herbarum radicibus victitabãt,commemorem? Quis autem internas horum opes atque delicias explicare queat? Quomodo enim solitudinis secessum,solis ardorem,horrendã squalentis eremi faciem,omniumque humanarum consolationum abdicationem

*Simil.*

homines

hominesnobis similes passibilesperferre potuissent,nisi internis diuini spiritus consolationibus reficerentur tantóque pluribus animi diuitiis abundarent , quanto maiori eorundem corpora paupertate & inedia premebantur?Ea enim diuinæ consolationis vis & magnitudo erat,vt ne ad momentum quidem à diuinæ pulchritudinis intuitu mentem reuocare vellent,& vix interim possent. Cuius rei memorabile exemplum (vt cætera, quæ sunt innumera pręteream)commemorabo. Cùm quidam ex his sanctis Patribus à vicino quodā Anachorita,nescio quid vtensilium postulasset , illi qui tota mente in Deum ineffabili quadam dulcedine absorptus erat, interius cubile vt id asportaret ingressus:& sui ipsius,& vicini&rei quam is quęrebat,obliti,ibidē permansit immotus.Cúmque illum vicinus compellasset,&ad se vocatum rei quam petebat, admonuisset,ille rursum cubiculum ingressus,eadémque qua prius obliuione correptus,ibidem permansit,donec tandem vicini monachi vocibus increpatus quòd tandiu moraretur , ille supplici oratione petentem rogat,vt is cellulam ingressus quod volebat acciperet:se nullo modo posse rem quā postularat,ne illa quidē breui temporis mora,mente retinere.Tanta enim diuinæ dulcedinis & suauitatis vis est,vt omnes ad se vires animi rapiat, tantóq; illam amoris & suauitatis glutino illi copulet vt nullo modo mentem alió deflectere nisi summo cum labore sinat. Sæpè enim qui se totos huius diuinæ sapientiæ studio dediderunt,vel lent ab hac sua paululū cōmentatione cessare,ne fragilis natura corporis nimia exercitatione grauetur quod tamē nisi cū magno labore posśūt,tāta diuinæ cōsolationis vis & efficētia est. *Exemp.*

Quæcunque igitur anima huc peruenit,in huius sapientiæ, hoc est,in summi thesauri possessione collocata est.Multos autem monachos,multas etiam virgines,& viduas(in hac etiam mundi fæce,in qua modò degimus ) reperire licet , sub humili habitu atque fortuna degentes,quibus hunc incōparabilem sapientiæ thasaurū (qui omnes mundi opes atque imperia longè superat)inuenire datū est , quos Dominus sustulit super altitudines terræ & cibat hæreditate Iacob quæ non alia, quàm ipse Deus est Hic est autem Euangelicus ille thesaurus in agro absconditus hæc pretiosa illa margarita,pro qua prudēs ille mercator vendidit omnia quæ habuit,& emit eam.

Sed quid externa quærimus , cùm vnus beatissimus P. Hieronymus ad hoc nobis pleniſſimè sufficiat? Is enim in epistola quadam ad virgines Deo dicatas de se ipso sic ait: Experto seni consulenti credite filiæ si semel gustatis quàm dulcis est Do- *Hieron. in epist. Exod. 32.*

minus,poteritis ab eo illud audire, Venite & ostendam vobis omne bonum. Scio quid loquar charissimę. Nam vt meam insipientiam loquar,ego homunculus sic abiectus,sic vilis in domo Domini,adhuc viuens in corpore,Angelorum sæpè choris interfui,de corporeis per hebdomadas sustentationibus & nutrimentis nihil sentiens diuinę visionis intuitu.Post multorum autem dierum spatia præscius futurorum,redditus corpori flebam.Quid ibi manens fœlicitatis habebam,quid inenarrabilis delectationis sentiebam,testis est ipsa Trinitas, quam cernebam,nescio quo intuitu:testes &ipsi beati spiritus qui aderant: testis est etiam conscientia mea, qui tantis bonis ipse fruebar, quot & quasia nescit proferre infirmitas corporis mei. Hactenꝰ Hieronymus.Quid igitur hac fœlicitate maius?quid mirabiliꝰ.

*Hieron.in epist.ad Eustoch.*

Si quis autem hanc esse Hieronymi epistolam neget, multò maiora sunt quæ idē in epistola ad Eustochium de virginitate? seruanda litteris prodidit;in qua non solùm has diuini spiritus delicias,sed mirabiles etiam virtutes,quibus ad eas vir sanctissimus peruenit,luculenter scribit:sic enim ait: O quoties ego ipse in eremo constitutus,& in illa vasta solitudine,quæ exusta Solis ardoribus horridum monachis præstat habitaculum,putabam me Romanis interesse deliciis.Sedebam solus,quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia, & scalida cutis situm æthopicæ carnis obduxerat. Quotidie lacrymę, quotidie gemitus, & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset,nuda humo vix ossa hærentia collidebam.De cibis verò & poto taceo,cùm etiam languentes monachi aqua frigida vtantur,& coctum aliquid accepisse luxuria sit.Ille igitur ego,qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaueram,scorpionum tantum socius & ferarum,sæpè choris interueram puellarum. Pallebant ora ieiuniis, & mens desideriis æstuabat.In frigido corpore &ante hominem suum iam carne præmortua,sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus ad Iesu iacebam pedes, rigabam lacrymis,crine tergebam,& repugnantem carnem hebdomadarum inedia subiugabam. Non depudesco infidelitatis meæ, quin potius plango me non esse quod fuerim. Memini me clamantem,diem crebrò iunxisse cum nocte,nec prius à pectoris cessasse verberibns,quàm rediret Domino increpante tranquillitas. Ipsam quoque cellulam meam quasi cogitationum meatum consciam pertimescebam, & mihimet iratus & rigidus,solus deserta penetrabam. Sicubi concaua vallium, aspera montium,rupium prerupta cernebam,ibi meæ orationis locus,

ibi

ibi illud miſerrimæ carnis ergaſtulum pronunciebam. Et, vt ipſe mihi teſtis eſt Dominus, poſt multas lacrymas, poſt cœlo inhę rentes oculos, nonnunquam videbar mihi intereſſe agminibus Angelorum, & lætus gaudenſque cantabam: Poſt te in odorem vnguentorum tuorum currémus. Hactenus ſanctiſſimi P. verba, quæ magnam certè nobis ſanctitatis eius opinionem, virtutumque eius admirationem excitare debent. His enim virtutibus Pater ſanctiſſimus ad eas ſpiritus delicias peruenit, vt ſibi inter Angelorum agmina poſt multas lacrymas verſari videretur, vbi propheticum illud experiebatur: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lętificauerunt animam meam. *Cant. 1.* *Pſal. 93.*

Non tamen ego à vobis, fratres, eadem quæ vir ſanctiſſimus de ſe ipſo memorat, requiro, non ſolitudinis ſeceſſum: non ſqualentis eremi habitaculum, non hebdomadarum inediam, quam hæc noſtra regio (vt Ioannes Caſſianus ait) minimè patitur. Quid igitur? requiro planè caſtigationem carnis, vt videlicet offeratis corpora veſtra (ſicut Apoſtolus ait) hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. Requiro ſacras vigilias, diuinarum rerum ſtudium: orationis inſtantiam, in qua Dominus has diuini ſpiritus delicias piis hominibus impartiri ſolet: quemadmodum ipſe per prophetam pollicitus eſt cùm ait, Adducam eos in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ. *Rom. 12.* *Eſaiæ 56.*

Iam nunc quid ex his quæ hactenus dicta ſunt, cóſequatur, concludamus. Diximus initio: diſciplinarum omnium maximè hominibus neceſſariam eſſe eam quæ doceat rectè viuere, Rectè autem viuere, eſſe vitam rectis inſtitutis ad ſuum finem dirigere. Hunc autem finem (cuius gratia homo à Deo conditus eſt) in futura quidé vita in aperta diuinæ pulchritudinis viſione, in præſenti autem in ſapientiæ poſſeſſione, & diuinarum rerum contemplatione poſitum eſſe. Quocirca quiſquis non cótentus futuræ beatitudinis ſpe ad hanc etiam inchoatá beatitudiné (quæ paucorũ eſt) aſpirat, omnes curas & cogitationes ſuas, & omnia vitæ ſtudia ad hunc finẽ deſtinare debet. Omnia verò alia: quæ huic fini nõ ſeruiũt, vel vt extraria, & ad ſe, hoc eſt ad hunc finem minimè pertinentia, valere ſinat. Neque illum ab hac perſuaſione omnia mortaliũ vel iudicia, vel exẽpla auocent. Si quem autem fortè deprehenderit in huius diuinæ ſapientiæ poſſeſſione collocatum (quamuis humili & infima fortuna ſit) hunc verè ſapientem, hunc verè fœlicem, hunc beatum, hunc verè diuitem, hunc liberum, hunc honoratum, hunc

pulchrum, hunc deliciis affluentem, hunc in diuinis oculis pretiosum, hunc mundi principem, hunc denique regē hominum iudicet, illiusque se pedibus prosterneus eius vestigia osculetur His enim titulis Philosophi olim suum illum sapientem ornabant. Hinc insignis ille poeta,

*Horat. libr. 1. Epistol. epist. 1.*

*Ad summam* inquit, *sapiens vno minor est Ioue, diues,*
*Liber honoratus, pulcher rex denique regum.*

Si igitur hæc tanta laus humanæ sapientiæ, quid diuinitus partæ tribuendum erit? Huius ergo viri opes omnibus mundi opibus, omnibusq; mundi regnis & sedibus anteferat. Et quomodo miraretur, si infimæ conditionis hominem ad regni solium (quod Sauli ac Dauidi contigit) subitò euectum cerneret: sic etiā ac multò magis fœliciſſimam eius sortem miretur, qui sub tam vili habitu atque fortuna tantam celet gloriam & dignitatem.

Illud tamē hoc in loco meminisse oportet, quod initio diximus, non ad omnes hoc perfectissimum institutum pertinere. Prius enim cupiditates & affectus frenandi, prius anima per veram pœnitentiam purganda, & virtutibns ornanda est, vt in ea cælestis huius sapientiæ Doctor sedere & paruulum atque humilem discipulum erudire dignetur. Quam nobis gratiam Dominus Iesus, paruulorum Doctor, concedere dignetur: qui est benedictus in secula seculorum, Amen.

AD LECTOREM.

Si quis in hoc die festo lectionem Euangelicam enarrare voluerit, habet eam in concionibus B.P.N. Dominici explanatam.

IN

# IN SEQVENTES QVATVOR DE BEATISSIMO PATRE FRANCISCO conciones ad pium Lectorem,

## PRÆFATIO.

*CVm tam multa sint beatissimi patris Francisci virtutes & miracula quæ de illo prædicantur, vt vix vlla oratione comprehendi valeant, nos ex multis eius virtutibus, quas sanctissimus pater Bonauentura sanctissmè & sapientissimè scripsit, paucas seligentes hunc in eis scribendis ordinem seruare voluimus. In prima enim concione de Euangelica paupertate, quæ in sanctissimo Patre inter cæteras eius virtutes mirabiliter enituit, disserimus: in secunda de flagrantissma eius charitate: in tertia de cæteris eius virtutibus tractamus: in quarta verò admiranda quædam eius opera & miracula recensemus, quæ Deum in sanctis suis non modò mirabilem, sed etiam amabilem faciunt, vt hac ratione auditorum mentes ad eius amorem accendamus. Hæc igitur breuiter admonere voluimus: vt studiosus concionator ex his, quid magis instituto suo conueniret, eligere facilius posset.*

# In festo Beatissimi patris Francisci concio prima, in qua, post Euangelicæ lectionis explanationem, de Euangelica paupertate, in qua beatissimus Pater modo miro emicuit, disseritur, vbi etiam multiplices eius fructus enumerantur.

THE. *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum. Non didici sapientiam, & noui scientiam sanctorum.* Prou. 30.

HÆc Salomonis sententia, fratres, quæ multis velut paradoxa, & mirabilis videbitur, quamuis Sanctis omnibus accommodari meritò possit (qui omnes inxta Apostoli consilium stulti facti sunt, vt fierent sapientes) tamen ad beatissimum Franciscum singulari quadam ratione pertinere videtur, cùm ob alia multa, tum præcipuè quòd paupertatem & rerum omnium indigentiam, quam terrena prudentia per mare, per terras, per inhospita saxa, per ignes omni ratione fugit, summo is amore, tanquam amantissimam sponsam, mundo ridente atque irridente amplexus est. Hæc enim in eo præcipuè virtus emicuit. Quamuis enim sancti omnes cunctarum virtutum ornamentis exculti fuerint, in aliis tamẽ aliæ laudantur. In aliis quippe fides, in aliis charitas, in aliis humilitas, in aliis obedientia, in aliis patientia præcipuè elucet. Hac enim de causa in sanctorũ Cõfessorum festis illum Ecclesia versiculum repetit, Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi. At in beatissimo Frãcisco cùm omnes inter se virtutes certare quodammodo videantur (quòd vnaquæque principatum suo sibi iure vendicare cõtendat) Euangelica tamen nuditas atq; paupertas mirabiliter in eo eminet. Quocirca de ea nunc mihi sermo habendus est, & multiplex eius fructus, à seculi prudentibus incognitus, enumerandus, Sic tamen de hac virtute ágam, vt eam præcipuũ instrumentũ esse ad verã sapientiã paruulis à Christo Dño reuelatã (de qua hodierna sancti euangelij lectio differit) apertissima ratione ostendã. Hanc autem sapientiã vir beatus in propositis à me verbis se assecutũ esse ait, cùm se non quidẽ hominũ sapientiã, sed sanctorũ scientiã habere testatur. Prius tamen quàm hæc attingã, eadem sacra lectio à nobis explananda est. Vt hoc autẽ argumentum vtiliter ac religiosè tractare possimus, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

AVE-

AVE MARIA.

Lectio sancti Euangelij, dilectissimi, flagrantissimam Saluatoris nostri erga genus hominum charitatem maximè declarat: quando mortales omnes ad bonorum suorum communionem amãtissimis verbis inuitat,& pro beneficiis eisdẽ collatis æterno Patri gratias agit. Sic enim ait:*Confiteor tibi Domine pater cœli & terræ,quia abscondisti hæc sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Vt autẽ huius cõfessionis causam audiatis,scire oportet, hoc ipso tempore Christi Domini discipulos à prædicationis officio(ad quos eos ipse miserat)lætos atq;alacres rediisse,quòd illis prosperè legationis suæ munus cessisset. At Saluator,qui Patris sui gloriam, & humani generis salutem omni tẽpore in pectore suo versabat,in hac singulari discipulorum legatione,gentium conuersionem ipsorum opera perficiendam contemplans, cælesti Patri pro hac mirabili dispensatione & benignitate gratias agit,quòd videlicet paucorum & rudium piscatorum opera mundum esset ad veram salutem,& veritatis cognitionem allaturus. Itaque mirabili exultatione & alacritate plenus, ait: *Confiteor tibi Domine pater cœli & terræ, &c.* Est peccatorum confessio, est & confessio laudis, qualis hæc fuit, in qua filius immẽsam cœlestis Patris bonitatem & prouidentiam laudat, quòd salutis humanæ mysteria paruulis reuelare dignatus fuerit. Erant eo tempore Pharisæi religionis opinione insignes,erãt scribæ & legis doctores, erant principes & nobiles viri, nec tamen hos elegit Dominus quibus Euangelicæ prædicationis officium delegaret,sed rudes & ignobiles piscatores. Cur ita? Subdit causam: *Ita pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Hæc est vera & certissima huius tam admirandæ electionis causa. Diuina siquidem voluntas est prima veritatis & iustitiæ regula, per quam omnia diiudicanda sunt. Neque Christianus homo fide subnixus, potiorem aliam rerum omnium causam quærere debet.

Verùm quoniã regius vates beatos eos pronunciat,qui diuinorum cosiliorum causas & rationes piè religioseè perscrutantur,nobis quoque liberum erit paululũ in hac Domini lectione philosophari,& eius siue causas,siue conuenientias inquirere.

Principio igitur cùm omnia propter semeipsum Dominus, hoc est propter nominis sui gloriam operetur, huiusmodi electio tanto magis eius gloriam atque omnipotentiam illustrat, quãto infirmiora instrumenta erant,per quę is res adeò magnas fœliciss imè gessit:hinc Apostolus, Habemus,inquit, thesaurum 2. Cor. 4.
hunc in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis,hoc est,vt infirmitas vasculi facilè declaret,hæc tam mag-

nifica opera nequaquam infirmo vasculo, sed diuinæ virtuti esse aſcribenda. Quam rem beatiſſimi Patris Franciſci exemplo comprobare licet, quem Dominus litterarum rudem & imperitum, & qui adoleſcentiam omnem in procuranda patris mercatura exercuerat, celeberrimi & clariſſimi, atque ſanctiſſimi Ordinis auctorem & principem esse voluit. Quo enim persona abiector & humilior, hoc ipſo Dei gloria & potentia clarior. Quod quidem Dominus ipse declarauit, qui beatũ virum, de Regulæ ſuæ obſeruatione ſolicitum, blandè atque leniter conſolatus, se eius ordinis atque inſtituti auctorem esse profeſſus eſt, ſibiq́ue curę esse illum tueri, atque ſeruare. Ideò enim, inquit, te rudem & literarum expertem, delegi, vt apertè homines intelligerent, non te, ſed me huius inſtituti principem & anctorem esse.

Eſt & alia cauſa cur Dominus indigniores & viliores interdum homines ad gratię ſuæ communem eligat, vt hac ratione tanto magis bonitatis & miſericordiæ ſuæ opes explicet quãto perſonæ, quę eliguntur, ea electionis gratia indigniores erãt. Hoc enim nomine Apoſtolus Dei iuſtitiam & gloriam iniquitate noſtra commendari ait, quandoquidẽ in hoc opere nihil humanę dignitati, ſed totum diuinæ tribuitur miſericordiæ. Et hanc quidem cauſam idem Apoſtolus, diuinorum arcanorũ interpres, aſſignat, cùm ait, Videte vocationem veſtram, fratres, quia nõ multi ſapientes ſecundum carnẽ, nõ multi potentes, nõ multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mũdi elegit Deus, vt confundat fortia, &c. vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius, hoc eſt, vt nemo vel ſapientiæ ſuæ vel nobilitati, vel potentiæ hanc vocationis gratiam aſcribat, nihilq; habeat homo cur in ſe gloriari poſſit. A quo periculo magnus ille legiſlator Moyſes commiſſum ſibi populum auocat, cùm percepta beneficia non ad propria merita, ſed ad ſolam Domini ſui benignitatẽ & gratiam reuocare docet, his verbis. Scies ergo hodie quòd Dominus Deus tuus tranſibit ante te ignis deuorans atque cõſumẽs, qui conterat omnes hoſtes tuos ſicut locutus eſt tibi. Ne dicas in corde tuo cùm deleuerit eos Dominus, propter iuſtitiam meam introduxit me Dominus vt terram hanc poſſiderem, cùm propter impietates ſuas iſtæ deletæ ſint nationes. Et mox eandem ſententiam repetit hoc modo; Scito ergo quòd non propter iuſtitias tuas dederit tibi Dominus Deus tuus terram hanc optimam in poſſeſſionem, cùm duriſſimę ceruicis ſis populus. Deinde, vt eidem populo gloriandi materiam adimat, ſolámq; Dei gloriam & gratiam conſtituat, eiuſdem populi impietates atque ſcelera longa oratione explicat his verbis. Memento, &

Rom. 1.

1. Cor. 1.

Deut. 9.

Ibidem.

ne obliuiſcaris quomodo ad iracundiam prouocaueris Dominum Deum tuum in ſolitudine,&ex eo die quo egreſſus es ab Aegypto vſque ad locum hunc ſemper aduerſus Dominum eõtendiſti. Quid igitur ex hac philoſophia ſequitur? Nimirum vt quicunque diuinis beneficiis ornati eſtis, & ad eius fortaſſe gratiam & amicitiam vocati, totum hoc illi tribuatis. Sic enim fiet, vt intra vos quidem humiles, erga illum verò grati & officioſi ſitis, propheticum illud corde atque voce clamantes: Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Pſal. 113.

Subdit deinde Saluator:

*Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Et nemo nouit Filium niſi Pater, neque Patrem quis nouit, niſi Filius & cui voluerit Filius reuelare.*

His verbis Dominus qua in re ſita ſit ſumma illa ſapientia, quam Pater paruulis reuelauit, apertè declarat: nempe in Patris & filij cognitione, de qua is alibi dixerat: Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. In huius enim veritatis cognitione inchoata fœlicitas in hac vita & cõſummata eſt in patria. In cuius autem facultate poſitum ſit homines fœlicitatis huius cõpotes facere, declarat cùm ſibi à Patre commiſſum eſſe docet, eam aliis communicare. Vt enim olim Pharao in Aegypto frumenti diſtributionem Ioſepho contulit: ita Pater cæleſtis omnes gratiarum ſuarum theſauros Filio ſuo diſpenſandos commiſit. Vnde eſt illud: Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Ioan. 17. Geneſ. 47 Epheſ. 4.

Sed nunquid diſpenſator hic cęleſtium gratiarum difficilem ſe in eis impartiendis exhibebit? Minimè verò: tantum enim abeſt vt hac in re difficilis, & inexorabilis ſit, vt ipſe amantiſſimis his vocibus mortales cũctos ad ſe vocet: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*: hoc eſt, ego mẽtes veſtras ſteriles, ieiunas, aridas, ſitibundas, & verę fœlicitatis egẽtes, ſpiritualibus dapibus atque deliciis reficiã & ſatiabo, viãq; vobis ad fœlicitatem, quam cupitis, demonſtrabo: quę non alia quam diuinorum mandatorum obediẽtia eſt. *Tollite* ergo *iugum meum ſuper vos & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde & inuenietis requiem*, hoc eſt veram pacem & tranquillitatẽ, *animabus veſtris*. Hæc enim pax quæ exuperat omnẽ ſenſum, indiuiduus iuſtitiæ atque obedientiæ comes eſt. Ideò enim propheta iuſtitiam & pacem ſibi obuiaſſe, ſeque oſculatus fuiſſe ait: vt intelligeremus, neque ſine iuſtitia pacem: neque iuſtitiam ſine pace comite inueniri poſſe. Ne verò quiſquam, cùm iugum audit, graue onus & importabile intelligat, ſubdit protinus, *Iugũ enim* Pſal. 84.

Matt. 11. *meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Sed inſtabit aliquis: Quonam modo iugum hoc ſuaue eſſe poterit, cùm tota carnis & mundi militia aduerſus illud armata pugnet: præſertim cùm Apoſtolus dicat, per multas tribulationes oportere nos intrare in regnum cœlorum? Ad hoc igitur reſpondemus, multa eſſe quæ hoc diuinæ legis iugum atque onus leuent. Sunt enim cœleſtes virtutũ habitus, ſunt miræ diuini ſpiritus dilitiæ, eſt ſpes futurę retributionis, eſt fides; quæ ſpem ipſam roborat atque cõfirmat (vt poHebr. 11. te quam Apoſtolus ſperandarũ rerum ſubſtantiam, hoc eſt, fundamentum eſſe dicat) cùm ſpei futura atq; inuiſibilia hona certiſſimè proponat: eſt poſtremò charitas, cuius tanta viseſt, vt cùm ea feruet in corde, non modò diuinę legis iugum, ſed mortem etiam (quæ extremum terribilliũ eſſe dicitur) ſuauiſſimam, maximeque deſiderabilem faciat. Quam rem vel vnius beatiſſimi Franciſci exemplo comprobare licet, qui flagrãtiſſimo Chriſti amore incenſus, nihil magis optabat, quàm pro eo vitam & ſãgninem fundere: vt ſuo loco referemus. Hactenus de Euangelica lectione: nunc verba thematis expendamus.

## TRACTATIO THEMATIS I.

Quemadmodum teſtãte Domino Saluatore in domo patris ſui manſiones multæ ſunt, ita varij ſunt in hac vita meritorum gradus, quibus ad eas manſiones peruenitur. Omnes tamen ad duo præcipuè capita reuocantur. Quidam enim ſola diuinorum mandatorũ obſeruatione cõtenti, cœleſtis regni præmium obedientię ſuę merito præſtolantur. Alij verò non ſola diuinę legis præcepta, ſed Euangelica etiam conſilia amplectentes ad Euãgelicæ vitæ perfectionem tota animi deuotione feſtinant: nec aliud in vita moliuntur, quàm vt eius cõpotes fiant. Hæc autem duo hominum genera duobus ſacrificiorum generibus in lege olim adũbrata ſunt. Erat enim cõmune ſacrificiũ pacificorum, in quoquædã animalis portio, hoc eſt, omnis adeps, & quidquid pinguedinis intrinſecus erat, duoque renũculi cum ipſo adipe, quo teguntur ilia, incendebantur atque adolebantur Domino. Leuit. 3. Erat & holocauſtum, inquo totum animal integrum Domino incendebatur, nulla prorſus eius parte relicta, quæ non adoleretur. Per illud igitur cõmune ſacrificium quo interna illa animalis portio immolabatur, eos fideles accipimus, qui Deum tota mentis intentione atq; affectu diligentes, eius leges & præcepta pura & caſta religione ſeruare cõtendunt: At per holocauſtum, quod totũ igne incendebatur & adolebatur, eos intelligimus, qui omnibus mundi curis atque negotiis (niſi quantũ arctiſſima neceſſitas exigit) valefacientes, ſe totos libero atq; expedito animo diuina-

mo diuinarũ rerũ ſtudio, amori & contemplationi dediderunt. Quod vnũ Sanctorum ſtudium fuit, qui ſeipſos in pleniſſimũ holocauſtum mactare atque offerre Domino ſuo ſtuduerunt.

Non tamen hoc vitæ genus ad omnes pertinet, ſed ad eos qui ſe iam in actiuæ vitæ ſtudio exercuerunt, quique affectibus & cupiditatibus ſuis, per mortificationis ſtudiũ, frena impoſuere. Non deſunt tamen in Eccleſia multi, qui ſe huic religioſo ſtudio tota animi deuotione addixerunt. Sunt enim multi monachi, multæ ſanctimoniales, multæ honeſtiſſimę viduæ, multæq; virgines, quarum vita nullis terrenis curis & negotiis implicatur, quæ in benedictionibus dulcedinis à Domino pręuctæ propheticum illud exequi nituntur, Quæſiui vultũ tuũ Dñe, vultũ tuũ Dñe requirã: ne auertas faciem tuam à me. Quibus huius argumenti tractationẽ non ingratã fore ſpero. Neque verò quiſquã mirari debet, ſi dũ perfectiſſimas beatiſſimi Frãciſci virtutes prędicam⁹, eius vos exẽplo ad perfectioris vitæ ſtudiũ adhortamur. *Pſal. 26.*

II.

Huius autem vitæ leges & inſtitutum breui oratione D. Th. complexus eſt. Is namque duplices eſſe virtutes ſtatuit, alias, quæ nos hominibus concilient, & ab omni illorum iniuria contineant, quas politicas appellat: alias, quæ nos ad diuinæ puritatis imitationem inducant, Deoque ſimiles efficiant: quas purgatorias nuncupat. Ex his autem prudentiam atque temperantiam his verbis definit: Prudentia eſt omnia mundana diuinorum contemplatione deſpicere, omnemque animæ cogitationem in ſola diuina dirigere. Temperantia verò eſt, omnia quæ corporis vſus requirit, quatenus natura patitur, contemnere atque relinquere. In his ergo duabus virtutibus totius Chriſtianæ perfectionis ſumma conſiſtit. Prius autem illud exigit, vt perfectioris vitæ ſtudioſus has in pectore ſuo ſententias ſcribat: Omne tempus, quo de Deo non cogitas, reputa te perdidiſſe. Et, Sicut nullum tempus eſt in quo homo diuinis beneficiis non vtatur: ita nullum debet eſſe quo ab eius laudibus & gratiarum actione vacet. Item illud: Non toties homines reſpirare, quoties Dei ſui meminiſſe debent. His igitur ſententiis perfectionis cultor admonetur, vt quantum per humanę vitæ neceſſitates licuerit, ſe totum orationis ſtudio, diuinarumque rerum contemplationi addicat. Quia verò nos ab hoc ſtudio, corporis cura, & humanæ vitæ negotia abducunt, proximum eſt, vt quẽadmodũ D. Thomas ait, mundana omnia relinquentes, his tantum contenti ſimus, ſine quibus corporis vita ſuſtentari nullo modo poteſt, cęteris omnibus, quę ad hoc minus pertinent, valere iuſſit. *1.2.q.61. artic.5.*

Hanc

Hanc autem philosophiam, quæ meritò Sanctorum scientia nuncupatur, paruulus noster Franciscus plenissimè assecutus est, qui omnem vitam & ordinis sui institutum ad hæc duo munera potissimum destinauit. Quid enim aliud eius vita, quàm perpetua quædam oratio, diuinarumque rerum contemplatio extitit? Quod aliud eius institutum, quàm omnia terrena bona contemnere, & Euangelicam paupertatem amplecti, vt se totum sine vllo impedimento huic studio impenderet? Cùm igitur in hoc diuinarum rerum studio atque contemplatione humanæ vitæ fœlicitas sita sit, consequens est, vt de hac Euangelica paupertate, quæ nos ad hunc finem dirigit, breuiter differamus.

*Prou. 30.* Meminisse autem debemus quòd initio illa Salomonis verba, Stultissimus sum virorum, beato Francisco accommodauimus, nunc ego paupertatis laudes prædicaturus, ea mihi accommodare volo, meque stultissimum profiteri, qui hanc prouinciam susceperim, vt vos ad huius virtutis amorem excitare velim. Scio enim verum esse quod ab insigni Poeta dictum est, homines per mare pauperiem fugere, per saxa, per ignes. Quomodo ergo ad paupertatis amorem vos excitare potero, quam omni ratione homines remis velisque fugiunt? Quid enim aliud omnium ordinum homines quærunt? quid captant? quid adorant, nisi argentum & aurum? Quas pelagi oras non attingunt? quæ littora intentata relinquunt vt aurum quærant? qui ad inferos etiam descendere non metuerent, si ibidem aurum

*Hier. 6.* se inuenturos sperarent. Non enim mentitur ille qui per prophetam dixit, A minimo vsque ad maximum omnes auaritiæ student, à propheta vsque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum.

*Deut. 3.* Hoc enim animo sunt seculi sapientes, hoc literati, hoc magni, hoc parui, hoc inopes, hoc etiam pecuniosi. Rex namque ille Babyloniæ capitis pœnam indixit, si quis statuam suam auream adorare nolit. Instar mortis enim homines esse putant, auro carere. An non ergo stultitiæ condemnandus sim, qui hunc tantum ignem oratione mea restinguere tentem? Et tamen si me patienter audiatis, fortassis multiplices virtutis huius fructus audientes in eius saltem amorem & admirationem rapiemini.

III.

Vt autem, de quo paupertatis genere dicere instituam, intelligatis, triplicem esse paupertatem constat, Alia enim paupertas corporis alia, spiritus, alia corporis & spiritus simul est. Corporis paupertas est, quam non voluntas, sed necessitas parit. Paupertas verò spiritus est, quæ in magna etiam opum af-

*Psal. 61.* fluentia illud implet quod est à propheta dictum, Diuitiæ si affluant,

affluant, nolite cor apponere. Tertia verò corporis simul & spiritus paupertas est, quæ nihil possidet, & nihil concupiscit, quæ nec mundi possessiones habet, nec oblatas accipit. Huiusmodi autem paupertas exigit, vt sit vilis domus, vilis tunica, vilis mensa, vile stratũ, & curta omnis suppellex, ac postremò omnia, quæ, nõ modò ad corporis vsum, sed etiam ad altaris ornamenta pertinẽt, paupertatem spirent, paupertatemque redoleant. Hoc igitur paupertatis genus beatissimus Franciscus Ordinis à se instituti fundamentum esse voluit.

Quantopere autem vir sanctus hãc virtutem dilexerit, nulla vis orationis cõsequi poterit. Primùm enim cùm Ecclesiam ingressus illud Domini consilium audiuisset, quo discipulos ad prædicationis officium sine pera, sine zona, sine pecunia, sine virga, sine calceis, sine duplici tunica ire mandauit, Hoc est, inquit, quod ego voris omnibus amplector, & exquiro: statimque calceos, virgam & zonam, atque pecuniam à se repulit, simplicique & vili tunica contentus, & pro zona, fune præcinctus, nihil aliud in vita possidere voluit. Quin & in morte hęc ipsa exuens, mundoque restituens, nudus vt ex vtero matris prodierat, in terram, communem omnium matrem, se proiecit: adeoq; huius virtutis amore captus fuit, vt nemo inter auaros tanto amore pecuniam, quanto ille paupertatem dilexerit: nemo aliorum diuitiis tantum inuiderit, quantum ipse, si quem fortè mendicum viliori habitu indutum vidisset. Hanc virtutum reginam, hanc matrem, hanc sponsam, hanc dominam suam appellabat: quoniam eam in dissolubili vinculo Regi æternum despõsatam fuisse dictitabat. Nullus autẽ illi cibus gratus erat, nisi qui paupertatis dulcedine conditetur. Vnde à Cardinalibus, & Episcopis aliquãdo inuitatus, prius ostiatim panis frustula mendicabat, quæ cunctis Principum dapibus ipsi dulciora erant. Matt. 10.

Quid verò illud, quòd cum Cœnobij cuiusdam Vicarius, allegans penuriam fratrum, petensque vt intrantium nouitiorum aliquid reseruare liceret, quo inopiæ fratrum consuleretur, vir sanctus superni consilij non ignarus, Absit, inquit, à nobis frater charissime, vt pro quouis homine impiè agamus in regulam. Malo te altare Virginis gloriosæ nudare, cùm necessitas id exiget, quàm contra paupertatis votum, & obseruantiam Euangelij aliquid vel modicum attentare. Gratius enim beatissimæ Virgini erit, eius altaria nudari, quàm Euãgelicam paupertatem, ab eius filio nobis indictam, aliqua in re violare.

Denique fratribus in conclaui quærentibus, quæ virtus hominem chariorem redderet Christo, quasi secretum sui cordis aperiens

riens reſpondebat,Paupertatem noueritis ,fratres, ſpiritualem viam eſſe ſalutis,tanquam humilitatis fomentum,perfectionis que rediceni,cuius eſt fructus multiplex , ſed occultus. Hęc e-
*Matth.13.* nim eſt Euangelici agri theſaurus abſconditus, pro quo emendo,vendenda ſunt omnia,& quæ vendi non poſſunt,illius comparatione ſpernenda.

Nunc conſequens eſt vt videamus , quantum philoſophię, quantum verę prudentiæ atque ſapientiæ in hac pauperis vitæ inſtitutione lateat, vt ita demũ perſpicere valeatis hũc, qui ſe ſtultiſſimum virorum appellauit, ſumma ſapientia præditum fuiſſe.Huius enim rei tractatione animaduertere licebit,paupertatem hanc & ad veram ſapientiam , de qua diſſeruimus ,& ad omnia penè virtutum officia aditum aperire,& omnibus vitiorum radicibus ſecurim infligere.Atque vtinam idem pater ſanctiſſimus,qui multiplices virtutis huius fructus,licet occultos,eſſe dixit,nobis eos patefacere voluiſſet,non dubito quin multos ex vobis ad eius amorẽ pellexiſſet.Nos tamen pro ingenij noſtri tenuitate duodecim eius fructus enumerando magis quã amplificando quã breuiſſimè recenſebimus,eorũ vim & dignitatem ſtudioſi auditoris cogitationi relinquentes.Horũ autem priores,quæ animi bona hęc virtus pariat,poſteriores verò quàm tetris & peſtilentibus malis nos ea vindicet,declarabũt.

III I.

*D.Tho.* Principio igitur veræ ſapiẽtiæ ſtudium( vt paulò ſuperius ex D.Thomæ ſententia definiuimus)in continua rerum diuinarũ cogitatione poſitũ eſſe diximus:vt videlicet homo in terra poſitus,cælitum officium imitetur , qui oculos ſuos indiuinæ pulchritudinis contemplatione defixos ſemper habent,vt pius homo eſſe iam incipiat, quod futurus eſt. Hoc autem ſtudiũ men-
*Pſal.45.* tem requirit vacuam,&ab omnibus terrenis curis & cupiditati-
*Eccl.38.* bus liberã.Hinc illud ex Pſalmo,Vacate & videre quoniã ego ſum Deus.Prius ergo vacandum,deinde vidẽdum eſt .Hoc autem Eccleſiaſt.expoſuit,cùm ait:Sapientiam ſcribe in tempore vacuitatis:& qui minoratur actu,ſapientiam percipiet.Si igitur
1 hæc proxima ad ſapientiam via eſt,quid, quęſo magis homini ad eam conſequendam,quàm hęc rerum omnium nuditas atq; paupertas cõferet,quæ viliſſimo habitu atque cibo cõtenta(qui ſine vllo ferè labore comparatur) liberã homini ad hoc ſtudiũ vacationem & otium præbet?Nec enim negotiorum multitudo tempus,neque curarum ſolicitudo mẽtem illi adiment,quò minus ſe totum huic ſtudio addicere valeat.Hac autem de cauſa cõſtat ſanctos illos Anachoritas relictis omnib⁹ deſerta loca

petiuiſſe

petiniſſe,vt ſe totos ſine vllo impedimento diuinarum rerũ cõtemplationi impenderent. Hoc ipſum autem vna paupertatis virtus præſtat,quę omnia curarum atq; negotiorum,variorum que deſideriorum examina à ſe procul pellit.

Iam verò eximiam illam abſtinentię virtutem,ab Aegyptijs patribus tãtoperè celebratam(quam totius monaſticę vitæ fundamentũ eſſe prædicabant) prudẽtiſſimus pater Frãciſcus paupertatis virtute complexus eſt. Cùm enim abſtinentiæ ſit:omnes à ſe carnis delicias & blandimẽta repudiare:quid aliud,quæſo,voluntariæ paupertati,quàm hoc ipſum propoſitum eſt.Itaque cùm vir ſanctus paupertatis inopiam tantoperè commendauit,hunc etiam ſingularem abſtinentiæ fructum ſub ea comprehendi ſpiritu docente præuidit.Nullas enimvera paupertas, ciborum cupidias,nullas huiuſmodi agnoſcit delicias. III.

Quid verò illud?quod eadem paupertas memoriam Dei excitat,& Chriſti Domini lãbores & paſſiones recolere frequẽter facit.Cùm enim vilis & aſpera tunica latera mordet,cùm inſuauis cibus,durumque ſtratum moleſtia corpus afficit,cũ frigus vrget,cùm ſpinæ arque offendicula nudos pedes pungunt atq; cruentant:quid hoc tempore vir pius agat,niſi mentem ad Dominum ſuum in cruce pendentem attollere,eiusq;exemplo ſe in perferendis laboribus confirmare & conſolari? Magnũ autem ad ſpiritualem ac religioſam vitam degendam adiumẽtũ eſt, tot paſſim intra ſe habere ſtimulos,qui nos ad refricandam Chriſti Domini in cruce pendentis memoriam excitent.

Hæc eadem virtus facit hominem pendere ex Deo,& per fidem(quod Chriſtiani hominis maximè proprium eſt)viuere,& à Deo neceſſaria ad vitæ vſum expectare Quę cùm per eius prouidentiam ſępè recipiat,in Dei laudes,& gratiarum actionẽ viſcera & ora ſua relaxat.Hoc enim grati animi officio fideles pauperes initio naſcentis Eccleſiæ fungebantur. Qua re ſic Apoſtolus,Miniſterium huius officij non ſolùm ſupplet per ea quæ deſunt ſanctis,ſed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino, per probationem miniſterij huius glorificantes Deum in obedientia confeſſionis veſtræ. IIII. 2.Cor. 9.

Iam verò cùm ſępè Dominus pauperum pater & amator(vbi omnia humana pręſidia deſunt) præter omnem ſpem eorũ neceſſitatibus conſulit,dictu mirum eſt , quantũ hæc eius paterna prouidentia eorum fidem,ſpem & charitatem augeat?Illo enim veluti miraculo confirmãtur in fide:illa verò paterna eius prouidentia,& in eius dilectione mirabiliter accenduntur,& ad ſpem atque fiduciam in ſimilibus anguſtiis retinẽdam magno V.

perè

perè excitantur. Intelligunt enim nequaquam illis defuturum, qui sæpè alias eorundem neceſſitatibus conſulit. Ex præteritis enim beneficiis futura ſperare diſcũt: quòd ſanctis omnibus de more fuit. Hoc autem eiuſdem beatiſſimi Patris Franciſci & ſociorum eius exemplo comprobare licet. Cùm enim ij confirmata iam paupertatis regula iter in vallem Spoletanam facerent, itineríſque labore fatigati, quid ederent non haberent, ſtatim affuit diuina prouidentia. Nam ſubitò apparuit homo afferens panẽ in manu, quẽ pauperculis Chriſti dedit, ſubitoque diſparuit, incognit⁹ vnde venerit, aut quò iret. Cognoſcẽtes autem hoc indicio pauperes fratres, ſupernũ ſibi adeſſe præſidiũ, magis dono liberalitatis diuinæ, quàm cibo carnis ſũt refecti. Inſuper diuina cõſolatione repleti, ſtatuerũt firmiter, nullius inediæ aut tribulationis impulſu à ſanctæ paupertatis propoſito reſilire.

V.

VI. His adde gratiſſimum quoddam ſacrificiũ, quod voluntaria paupertas cõditori ſuo ſemper offert. Nõ enim oues aut boues, ſed corpus ſuum hoſtiam offert viuẽtem, ſanctã, Deo placẽtem: quod nuditate, inedia & aſperitate vitæ, cęterisq; laboribus quotidie mactat, Deóque in ſacrificium omni acceptione digniſſimum offert. Quin & Aegyptorũ abominationes, hoc eſt, Deos gentium in ſacrificium Deo vero offert. Qui ſunt autem Gentium Dij, niſi aurum & argentũ, voluptas atque mundanus honor? Hos igitur Deos Euãgelica paupertas vero Deo in ſacrificium offert, cùm eos propter eius gloriã proterit atq; cõculcat.

VII. Hæc ſunt, fratres, atq; his ſimilia, ad quæ nos Euãgelica paupertas vehementer adiuuat. Quis autem verbis conſequi poſſit, à quibus nos ea malis, à quibus eripiat incommodis? Vno enim veluti ictu omnium ferè inimicorũ noſtrorum capita iugulat, malorúmque omnium radices euellit. Primùm enim auaritiam
1. Tim. 6. & cupiditatem (quam Apoſtolus malorum omnium, atq; hæreſum radicem eſſe ait) penitus exſcindit. Pugnant enim inter ſe, cupiditas auaritiæ, & voluntaria paupertas. Quod enim illa cupit, iſta contemnit, quod illa anxiè deſiderat, hæc conſtanter repudiat: quod illa ſupra Deum amat, hæc morte peius odit. Aurũ enim tanquam incendium fugit. Quid igitur optabilius, quid ſalutarius, quàm ab hoc vniuerſæ terræ malleo liberari?

VIII. Voluptatum verò amor quàm multa mala, quàm multa cri-
Cicero. mina pariat, Cicero in eo libro quem de Senectute edidit, ex Archytæ Tarentini ſententia longa oratione enumerat. Ab hoc igitur malorum ſeminario nos eadem paupertatis virtus eripit. Qui enim hanc virtutẽ tota mente colit, omnia aſpera & vilia,

& piu-

& paupertatē atq; aſperitatē redolētia ꝓ delicijs habet: delicias verò voluptuoſa, delicata, mollia atq; pretioſa, vt paupertati (quā vnicè charā habet) infeſta, fugit & horret. Sed hæc fratres, multis parádoxa & incredibilia videbūtur. At Sancti oēs hac mēte fuerūt, de quibus ſcriptū eſt: Inūdationē maris quaſi lac ſugent. Chriſti.n. amor amara oīa miro modo dulcia & ſuauia reddit. *Deut. 33. ix.*

Verùm his duobus animæ hoſtibus amor ſui longè potētior atq; immanior eſt. Nullum enim facinus, nullum crimen adeò tetrum eſt, quod non ab hoc proprij amoris fonte dimanet. Vt enim amor Dei omnium virtutū: ita contra immodicus amor ſui vitiorum omniū origo eſt: vt ille ſpir.tualē Hieruſalē, ita hic Babylonem ædificat. Is enim velut originalis peccati primogenita ſoboles, totā penè eius malitiā atque prauitatē refert. Hic eſt enim velut alter Golias, quē nemo niſi magno Dei munere atque beneficio proſternere valet. Cęterum aduerſus hūc adeò potentem hoſtem paupertatis virtus acriter pugnat. Ille enim mollia, dulcia, blanda, delicata, pretioſa ſemper appetit, hęc cōtrà (vt antè diximus) iſta horret ac fugit, & his contraria libēter amplectitur. Vt autem hic amor his blāditiis fouetur, & maiora in dies incremēta capit: ita cōtrà paupertate, vilitate atq; aſperitate vitæ (quæ paupertati coniuncta eſt) minuitur atq; diſſipatur. Atque vt delitiis carnis amor ſui ita contrà vitæ auſteritate ſanctum ſui odium generatur, quod aduerſus amorem ſui continenter bellum gerit. Vtriuſque autē cōmoda & incommoda Saluator expreſſit, cùm ait, Qui amat animam ſuam, perdet eā, & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitā æternam cuſtodit eam. Adde, quòd cū præcipuum amoris proprij inſtrumentum pecunia ſit (cui omnia obedire Salomon ait) ſublata pecunia (quæ cupiditatibus cunctis fomenta miniſtrat) ipſæ quoque cupiditates paulatim deficiunt atque lāgueſcūt. Vt enim puerperæ vbera exſiccantur cùm lactis fluxus impeditur, ita cupiditates minuuntur, quoties à concupitis rebus diu arcentur. *Ioan. 10.* *Eccl. 10.* *Simile.*

Quid? ꝙ carò quoque noſtra domeſticus hoſtis tanto cęteris pernicioſior: quāto nobis familiarior atq; cōiunctior, Euāgelicę paupertati cedit. Tunc enim caro ptæcipuè ſpiritui nocet, cùm deliciis, epulis, molli ſtratu atque cultu fouetur, cùm vino madet, pinguiq́ue pabulo inſoleſcit atque ſuperbit. At cùm Euangelica paupertas omnia cupeditatum atque deliciarum genera (quæ ſunt irritamenta luxuriæ) procul à ſe repellat, non habet caro vnde ferociat, & vires contra ſpiritum colligat. *x.*

Quid verò mundus? an & ipſe etiam paupertati cedit? Cedit planè. Nam & is aliquando blandiciis, aliquando litibus & iur- *xi.* *xi*

gus pacem mentis turbat & inquietat. Vtrique autem agmini Euangelica paupertas obstitit,dū blanditias pariter & lites à se procul abiiciret. Omnes quippe ferè hominum lites&cōtentiones,omnia iurgia,odia atq; dissidia ex his duobus verbis,Meū & Tuum,ortum habere sapientes homines aiunt. At hæc virt⁹ altiùs animo infixa,meum atque tuum nescit.Neque enim pretiosum aliquid sibi vindicat,neque in alienas opes inuadit, cū suas etiā à se repudiet.Hinc Assisij Episcopo annuos reditus ad Ordinis stabilimentum necessarios esse dictitanti, vir sanctus respōdit,Si opes,pater,habuerimus, armis etiam indigebimus. quibus eas,ab inuasoribus & litigatoribus defendamus.

Neque verò illud in postremis habendum est,q̄ hæc eadē
Eccl. virtus hominē à fœditissimo adulationis vitio(quod seruilis ingenij est)magna ex parte liberat. Adulatores enim spe alicuius commodi inducti,diuitibus adulari solent:qua spe sublata, nō est cur virilis animus turpiter se alicui submittere & blādiri cupiat.Vnde inter Philosophorum apophthemata refertur,quòd cùm Philosophus quidā,qui paulo licentius vitam agebat,philosophum aliū parsimoniæ atque sobrietatis cultorem legumina quædā in cibum sibi pręparantem cerneret, atque ad illum diceret,Si Dionysio adulari velles,ista non ederes. ille contrà prudētissimè respōdit:Immò si ista edere velles, Dionysio adulari nolles. Quo exēplo videmus,eos qui modico& parabili cibo paperū more,cōtenti sint,nihil habere cur diuitib⁹ adulari velint,cùm eorū opes adeò non desiderent,vt etiā contemnāt.

Cernitis iam fratres,quàm multi ac magni sint paupertatis Euangelicę fructus:cernitis,quāta fuerit beatissimi Patris hui⁹ sapiētia,quamq; meritò is gloriari possit, se Sanctorū sciētiam assecutum. Quid autem hęc scientia sit,Salomō explicuit,cùm dixit:Scientia sanctorū prudentia.At prudentiæ est,agenda atq; vitanda cognoscere. Quā quidē virtutē pleniſſimè paruulus hic
Pro.9. assecutus est,qui& diuitias &diuitiarū cupiditatem summo studio vitāda & Euāgelicā paupertatē flagrantissima charitate sibi esse amplectandā persuasit. Quid igitur vos ad hæc fratres?An tot virtutis hui⁹ perspectis fructibus,eius vos velamor,vel saltē admiratio nō capit?An frustra hæc omnia à me in huius virtutis cōmendationem dicta erunt?Minimè verò.Nā & diuites & pauperes haud vulgarē ex hac doctrina fructum percipere,si modò velint,poterunt.Diuites quidē,vt sorte sua cōtenti cupiditati finē imponant,cùm ea sit huius morbi vis vt nulla rerum
Psal.61. copia minuatur. Deīde,illud etiā maxima cura prouideāt,quod paulò superius Prophetæ verbis admonuim⁹,Diuitiæ si affluant

nolite

nolite cor apponere. Hac enim ratione fiet, vt si minus corpore at spiritu saltē pauperes sint, quēadmodum Abraham, Dauid, Ezechias, cæteriq; sancti Patriarchæ pauperes extiterunt. Cæterum qui vera corporis paupertate præmūtur, dent operā, vt id libenter esse velint quod sunt, & necessariam rerum indigentiā grato animo ferentes, eam in virtutē vertant. Tales namq; tāto sunt diuitibus huius seculi fœliciores, quanto Euangelicæ sunt paupertati propiores. Sola enim voluntatis accessione, quod erat necessitatis, in naturam transit altissimæ pauperratis. Ex qua quidem virtute & hæc omnia quæ enumerauimus cōmoda percipient, & ipsum etiā paupertatis onus voluntatis adiectione leui⁹ facient. Voluntatis enim propēsio omnia grauia & onerosa, grata facit & leuia. Nihil enim difficilè, quod voluntarium. Hic est igitur fructus, quē ex hac tam longa paupertatis cōmendatione colligere licet fratres: quē qui fuerit assecutus, thesaurum in agro absconditū, prætiosissimam margaritam, virtutū omnium seminarium, & cœlorum regnum, paupertatis Euangelicæ sectatoribus promissum, inrelligat se esse eius merito assecutum.

## In eodem festo Beatissimi Francisci concio secunda; in qua de vera sapientia (quæ in beatissimi Patris Francisci vita præcipuè eluxit) deque flagrantissima eiusdem charitate, vnde hæc sapientia manauit, disseritur.

THE. *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum. Non didici sapientiam, & non scientiam Sanctorum.* Prou. 30

HÆc sentētia, fratres charissimi, quæ à Salomone magno verborum apparatu proposita est, quāuis ad omnes Sanctos in cōmune pertineat (qui humanæ sapientiæ expertes, diuina sapiētia, quæ seculi hominibus incognita est, pleni fuerūt) tamē ad beatissimum patrem Franciscū ita spectat, vt de ipso singulari quadam ratione dicta esse videatur. Tanta enim in eo simplicitais cum tanta sapientia cōiuncta fuit, vt cùm verissima sapiētia plenus esset stultus sæpè ab hominibus, atque adeò à patre suo iudicatus, & in vincula ab eo tanquam insanus coniect⁹ fuerit. De hac igitur eius clarissima sapientia (quæ à singulari eius charitate manauit) hodie dicturi, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

*Stultissimus sum virorum, &c.* Vehementer hæc Salomonis verba cum hodierna sancti Euangelij lectione cohęrent: in qua

Dei filius ſuperno Patri gratias agit, quòd ſapientiæ ſuæ arcana (per quæ iter nobis ad ſempiternę fœlicitatis gloriam aperitur, nequaquam ſapientibus & prudentibus, ſed paruulis, hoc eſt, humilibus aperire dignatus fuerit: qui quamuis mundi iudicio viles & abiecti, atque interdum etiam ſtulti iudicarentur, veræ
*Luc.3.* tamen ſapientię compotes erant.

Ad cuius rei intelligentiam ſciendum eſt, duplicem à D. Iacobo aſſignari prudentiã, alteram carnalem atq; terrenam, alteram ſpiritualem atq; cæleſtem. Terrena ſapientia eſt, quæ omnes lucrãdi artes, & omnia quæ ad corporis cultũ & voluptatem pertinẽt, & pleniſſimè callet, & auidiſſimè cõſectatur, omniáque
*Luc.16.* vitæ cõſilia ad hoc vnũ ſtudiũ dirigit, de qua Saluator in Euangelio: Filij huius ſeculi prudẽtiores filiis lucis in generatiõe ſua ſunt. Spiritualis verò ſapiẽtia eſt, quæ omnia ſpiritualis vitæ documẽta probè tenet: quibus pius homo & mentẽ ſuã excolere,
*Epheſ.5.* & Deo gratificari valeat, in hisque pleniùs perdiſcendis omne ſtudium & operam ponit. De hac autem ſapientia Apoſtolus diſſerens, Nolite, ait fieri imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Dei bona & beneplacẽs, & perfecta. Hęc eſt autẽ altiſ-
*Hier.9.* ſima philoſophia cui Dei cognitio, & vita æterna propoſita eſt, quàm Dominus per Hieremiam commendat his verbis: Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, nec fortis in fortitudine ſua, nec diues in diuitiis ſuis, ſed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire & noſſe me, hoc eſt, ſcire qua ratione mihi placere, præceptisq; meis obtemperare atque obſequi debęat. Hanc porrò duplicem
*Mar.8.* ſapiẽtiam Dominus deſignauit, cùm Petro ſe à crucis ſupplicio reuocare volenti dixit, Vade poſt me retrò Satana, ſcandalum mihi es: quia non ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum.

Inter has autem ſapientias hoc diſcrimẽ eſt, quòd qui diuina ſapiunt, mundi ſapiẽtiam eſſe apud Deum ſtultitiam iudicant: contrà verò ſeculi ſapiẽtes non ratò Chriſti ſeruos, qui cęleſtia ſapiunt, ſtultos eſſe arbitrantur. Vnde ipſum Dei filium, veræ ſapientiæ auctorem, mundus ſtultũ aliquando reputauit: ſic enim
*Ioan.10.* de illo populus, Dæmoniũ, inquit, habet, & inſanit: quid eũ au-
*Mar.3.* ditis? Quid verò illud, quàm mirabile quod apud Marcum legimus? Sui, inquit, voluerunt eum tenere, dicentes, quia in furorẽ verſus eſt. Quòd ſi patremfamilias ſtultũ vocauerunt, quid mirũ
*Hieron.* hoc eodẽ nomine domeſticos eius appellaſſe? Hinc D. Hieron. in epitaphio Paulæ refert, quòd cùm hęc fœmina ſãctiſſima facultates ſuas omnes pauperibus erogaret, non defuiſſe qui dicerent, cerebrum illius eſſe confouendũ. Quod illa audiẽs, reſpon-
*1.Cor.4.* dit, Spectaculũ facti ſumus mundo, Angelis & hominibus. Hãc

ergo

ergo ſapientem ſtultitiã Sãcti Dei omnes coluerunt. Meminerant enim ab Apoſtolo dictũ fuiſſe: Si quis vult inter vos ſapiẽs eſſe, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens. Quę res in beatiſſimo Frãciſco potiſſimum eluxit: in quo cũ vera ſapientia (de qua mox dicemus) multa inuenim⁹ quæ ſtultitiæ ſpec ẽ præ ſe ferre videbãtur, quæ tamen à Spiritu Dei profecta, lõgiſſimè à ſtultitia abſunt. Subiiciamus aliquot huius rei exẽpla. Præcepit aliquãdo beatus Pater Rufino diſcipulo, literarũ imperito, vt Aſſiſij, hoc eſt, in patria ſua ad populũ cõcionaretur: cũmq; diſcipulus imperitiam ſuam allegans, hoc officiũ humiliter detractaret, vir ſanctus eius inobedientiam accuſans, grauiúsq; illi præceptũ imponens, iuſſit vt habitu nudatus, ſoliſq; femoralibus tectus pulpitũ aſcendẽs aſtanti populo prædicaret. Quod quidem verus obedientiæ filius ita vt erat iuſſus impleuit. Hũc, qui tum aderat populus, ſtultum eſſe iudicans, aſſerebat eos monachos abſtinẽtię diſtrictione de mente deduci, & ea facere quæ inſani ſolent. Quid verò beatus Pater? Sic ipſe ſecum: Ita ne decet vt Rufino viro nobili præcipias, quod tu Bernadionis filius nõ facis? Non decet te aliis imperare, quod ipſe non præſtes. Itaq; vir ſanctus ſimili modo nudatus, ad vrbẽ veniens Rufinúmq; prędicantẽ inueniens, eundẽ conſcẽdens locũ, populo prędicare cœpit. Quid hic ſeculi ſapiẽtes? An non hoc factum ſtultitiæ cõdemnarent? Adiiciam aliud huic nõ diſſimile exemplũ. Alio tẽpore cùm vir ſanctus propter graues quos patiebatur morbos cibis delicatioribus veſceretur, moleſtéq; ferret ſe à populo virũ ſanctum, & abſtinẽtiæ deditũ reputari, ſe ſimiliter nudũ fune ad collum ligato à fratribus aſportari, & in platea, quo in loco facinoroſi homines plecti ſolẽt, reponi iuſſit, ibíque poſitus aſtanti populo ait, Ecce monachus, quem vt ſanctum, & abſtinẽtiæ cultorem venerabamini, ſe modò carnibus ingurgitauit. Quid hic ſapientia mundi? quis non hoc ſtultiſſimum iudicaret? Quid verò illud quod graui carnis tentatione infeſtatus feciſſe memoratur? Nocte enim intempeſta cùm plurima niue terra conſperſa eſſet, poſteaquàm ægrum corpuſculum grauiter verberaſſet, ſe nudũ in niuẽ glaciémque coniecit: nec hoc cõtentus, addidit aliud mirabilius. Globum enim paulò grandiorẽ ex ea niue, deinde ſex alios minores coniecit, & ſic ſecum ſermocinari cœpit: Si vxorem deſiderabas Frãciſce, habes hic vxorem, quam te amplecti par eſt, habes hic etiam quam alere debeas familiam: hoc eſt, duos filios, totidẽq; filias, itémque famulum, & ancillam, qui ad ſeruitium domus neceſſarij ſunt. Quocirca oportet te aſſiduè laborare, vt hãc familiam curæ tuæ commiſſam alere poſſis. Hac enim ratione vir

1. Cor. 3.

ſanctus frigore conſtrictus, carnis incendium non modo refrigerauit, ſed penitus extinxit. Hoc etiam, ſicut & ſuperiora, mũdi ſapientes ſtultitiæ accuſarent, quod vir ſanctus periculo vitæ propulſare vellet, quod multis alijs rationibus curare potuiſſet. At ſupernus ille iudex hunc fidei & caſtitatis amorem tali pręmio affecit, vt nullum deinceps carnis ſtimulũ in vita ſentiret. Quid verò illud quod cum eius patri ab eo quidquid haberet pecuniarum ſibi reddi acriter poſtularet, ille coram Epiſcopo ſe ad femoralia vſque denudans, patriſque auaritię reſtituens, tanto ludibrio habitus fuit, vt pueri illum tanquam inſanum luto & lapidibus ſequerentur. I.

*1. Cor. 1.* In his ergo quę ſtultitię ſpeciem pręſeferre vidẽtur, Dei virtus & ſapientia latet. Quod enim ſtultum eſt Dei, ſapientia eſt omnibus hominibus. Voluit enim Dominus, vt quemadmodũ Prophetę olim nõ ſolum verbis, ſed externis etiam ſignis futuras clades præuaricatori populo prænunciabant, quò ea quæ minabantur, altius auditorum mentibus infigerentur (alius enim catenas collo circũpoſitas geſtabat, alius noctu perforato domus pariete egrediebatur, alius verò nudꝰ inter homines incedebat) ita vir ſanctus non verbis modò, ſed his etiam nouis & inſolitis rationibus obediendi leges, imperandi pręcepta, & caſtitatis amorem ſecuturis diſcipulis declararet.

*Ierem. 27. Ezec. 12. Eſa. 20.*

Hæc de ſtultitia: nunc veram beatiſſimi Patris ſapiẽtiam expendamus. Qui enim dixerat ſe ſtultiſſimum eſſe virorũ, & hominũ ſapientiam non attigiſſe, protinus ait, ſe habere ſcientiã Sãctorũ. Ad hoc igitur ſciendũ eſt, quòd cùm ſapientia ſit altiſſima Dei, diuinarumq; rerũ cognitio, duplici nos ratione Deum in hac vita cognoſcere poſſe: aut enim perfectiones ac virtutes eius legẽdo & audiendo: aut eas in nobis ipſis quodãmodo experiẽdo cognoſcimus: hoc eſt, cùm ipſius diuinę bonitatis, charitatis, ſuauitatis, aliorumq; eius virtutũ & perfectionum dignitatem & ſuauitatem interno quodam mentis experimento deguſtamus. Hęc autem cognitio longè dignior atque pręſtãtior ea eſt, quæ vel ſola lectione, vel doctrina colligitur. Vt enim melius ſaporẽ illius mãna quod Deus patribꝰ pluit in deſerto, populus agnouit, qui quadraginta annis eo victus eſt, quã Theologus, qui hoc ipſum ſanctarum literarũ lectione cognoſcit: ita longè clariùs Dei ſuauitatem agnoſcit, qui eam non tam legẽdo, quàm (vt ita dixerim) experiendo guſtauit. Quo fit, vt aliter Theologus diuinas perfectiones & virtutes agnoſcat (ſi nihil aliud nouit, quàm quod in Theologorũ libris reperit (aliter verò hum-

*Simile*

rò humilis & pura mens, quæ à curis & cupiditatibus terrenis expedita, se totam Deo tradit, totaque ad illum dies noctesque suspirat. In hanc enim puritatis amator Dominus velut in suum centrum descendit, omnesque ad ipsum affectionum suarum sinus expansos, bonitatis & gratiæ suę diuitijs implet, lucis suę radijs illustrat, charitatis brachijs amplectitur, diuinæ dulcedinis suauitate lactat, ad cor eius loquitur, atq; in illã postremò quasi fluuiũ pacis declinat, & torrente voluptatis suæ potat. Hac ergo tãta suauitate illecta mẽs tota in Deum rapitur, ac subinde miratur tantã in tãta maiestate erga tantillã creaturã dignationem & benignitatẽ, quam non solùm auditu percepit, sed etiam adora & degustat, & hac ipsa cognitione erudit & perficit intellectũ.

Qua ex re liquet, duplicem esse Theologiam, quemadmodum duplicem esse Dei cognitionẽ dicimus. Est enim theologia scientia quę diuinitatis cognitionem tradit. Cùm verò duobus his modis Deum agnoscamus, consequens est, vt duplex etiã Theologia sit: altera, quæ speculando, altera, quæ experiendo Deum agnoscit. Et illa quidem speculatiua, siue scholastica, hæc verò (vt ita dixerim) affectiua, siue mystica nuncupatur: quòd videlicet occulta sit, & à paucis cognita. Cùm autem præcipuus huius Theologiæ magister Spiritus sanctus sit, is primùm quidem pij hominis intellectum sapientiæ dono collustrat, deinde charitatis virtute voluntatem vehementer incendit, quæ sic incensa, ineffabilem diuinæ bonitatis & suauitatis dulcedinem odoratur, & quodam modo degustat: cuius gustu atque suauitate intellectus percipit quàm suauis sit Dominus, quàm dulcis, quàm pius, quam benignus, atque hoc modo intellectus ab ipsa voluntate quodammodo eruditi atque instrui dicitur.

Est autem magnum inter vtramque Theologiam discrimen. Illa enim ad intellectum, hæc magis pertinet ad voluntatem: illa cognoscit Deum, ista diligit: illa speculatur diuina hæc amplecti tur: illa tanquã ex auditu cognoscit Deũ, hęc quodãmodo odora tur atque degustat: illam docet lectio, ista vnctio: illa discitur in scolis, hæc in secreto diuinæ contemplationis.

Qua ex re duos in hac duplici Theologia processus intelligimus. In priori namque illa Theologia (quam speculatiuam nuncupamus (præcedit quidem intellectus actio, & sequitur in piis hominibus motus volũtatis: in posteriori autem (quã mysticam appellauimus) post hãc priorem intellectus operationem antecedit quidẽ voluntatis actio, & sequitur in intellectu noua quædam diuinæ suauitatis cognitio. In illa enim intellectus dirigit voluntatem, in hac volũtas erudit ac dirigit intellectũ, qui quo-

Psal.33. dammodo foris ſtans, ipſo voluntatis guſtu & experimẽto diuinę bonitatis ſuauitatem agnoſcit. hoc enim illa Prophetę verba innuunt: Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dñs. Prius enim guſtare, deinde videre iubet: vt intelligamus, ex voluntatis guſtu intellectum eruditi, & immenſas diuinæ bonitatis & ſuauitatis opes addiſcere. Vt enim deguſtato nouo aliquo cibo, guſtus ipſe ſaporẽ eius oſtendit intellectui: ſic poſteaquàm volũtas diuinę bonitatis dulcedinem nuſquam antea perceptã deguſtauit, intellectus hoc experimẽto doctus qualis ea, quãtaq; ſit agnoſcit. Quo fit, vt cùm duo animæ noſtræ pedes ſint, quibus in Deum imus: intellectus videlicet, ac voluntas: in priori illa Theologia pes intellectus pręcedit, quem ſequitur volũtas. in poſteriori verò voluntas ipſa eo modo quo diximus, præcedit, quam deinde noua illa cognitio ſequitur intellectus.

*simile.*

Hæc eſt igitur, fratres, myſtica Theologia, quę Spiritus ſancti magiſterio addiſcitur, quę inter omnes ſcientias principem locũ tenet, in qua rudis omnũ literatũ Frãciſcus tantum excelluit, quãtũ flagrãtiſſimo charitatis ardore incenſ⁹ fuit: per quam non tam legẽdo, quàm amãdo diuinisq; beneficiis atq; deliciis fruẽdo immenſas diuinæ bonitatis, charitatis & ſuauitatis opes agnouit. Vnde ꝓpoſitis aliquãdo ei àquodã inſigni Theologię doctore difficillimis quæſtionib⁹ tãta doctrinæ claritate vir ſãctus diuinę ſapiẽtiæ patefecit arcana, vt vehemẽter Doctor ille ſtuperet, atq; admirabũd⁹ diceret: Verè Theologia ſancti Patris huius puritate & contemplatione tanquã alis ſubuecta eſt, velut aquila volãs: noſtra verò ſcientia vẽtre graditur ſuper terrã: Hęc eſt igitur fratres, vera illa ſapiẽtia, quę in ſacra huius diei lectione nõ huius ſeculi prudẽtibus, & ſapientibus, ſed paruulis à Dño reuelari dicitur: quorũ de numero beatiſſim⁹ hic paruul⁹ extitit.

II.

Quia igitur charitas huius diuinæ ſapiẽtiæ vita & forma, atque (vt ita dixerim) magiſtra eſt, ideò de flagrantiſſima ſancti huius Patris charitate in reliqua concionis parte dicendum eſt, quò vos ad virtutis huius amorem (in qua diuinæ legis ſumma conſiſtit) accedere valeam.

Charitatẽ autẽ viri ſãcti quis enarrare ſufficiat? Vſque adeò enim puriſſima eius volũtas per excellẽtiſſimũ charitatis habitũ (quem Spiritus ſanctus in eius corde effuderat) in Dei amorem propenſa atque incenſa erat, vt ad ſolã dilecti vocẽ miro modo excitaretur, afficeretur & inflãmaretur, quaſi plectro vocis ęternæ chorda mentis interior tãgeretur. Cùm autẽ (vt D. Dionyſ. ait) amãtis propriũ ſit, amãtẽ cũ, re amata indiſſolubili vinculo

*Dionyſ.*

copulare

copulare:ideò viri ſancti anima ſic cũ dilecto ſuo colligata erat, vtvix vnquã ab eius conſpectu,atq; ſuauiſſima preſetia mẽtis oculos deflecteret,&interdum etiã nõ poſſet.Itaque illud Spõſæ vſurpare meritò poterat:Faſciculus myrrhę dilect⁹ meus mihi,inter vbera mea commorabitur. Quia verò vt ignis lignorũ appoſitione:ita charitas piis cogitationib⁹ augetur:ideò vir ſanctus ex mundi huius viſibilis,& omnium creaturarum cõtemplatione in dilecti amorem incẽdebatur,& ex omnibus ſcalam ſibi quodammodo erexerat,qua in Deum aſcenderet Cant.2. Simile.

Quis autem huius ignis ſcintillas , hoc eſt,charitatis huius effectus enarrare valeat? Huius enim charitatis erat flagrãtiſſimum illud Deum laudandi deſiderium,quo Dauidis exemplo animantia ipſa,atque adeò creaturas omnes ad diuinas laudes inuitabat : vt videlicet communẽ Dominum communi omniũ creaturarum voce magnificaret.Charitatis erat,erga oues & agnos mira mentis dulcedo,hoc ſolo nomine, quòd dilecti ſui ſimilitudinem quandam & nomen pręferrent. Itaque redemit frequenter agnos qui ducebantur ad mortem: mitiſſimi illius agni memor, qui pro peccatoribus redimendis ad occiſionem duci voluit. Vt enim pantheram aiunt tãto hominum odio incenſam eſſe,vt in ſimulachrũ etiã hominis inſiliat, atque illud diſcerpat:ita contrà vir beatus tanto Chriſti amore æſtuabat,vt vel tenuem illam eius imaginem,quę in hiſce animantibus elucebat,hac amoris dulcedine proſequeretur. Simile.

Charitatis etiam erat ardentiſſima illa erga ſacram Euchariſtiã deuotio(in qua dilecti ſui corpus eſſe ſciebat)in cuius contemplatione mens eius dificiebat,incredibili quodam omnium medullarum affectu mentisque ſtupore ſummam illam Domini ſui bonitatem, charitatem & dignationem admirans,quaſe hominibus hoc modo tradere, & cum illis in hoc exilio habitare dignatus eſt.Porrò autem in ſacra communione(quam ſæpiùs frequentabat)tanta ſuauitatis dulcedine complebatur , vt quaſi ſpiritu ebrius in mentis plerumque raperetur exceſſum. Quo iudicio intelligere licet,quanta eſſet illa diuinæ ſuauitatis dulcedo,quæ omnes ad ſe animæ vires ſic attraheret,vt nullam prorſus ſentiendi vim corporis ſenſibus relinqueret.

Charitatis item erat,quòd creaturas,etiam rationis expertes (ꝙ ab eo quem ſummè diligebat,conditæ eſſẽt)ſancta quadam ſimplicitate,fratres,& ſorores appellabat.Qui autem hoc affectu erga rationis expertes creaturas erat , quo animo erga eas quæ ſunt eius imagine inſignitæ &pretioſo ſãguine redemptæ fuiſſe putandus eſt,Hoc planè nulla vis orationis explicare poteſt.

terit. Hęc autē de cauſa beatiſſimū Michaelē Archāgelum ſingulari deuotionis affectu venerabatur, eiusq; diem feſtum quadraginta dierum ieiunio præueniebat: quòd videlicet eius curæ ſalus animarum credita eſſet. Cæterùm ſi quis prauis conſiliis aut exemplis ſcādalo aut offendiculo infirmis eſſet, bone Deus, quo doloris aculeo ſauciabatur! quos æſtus animi ſubſtinebat! 2. Cor. 11 Eundē enim cū Paulo Spiritū nactus verè dicere poterat: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcadalizatur, & ego non vror? doloris itaq; impatiens ad Dñm clamabat: A te, Domine, ſanctiſſimo, & à tota cœleſti curia & à me paruulo tuo ſint maledicti, qui prauis exemplis atq; conſiliis bonos aliorum mores corrumpunt. Itaque tanta ſæpè ob puſillorum ſcādalum afficiebatur moleſtia, vt deficere ſibi prę cordis amaritudine videretur, niſi fuiſſet diuinæ conſolationis virtute roboratus.

Iam verò Euangelica illa paupertas, quam vir ſanctus tanto pere adamauit, quamque rebus omnibus anteтulit, vnde quæſo niſi ab hac ardentiſſima in Chriſtum charitate manauit? Charitatis enim eſt, vehementer ab eo velle redamari, quē vehementer amet. Cùm autem ſimilitudo ſit amoris conciliatrix, hinc amans amato quàm ſimilimus fieri optat. Cùm igitur vir ſanctus Chriſtum Dominum (quem tam ardenter amabat) adeò pauperem & in vita & in morte cerneret, tota animi cōtentione ad eiuſdem paupertatis communionem aſpirabat, beatiſſimū ſe fore ratus, ſi cum paupere Chriſto pauper eſſet, ſi cum nudo nudus, ſi cum eſuriente eſuriet & cum algente algeret. Deniq; vt omnibus in rebus Chriſto pauperi conformis eſſet, moriturus ſe nudum è ſtrato in terram proiecit: quōdque mirabilius eſt, præcepit fratribus, vt poſteaquàm animā efflaſſet, aliquanto ſpatio nudus & inhumatus relinqueretur, vt hac ratione pendentis in cruce Domini nuditatem imitaretur, qui & ante mortem, & poſt mortē nudus in cruce pependerit. Ad mentem verò ſæpè piiſſimo cordis affectu illa Domini verba reuocabat: Vulpes foueas habent vbi caput ſuum reclinent. & illud item Apoſtoli, Scitis gratiā Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cùm dives eſſet, pro nobis egenus factus eſt, vt illius inopia vos ditaremini. Nulla autē ratiōe vir ſanctus ferre poterat ſe in deliciis vitam agere cùm dilectiſſimum Dominum ipſius gratia paupertatis moleſtias & incommoda perferentem cerneret. Quis autem caſtiſſimæ ſponſæ perſuadere valeat, vt in deliciis vitam agat, ſi dilectiſſimus eius ſponſus dira captiuitate atq; inopia inter barbaros & immanes hoſtes prematur? Cùm igitur beatus pater Franciſcus dilectiſſimū Dñm in ſtabulo naſcentē, & præ-

ſępi-

ſæpi cubantem,& in cruce nudum morientẽ,& in vita eleemoſynis piarum fœminarum victitantem,ſanctiſſimamq; eius matrem eadem inopia laborantẽ (vtpote quæ agnum non haberet quem in purificatione ſua offerret)cùm hæc,inquam,omnia tenerrimo cordis affectu cõtemplaretur,nihil prius habuit,quàm vt hanc eandẽ paupertatem, tanquam Regis æterni ſpõſam,ac totius vitæ ſociã,toto animi ſtudio amplecteretur,ſeq; tãto fœliciorem crederet,quãto ſe illis ſimiliorẽ videret.Quãuis autem vir ſanctus multiplices virtutis huius fructꝰ agnoſceret (quibus in eius amorem rapiebatur) hæc tamẽ Chriſti ſimilitudo ſancti viri mentem ad huius virtutis amorẽ multò magis inflãmabat.

Deniq; tãto huius virtutis amore flagrauit,vt nouũ in Eccleſia ordinem inſtituere decreuerit,cuius præcipuum fundamentum,paupertatis humilitas eſſet. Quæ res adeò per id tẽporis à ſeculi ſapiẽtibus,tãquã impoſſibilis, improbata eſt,vt cùm beatus pater Innocentiũ Pontificẽ maximũ adiiſſet, vt ab eo huius noui inſtituti confirmationẽ impetraret,ab eo nõ ſine indignatione fuerit repulſus,quòd rem peteret quæ ſtare diu atq; durare minimè poſſet. At vir ſanctus fiducia in Deũ plenus alio die Pontificem diuino iam miraculo præmonitum adiit, idemque quod antea poſtulauit,adiiciens,nequaquã Euangelicæ paupertatis profeſſoribus victum aliquando defuturum. Quam rem,à Deo doctus,elegãtiſſima hac parabola cõfirmauit:Rex:ait,quidam potentiſſimus pauperculam atque formoſam fœminã ſibi deſpõſauit:ex qua liberos ſuſcepit. Cũmque ij patris imaginem præ ſe ferrẽt, iuſſit eos Rex è menſa ſua regio cibo tanquam legitimam ſobolem ſuſtentari. Sic ergo cùm cælorum Rex paupertatem ſiõi,quãdiu in hoc mundo vixit, indiſſolubili amoris vinculo deſpõſauerit,paupertatis autem huius filij atq; cultores Regis huius imaginem præ ſe ferãt, non dubium quin eos Rex tanquam legitimam ſobolem,ſibiq; ſimilem agnoſcẽs, è diuite ipſius menſa, quæ latiſſima eſt,cibũ illis miniſtrari præcipiat. Non eſt igitur formidandum ne fame pereãt Regis æterni filij, qui ad imaginem Regis Chriſti per Spiritus ſancti virtutem de paupere matre nati, per ſpiritum paupertatis ſunt in religione paupercula generãdi. Qua quidẽ parabola propoſita vehementer Pontifex in pauperculo & illiterato homine tantam ſapientiam demiratus, ſimúlque diuino iam oraculo permotus, paupertatis regulam,quam pius Pater poſtulauerat,approbauit.

Nec tanctum virum ſpes ſua fefellit. Tantum enim abfuit vt à ſe inſtitutus Ordo inopia cogente defecerit: vt ob hoc ipſum ſupra omnes alios ordines auctus ac dilatatus fuerit. Exiguis

namq́ue expensis monasterium humile extruitur, quo extructo,facile monachi sine vllis red tibus quæ sunt ad pauperem ac tenuem vitam necessaria sibi comparant. Hic factum est vt vnicus beatissimi Patris ordo plura fortasse intra se cœnobiaquàm reliqui omnes omnium aliorum ordinum contineat. In quo etiam opere Dei prouidentia mirabiliter elucet,qui cùm pręcipuus huius instituti auctor fuerit,eam mentem cunctis mortalibus immisit,vt audito nomine Franciſci,nauiculatores, piscatores,stabularij,publicani,atq; omne postremum genushominũ stirpẽ cunctis eius sectatoribus porrigãt,nullumq́;ab eis vectigalis aut tributi genus exigant. Quodq; mirabilius est,illa etiã immanis Turcarũ natio non modo nihil ab illis(quemadmodũ ab aliis fidelibus)tributorum exigit,sed stipem etiam & eleemosynam petentibus præbet. Quod ego planè quoddam miraculi genus à diuinæ prouidentiæ cura profectum esse non dubito.

Nec minus miror,eundem paupertatis spiritum & amorem, qui in beato Patre præfuit,ad eius quoq; filios permanasse. Cũ enim omnes omnium ordinum homines,qui in toto orbe versantur,omni studio aurum quærant,aurum sitiant,ac penè adorent,paupertatemq́; per saxa,per ignes fugiant,plurimos in hoc sanctissimo ordine viros ac fœminas reperire licet,qui cõtra omnium mortalium vota ac desideria maiori studio paupertatem, quam illi diuitias quærant. Quis igitur non apertè videat,hunc spiritum atque animum non à carnis natura ( quæ sua vbique commoda captat)sed à cælesti gratia proficiſci.

III.

Video me,fratres,paulo diutius in paupertatis cõmẽdatione fuisse immoratum,quàm ar eximia sanctissimi Patris in Christũ charitate profectã fuisse diximus. Nũc maiora adhuc charitatis eius indic a proferamus. Constat multos esse in charitate gradus qui à sanctis Patribus numerantur:inter quos postremus,Deoq́; gratissimus est,cum vir pius tanto Dei amore flagrat, vt nihil magis in votis habeat,quàm varias propter eius amorẽ calamitates & labores alacri animo perpeti. Quod vt excellentissimũ charitatis opus,ita maximum eius indicium est,Hoc enim desiderium non à carnis natura(quæ omni semper molestia vacare cupit)sed à cælesti spiritu proficiſci,maximum indicium & argumentum est. Quocirca fratres quicunque toto studio ad diuinam gratiam aspiratis,nunquam opera vestra conquiescant, donec aliquam intra vos huius desiderij scintillam sentiatis. Cæterum cum inter omnia quæ nobis in vita chara sint,vita ipsa sit longè chariſſima,summum charitatis opus est,hanc ipsam propter

pter maiorem in Deum charitatem velle profundere:cum præ-
sertim Saluator dicat:Maiorem hac dilectionem nemo habet *Ioan. 15.*
quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Hoc autem desiderium adeo in beato Francisco flagrauit, vt semel & iterũ, & tertio ad infidelium terras proficisci tentauerit, vt hac desiderata martyrij corona frueretur. Nec enim eius animus vllo modo conquiescere poterat, nisi vitã vt sanguinem pro eius amore funderet, qui pro se prius vitam & sanguinem fudit. Sexto namque conuersionis suæ anno in Syriam Sarracenis prædicaturus nauigauit. Ventis autem restantibus in Sclauoniæ portum appellere compulsus est. Hoc igitur desiderio eo tempore fraudatus & siti hac vehemẽter eius animũ extimulante, ad Marrochiũ, Mauritaniæ vrbem, iter arripuit, vt Miramolino & genti eius Christi Euangelium prædicaret: si qua fieri posset, vt ad desideratam martyrij palmam perueniret. Tanto namque eius desiderio æstuabat, vt quamuis imbecillo esset corpore, peregrinationis suæ præcurreret comitẽ, & velut spiritu ebrius in eo itinere festinaret. Sed cum iam in Hispaniam veniisset diuina dispensatione, quæ ipsum ad alia reseruauerat, grauissimo morbo correptus, quod optabat, implere non poterat. Verum charitatis ardore eius mentem ad martyrum acerrime perurgente, iterum ad infideles ire destinauit. Tertio decimo namque conuersionis suæ anno in Syriam profectus, multis se periculis constantissimè exposuit, vt Christi Euangelium Soldano Babylonis Regi, ac populo eius annunciaret. Quo tempore adeo implacabile bellum inter fideles & Babylonios intercedebat, vt Soldanus Christianos omnes vbicunque reperti essent, interfici iuberet, & pro oblato occisi Christiani capite aureum nummum polliceretur. Cum igitur beatus Pater & socius in satellitum Regis manus incidissent, multis ab eis, tanquam agni à lupis, verberibus & iniuriis crudelissimè affecti, ac postremo vinculis astricti, ad Soldanum (quod sanctus Pater cupiebat) adducuntur. Cum is igitur ab illis quæreret, à quo in regnum suum missi essent, & quid in eo moliri vellent, intrepidus Dei seruus respondit, se nõ ab homine, sed à Deo missum fuisse, vt ei, & eius populo viã salutis ostẽderet, & veritatis Euangelium prædicaret. Tanta verò animi cõstantia, tantoq; spiritus feruore coram eo de vera pietate, deque Dominicæ incarnationis misterio disseruit, vt apertè constaret, verum esse quod Saluator dixit: Ego dabo vobis os & sapientiã *Luc. 21.*
cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri. Nam & Soldanus admirãdum in viro Dei spiritum feruorẽ & virtutem animaduertentes, libẽter ipsum audiebat, & ad morã con-

contrahendã cũ eo instantius inuitabat. Christi verò seruus supernо illustratus miraculo,Si vis,inquit,ad Christũ cum populo tuo conuerti,libenter tecũ ob illius amorem cõmorabor:si verò de Christianæ fidei veritate dubitas,legemq; tuam verioré arbitraris,præcipe ignem quàm maximũ accendi, & ego cum sacerdotibus tuis ignem ingrediar , & quibus ignis ardor pepercerit, horum fidem sinceram & immaculatam esse fatearis.At ille, Nõ, inquit,arbitror ex sacerdotibus meis quẽdam periculũ hoc esse facturum. Ad quem vir sanctus si promiseris te ac populum tuũ ad Christi Domini mei cultum traducturùm , si ignem illæsus intrauero,& exiero,ego solus ingrediar,quòd si combustus fuero,peccatis meis imputetur : si autem illæsus exiero, Christiano rum fidem veram esse cognosce.Soldanus autem hanc se optionem accipere non audere respondit,quod populi seditionẽ formidaret.Obtulit tamen multa munera,magnaque vi precum instabat,vt si non sibi,aliis saltem ea præbiturus acciperet:quæ tamen omnia vir sanctus non terrenarum rerum , sed salutis animarum auidus quasi lutum spreuit. Sic igitur Dei dispensante clementia factũ est,vt Christi amator mortem pro ipso totis viribus exquireret,nec tamẽ inueniret, vt & merito non careret optati martyrij,& pro eo in posterum seruaretur sacrorũ stigmatũ singulari priuilegio decorandus.O verè beatũ virũ,cuius etsi caro tyranni ferro nõ cæditur,occisi tamen agni similitudine non priuatur!ô inquã,verè ac planè beatũ , cuius animã etsi gladius persecutoris non abstulit,palmam tamen martyrij non amisit.

His argumentis,fratres , quanta beatissimi huius Patris erga Christũ charitas fuerit,satis apertè colligitur. Reliquũ est,vt videamus,quãtũ à Christo dilectus fuerit,qui tantoperè Christum dilexit. Hoc planè ex bonotũ omniũ cõmunione cõiicere licet; cùm veræ amicitiæ propriũ sit,& se,& sua omnia cũ amico cõmunicare. Hoc autẽ primũ illi quidẽ Dñs præstitit, cùm omnis generis morbos,& omnia itẽ animantia illius imperio subiecit, qua de re suo loco dicemus.Hoc autẽ quid aliud erat, quã viro sancto,quod diuinitatis propriũ erat , tribuere? Creatoris enim est,vt creaturę omnes ipsi ad nutũ obediant,quod videmus huic viro sancto fuisse concessum. Cæterùm cùm amicorum omnia sint communia(nec enim perfectæ amicitiæ lex patitur, vt amicus ab amico quidquam velit habere seiunctum) ea inter Christum & virum sanctum amicitiæ fides extitit,vt post hoc singulare imperium,nouam aliam gloriam & honorem , hoc est,prætiosa illa vulnerum suorum stigmata(quibus mundum redemit, quibus de huius mũ di principe triumphauit,quibus cœlestis regni occlu-

gni occlusas fores aperuit, quæ ad sempiterni huius triũphi memoriam non in fericis t petibus , sed in suo corpore reliquit) in amici sui corpore imprimere dignatus est. Quid hoc beneficio maius? quid hoc priuilegio sublimius? quid hoc opere mirabilius? Filius Petri Bernardonis , à patre olim in vincula ceu stultus coniectus, propter immaculatæ vitæ puritatem, eo celsitudinis à puritatis amatore euectus est , vt solus ipse cum Christo post resurrectionis gloriam his humanę salutis insignibus inter Sanctorum omnium choros effulgeat. Nec enim quam eius corpori gloriam contulit, in resurrectione auferet. Quantum ergo diuinæ erga sanctum virum dilectionis, hoc indicium & argumentum fuerit Ionathæ Saulis filij exemplo intelligere licet, qui Dauidem à cęde Golię redeuntem, eiusque caput in manu gestantem, tanto amore prosecutus est, vt quemadmodum animam suam, ita illum dilexisse fetatur. In cuius rei argumentum expoliauit se Ionathas tunica sua, deditque Dauidi: nec non & reliqua vestimenta , vsque ad gladium, & arcum , & balteum. Itaque magnus ille amicus, qui se totum atque animam suam amico tradidisset, si potuisset, cum hoc non posset , vestibus suis & armis illum insigniuit atque decorauit. Si igitur vestium & armorum donatio pro maximo amicitiæ argumento in sanctis literis memoratur; quale, quæso, fuit non vestem, aut arcũ, aut gladium (quæ extra corpus sunt) sed ipsa sacrorum vulnerum stigmata, quæ Christus Dominus in corpore suo gestabat, in amici sui corpus transferre? Ea igitur huius amicitiæ magnitudo extitit, vt posteaquã alia omnia tradidisset, nullo modo cõquiescceret, nisi hoc etiam, quod vni sibi Dominus reseruauerat, quodq; nemini hactenus concesserat, in vnum Franciscum contulerit. Quis igitur hic non exclamet? quis non hanc tantam Dei nostri fidem, bonitatem, suauitatem & charitatem erga fideles seruos suos non miretur, non adoret, non obstupescat? Hunc igitur, fratres, Dominum toto cordis affectu diligamus, hunc imis visceribus condere studeamus, illum dies noctesque cogitemus, sanctissimas illius leges semper ante oculos habeamus, ob eius amorem, si ita opus fuerit, mori parati simus, prius quam eius leges infringamus, vt sic tandem, aspirante eius gratia, per obedientiam mandatorum peruenire mereamur ad regnum cælorum. *1. Reg. 18.*

IN

## In eodem festo beatissimi patriarchæ Franciſci concio tertia: in qua, poſt Euangelicæ lectionis explanationem, de ſingularibus ſanctiſsimi Patris huius virtutibus & meritis agitur.

THE. *Quaſi vas auri ſolidum ornatum omni lapide pretioſo.* Ecc. 50.

*Simile*

MAgna nobis hodie, dilectiſſimi, prouincia ad dicẽdũ propoſita eſt, ad quã nulla dicẽdi facultas par eſſe queat. Vt enim inter aues nonnullę ſunt quæ adeò pernici volatu in ſupera loca ferãtur, vt penè viſum effugiãt: ita inter Sãctos nõnulli reperiũtur quorũ altiſſimas virtutes mẽs humana cõprehendere, ac multò minus verbis explicare valeat. Quod de beatiſſimo patre Franciſco intelliget quiſquis eius vitam, & clariſsimas virtutes atq; innumera propè miracula ſtudiosè perlegerit. Non tamen arbitror ſacratiſſimæ virginis opem in beati ſerui ſui Frãciſci laudibus prædicandis defuturam, quando is eã toto vitæ ſuæ tẽpore ſingulari quadã religione ac pietate coluerit cauſámq; hui⁹ tãtę erga illã dilectionis & religionis aiebat eſſe, quod ea Dñm maiestatis, fratrẽ noſtrũ effecerit. Nõ potuit pauciorib⁹ verbis hoc tã ingens debitum amplificari. Quid enim maius, quid ſublimius, quàm vilẽ homuncionẽ atq; vermiculũ habere vnigenitũ Dei filiũ (qui omnia poteſtate infinita cõplectitur (nõ modò patrẽ, ſed fratrem etiã, os noſtrum & carnem noſtram? Quam rẽ non ſolùm immenſę Chriſti bonitati, ſed magna etiã ex patre eius glorioſæ genitrici debemus. Quin & illud piiſſimum ſancti Patris affectum erga Virginem augebat, quod nouę vitæ ſuæ initium & finẽ in quadam Virginis Eccleſia (quæ ſancta Maria de Portiuncula vacatur) habuiſſet. In ea enim Euangelicæ vitæ inſtitutũ cœpit, ad eãq; morti iam proximus ſe deportari mãdauit, vt ibidẽ viuendi finẽ faceret, vbi eiuſdẽ Virginis ope adiutus, nouæ vitæ initium ſumpſerat, eundémque locũ in magno honore atq; reuerentia à fratribus ſuis haberi præcepit. De hui⁹ igitur viri ſanctiſſimi virtutibus hodie dicturi, cæleſtẽ opẽ, eiuſdem ſacratiſſimæ Virginis interuentu, ſuppliciter imploremus.

AVE MARIA.

priuſquam id quod propoſuimus, expedire incipiamus, Euangelica lectio quæ maximè cum beatiſſimi Frãciſci inſtituto cohæret, paucis explicãda eſt. In ea igitur amator hominũ Dñs Ieſus cæleſti Patris gratias agit, ꝙ euãgelicæ doctrinæ myſteria

quæ

(quæ aditum nobis ad ſempiternam fœlicitatẽ patefaciũt) præ-termiſſis prudentibus & ſapiẽtibus ſeculi, paruulis, hoc eſt, rudibus piſcatoribus voluerit manifeſtare, vt ipſi alios doctrina ſibi diuinitus tradita imbuẽtes, eiuſdẽ fœlicitatis cõſortes efficerẽt. Cur autẽ huiuſmodi operarios ad hoc tantũ opus cæleſtis Pater elegerit, non aliã cauſam Filius, quàm eius rectiſſimã voluntatẽ aſſignat: quę certiſſima totius ęquitatis & iuſtitiæ regula & norma eſt. Ferũt Pythagorę diſcipulos tantã fidem pręceptoris ſui placitis habuiſſe, tãtaq; illũ religiõe coluiſſe, vt quauis argumẽtatione firmior apud illos eius auctoritas eſſet. Itaq; vſitatũ apud illos argumentũ erat, Ipſe dixit. Quanta verò fuerit apud homines Catonis Vticenſis auctoritas, declarat inſignis Poëta, qui de ciuili inter Cæſarem & Pompeium bello ſcribens, ſic de illo ait: Lucanus.

*Quis iuſtius induat arma,*
*Scire nefas: magno ſe iudice quiſque tuetur.*
*Victrix cauſa Diis placuit, ſed victa Catoni.*

Si ergo tanta hominibus auctoritas tribuitur, quãta quęſo immenſæ illi ſapientiæ & ęquitati tribuenda eſt? Valeat ergo apud nos, fratres, in omni humanarũ rerũ & inæqualitate hæc ſola oratio. *Ita Pater, quoniam ſic fuit placitum ante te.* Hac enim ſola oratione, inter tot calamitatum procellas ſe ſanctus Iob cõſolabatur, cùm diceret, Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum. *Iob.1.*

Subdit deinde Dominus: *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Et nemo nouit filium niſi Pater, nec Patrem quis nouit niſi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Sunt inter fideles multi, qui afflictari ſolent, cum ſalutem ſuam non tam in ſe, quàm in diuina diſpẽſatione ſitam eſſe audiunt, perinde atq; tutius ea in ſuis manibus, quàm in diuinis poſita eſſet. Vt igitur vanæ horũ ſolicitudinis Saluator occurreret, eã in ſuis manibus à Patre poſitam eſſe declarat: qui nullo modo (quod ad ſe attinet) ouem eam perire patietur, quam is multo labore quæſitã ſuper humeros ſuos baiulauit: & pro cuius ſalute innocẽtes in cruce manus clauis terebrari, atq; transfigi paſſus eſt. Quod intelligens vates regius his manibus ſpiritus ſui ſalutem firma fiducia committebat, cùm diceret: In manus tuas Domine commẽdo ſpiritum meum. Cur hoc? Subdit huius fiduciæ cauſam: Redemiſti me Dñe Deus veritatis. Cuius enim manibus fidentius ſpiritũ meũ commendare potero, quam iis quæ pro me redimendo ligno crucis affixæ ſunt. *Pſal.30.*

Vt autem hanc ſalutis noſtræ curam ac deſiderium Saluator infirmis mentibus oſtẽderet, omnes ad ſe homines his amãtiſſimis verbis aduocat: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati*

*stis, & ego reficiam vos, Tollite iugum meum super vos, &c. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* hoc est, quod seculi homines credere nullo modo possunt. Iugũ enim Diaboli atq; mũdi suauissimum esse credunt, quòd largam voluptatibus licentiã præbeat: tuum verò iugũ, Domine, importabile esse prædicãt, quòd eas frenare & cohibere, carnémque spiritui seruire iubeat. Iubet planè: quòd quidem rerũ diuinarum imperitis difficilè esse apparet, non iis qui diuinę charitatis vim experti sunt. Cùm enim incensa in Deum charitas ipsi super omnia placere desideret, intelligátque labores propter eius amorem alacriter susceptos, gratissimos illi esse, nihil magis cupit, quàm variis propter eum laboribus conflictari. In cuius rei fidem cunctorum Martyrum alacritatem, & patiendi sitim afferre possem: sed his omnibus prętermissis, vnius D. Gregorij exemplũ in medium afferam. Cùm is igitur grauissimo quodam morbo laboraret (cuius erat remedium, per singula penè momẽnta cibo refici, idque instante Dominicę Resurrectionis vigilia pateretur) maiori se tristitia affectum fuisse scribit, quòd eum diem ieiunio prævenire, & sanctificare non posset, quàm quòd lethifero illo morbo premeretur. Quocirca sanctissimum quendam virum, signis atque miraculis celebrem, obnixè rogauit, vt facultatem sibi eo die ieiunãdi à Domino impetraret: quod & factum est. Videtis ergo, fratres, quid pręstet in Deum incẽsa charitas? Tantum enim abest vt labores religionis gratia] susceptos horreat, vt illis carere mortis instar esse ducat. Hinc D. Bernardus, In eo, inquit, quod amatur, aut non laboratur, ut etiam labor amatur. Iudicio nobis erit mater, quæ filium nutrit, quæ tamen nutritionis diurnum pariter & nocturnum laborem alacriter & libenter propter sobolis amorem perfert. Hunc igitur erga Deum amorem, fratres, continuis precibus & gemitibus à Domino flagitemus, ab eoq; contendamus, vt charitas Dei per Spiritum sanctũ diffundatur in cordibus nostris: hac enim charitate incẽsi atq; adiuti, facilè fiet omne difficile. Hactenus de Euangelica lectione: nũc ad beatissimi Francisci laudes recurrat oratio.

*Gregor. Dialog. lib. 3. cap. 33.*

*Bernard.*

TRACTATIO THEMATIS.

Iam primùm constat, fratres dilectissimi, primam omniũ diuinorum operũ causam esse, diuinam bonitatẽ: omnia verò Dei opera, quæ penè sunt infinita, ad duo potissimùm capita referri. Sunt enim naturę, sunt gratiæ opera; quæ omnia ab illo inexhausto diuinę bonitatis fonte dimanant. Non enim vlla necessitate, sed sola bonitate inductus, omnia quę in cęlo, terra, marique continentur, condidit. Eadem bonitas illũ impulit, vt hominum

minum mentes gratiæ ſuæ opibus ſanctificaret, eaſque ſibi ſimiles redderet. Eademq; bonitas fecit, vt poſt oblatum in cruce ſacratiſſimi corporis ſui ſacrificium, & Spiritũ ſanctum è cœlis in Apoſtolorũ pectora, & Apoſtolos ipſos in mundũ mitteret: qui ad gratię & glorię ſuæ opes mortales cunctos ſine vlla generis aut ſanguinis diſcretione inuitarent. In cælũ igitur, vnde ad nos venerat, regreſſurus; hæc ad diſcipulos nouiſſima verba, iuxta Matthæi Euãgeliũ, dixiſſe memoratur: Eũtes docete omnes gẽtes baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docẽtes eos ſeruare omnia quęcũq; mãdaui vobis. Cumq; ad hoc omniũ operũ maximũ ac difficillimũ, Apoſtoli imperitiã & infirmitatẽ ſuã cauſari poſſent, hũc eis timorẽ adimit, cũ paulò ante hæc verba dixit, Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Et mox: Ecce, inquit, ego vobiſcũ ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi, quod perinde eſt ac ſi diceret: Ego qui cæli ac terræ imperiũ nactus ſum, ſub cuius poteſtate omnia ſupera atq; infera continẽtur, vobis præſens adeo, vosq; in hoc tãto opere dirigã atq; defendam. Hoc ãutẽ cæleſti auxilio freti diſcipuli, nihil erat cur legationis huius officium formidarẽt, cùm præpotentẽ cæli ac terræ Dñm cœptis ſuis fauentẽ haberẽt: quẽ nõ ad horã ſolũ, ſed perpetuò ſibi aſſiſtentẽ ſperarent. Qua ex re colligere licet, fratres, quã ſalutare mũdo Chriſti regnũ & potẽtia fuerit, & quãtũ nobis de tali potẽtia gratulari, & in Rege noſtro exultare debeam⁹, qui potẽtiã oẽm, omnesq; opes ſuas in ſalute noſtra promouenda collocauerit. Quã rẽ is alibi nõ obſcurè declarauit, cũ ad Patrẽ dixit: Dedisti ei (videlicet filio tuo) poteſtatẽ omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitã æternã. *Matt. 28.*

Quia verò ſalutarẽ hanc opem atq; præſentiam ſuam nequaquam breui illo temporis ſpatio definiuit, ſed omnibus diebus vſq; ad conſummationẽ ſeculi duraturã promiſit (vt quos præcioſo ſanguinis ſui cruore à peccati ſeruitute redemerat, eoſdem iam à peccatis purgatos, ad cæleſtes ſedes euocaret) ideóque illũ bonitas impulit, vt iturus in cælum diſcipulos ſuos ad hoc opus deſtinaret, eadem etiam quamdiu mundus ſuperſtes fuerit, ad eandem curam, idéque miſericordiæ officium impellit. Apoſtolis igitur & vita & officio ſuo defunctis, alios deinde operarios ad Eccleſiæ ſuæ vineam excolendam conduxit, hoc eſt, ſanctos Eccleſiæ Doctores & Pontifices, qui ab eodem Domino miſſi, & eodẽ Spiritu acti, in eadem vineæ cultura ſtrenuè laborarunt. Prætereo hic ſanctorum Monachorum & Anachoritarum examina, & eorum præcipuè, qui monaſticæ vitæ fundamenta iecerunt (qualis Magnus ille Antonius Aegyptius, Baſilius, Benedictus *Ibidem.*

dictus atq; Bernardus extitere(venio ad vicina temporibus nostris secula,quæ nouissima esse putantur.Hac igitur hora, penè vndecima,duos eodē tempore apostolicos &euangelicos viros solicitus paterfamilias ineffabili pietatis suæ prouidentia destinauit,qui duorum clarissimorū in Ecclesia ordinū fūdatore s& auctores existerent,vt non ipsi tantùm,sed eorū etiā sectato res in toto terrarum orbe,in omnibus oris & gentibus ad finem vsque mundi hanc vineam excolerent , hoc est,animarum saluti operam darent.Estque res planè admiratione digniſſima,cùm tanta sanctissimorum virorum inopia in mundo sit, vno atque eodem tēpore hęc duo maxima luminaria in mūdo orta fuisse, quæ non modò Apostolicæ vitæ clarissimum specimē ederent, sed etiam Apostolica signa,& ingentia miracula eadem fide & potestate patrarēt.Morbos enim omnis generis sanabant,mortuos ad vitam reuocabant, dæmonibus imperabant , & omnia naturæ iura,veluti dij quidam terrestres,& omnium rerum domini,pro voto suo immutabant.

Si quis autem hæc ipsa quæ diximus, paulò attentiùs considerauerit,intelliget planè,horum sanctissimorum Patrum singulares vereque mirabiles virtutes extitisse,nec tamen incredibiles,quamuis esse videātur.Cuius rei causam paucis explicare tentabo.Est igitur intelligendum, auctorē naturę & conditorē Deum sic res à se cōditas instituisse , vt easdē veluti per classes & ordines distribuerit,atque vnicuique ordini rem aliquā,eiusdem ordinis maximè insignem,veluti regem quēdam prēfecerit:quæ &omnibus illis perfectionis causam afferret , tantoque illis esset perfectior,quanto Rex ciuibus suis præstantior est.Sic igitur in classe corporū calidorum ignis principatū obtinet,qui cunctis corporibus,calidus ipse,caloris sui causā affert, eaque omnia calefaciēdi virtute longè superat.Sic etiā in ordine lucidorum corporum Sol principē locum tenet,&sideribus cunctis ita lucem præbet,vt nullum eorum Solis splendorē æquare possit.Cùm igitur rerum omnium Dñs & naturę,& gratiæ auctor sit,nihil mirū,si quem ordinem in naturæ operibus posuit,eundem in operibus gratiæ retineat.Quem quidem ordinem & in se ipso(qui Sanctorum omnium sanctificator est)&in Apostolis declarauit,quos Ecclesiæ suæ principes,atque salutis & iustitię ministros,&omnium virtutum exemplar constituit.Hinc vnus eorum cæteros fideles ad sui imitationem his verbis prouocat: Imitatores mei estote,sicut &ego Christi.Ad hunc ergo modū hos duos sanctissimos viros Dominus destinauit,vt Euāgelicę vitæ doctores atque ductores existerent:vnde consequens erat,

vt qui

vt qui aliis in religionis & ſanctitatis miniſtros, atque virtutis exemplũ dati eſſent,longiſſimo interuallo ſanctitatẽ eorũ ſuperarent,qui ſub eorũ inſtitutis &regula militarent.Quod intelligens beatiſſimus pater Franciſcus,ſupra vires,& ſupra modum corpus ſuum variis morbis penè confectum,ieiuniis,vigiliis,itineribus,nouisque laboribus atterebat.Cumque huius rei gratia à fratribus obiurgaretur,quòd qui carnem iam haberet pleniſſimè ſpiritui obſequentem,tot illã modis affligeret:ille reſpondebat,ſe in aliis virtutis exemplum datum eſſe,ideoque quod frenandæ carni minus neceſſarium erat,ad aliorũ virtutẽ excitandam eſſe neceſſarium.Sic enim Domini ſui exemplo iuſtitiam omnem vir ſanctus implere curabat.Conſtat igitur ex his,verũ eſſe quod initio diximus,beatiſſimum hunc Patrem (quẽ Dñs celeberrimi ordinis Patriarcham, principem, columnã,&clariſſimum virtutum omnium exemplar eſſe volebat)omniũ virtutum ornamentis ſupra omnes eius ſectatores,velut quendam inter ſidera,Solem,donatum ab eo fuiſſe. Cuius rei fidem facit commiſſi muneris dignitas.Quis enim impoſſibile,aut incredibile eſſe credat,quod immenſa illa bonitas atque potentia facere conſtituit,quamuis id cõmunem hominum fidem ſuperare videatur?Omnia enim quęcũque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra,in mari & in omnibus abyſſis. De potentia igitur dubitare nemo poteſt,ac multò minus de volũtate:cùm ad eius ſapientiam pertineat,quæ in ſummo Eccleſiæ cardine collocare decreuerit,ſummis virtutibus exornare. Pſal. 113.

I.

De eximia igitur hodie beatiſſimi Franciſci ſanctitate virtutibuſq; dicturi,appoſitiſſimè hanc illi ſententiam accommodauimus: *Quaſi vas auri ſolidum ornatum omni lapide pretioſo*. Auri enim nomine charitatem,quæ virtutũ omnium princeps eſt;lapillorum autẽ appellatione virtutes accipimus:quę vt charitati deſeruiunt,ita charitatem ipſam exornant.Sic autem virtutum eius narrationem inſtituemus,vt quem viuendi ordinem retinere debeat quiſquis ad perfectioris vitæ ſtudium aſpirat, in ſermone noſtro explicemus.

Quicunque igitur in hoc virtutis curriculo exerceri cupit verę humilitatis ante omnia ſolida fundamenta iaciat.Vt enim ædificaturi domum rudera prius omnia fodiendo egerũt,vt ad firmum ſolum perueniant,ſupra quod domum ædificent:ita vir pius viribus ſuis induſtriaque(quę ſolidæ firmitatis nihil habẽt) diffiſus,firmæ petræ ,h oc eſt,diuinæ gratiæ pręſidio innitatur, hic enim prior verę humilitatis gradus exiſtit.Alter verò eſt,vt *Simile.*

homo & naturæ ſuæ imbecillitatem,& præteritæ vitę maculas agnoſcat,ſeque ob eas,quantum fieri poſſit,interius exteriusq; ſubmiſſo atque humili animo gerat,nullique ſe prę ferens,omnibus ſe inferiorem, diuináque gratia indignioré iudicet. Hanc igitur virtutem(quę aliarum omnium & decor, & cuſtos, & fundamentum eſt)tanquam veram paupertatis Euangelicę germanam,&à Chriſto Domino ad imitandum nobis propoſitam maximo ſtudio Pater ſanctiſſimus coluit,quæ tanto in eo extitit mirabilior,quanto eius vita extitit ſanctior. Iudicio quidem & æſtimatione ſua nihil erat niſi peccator, cùm re vera totius probitatis exemplar eſſet. Super hanc igitur ſtuduit ędificare ſe ipſum,atque vt ſapiens architectus hanc vitæ morumque ſuorum fundamentum eſſe voluit. Aiebat prętera Virtutis huius ſtabiliendæ gratia maieſtatis Dominum ad infima noſtra deſcendiſſe,vt non modò verbis, ſed totius vitę atque mortis ſuę exemplis humilitatem doceret,humilitatem prædicaret,atque ingentes humilitatis opes hominibus commendaret, Admo-
*Pro.16.* nebat mundi laudibus atque vocibus ſeruorum Dei aures eſſe
*Apoc.2.* occludendas,nec ſe quenquam hominum iudicio, ſed diuino
*Luc.16.* metiri debere. Tantus enim,aiebat,quiſque eſt quantus eſt in illius oculis,qui ſpirituum ponderator eſt,quique renes ſcrutatur & corda. Sæpè enim quod hominibus allatum eſt abominatio eſt ante Deum. Vnde cum beatus Pater ab aliis laudaretur, dicere ſolitus erat: Adhuc filios & filias habere poſſum: adhuc in freto,nõ in portu nauigo: nolite ergo me laudare vt ſecurum. Nemo enim laudãdus,cuius incertus eſt exitus. Denique adeò virtutis huius amator extitit,vt quemadmodum Reges à nobiliſſima regni ſui ciuitate nomenclaturam titulumque accipiunt,ſic ipſe, quem inſtituebat ordinem, ab hac nobiliſſima
*Similc.* virtute nomen ſortiri voluit,vt is videlicet Minorũ ordo appellaretur(quod eſt humilitatis inſigne)& qui cæteris in eo præficerentur,non prefectorum,ſed miniſtrorum nomen haberent: vt vtroſque ipſum profeſſionis & officij nomen,humilitatis admoneret. Quid autem Minoris nomen ab huius inſtituti profeſſoribus exigeret,vir ſãctus his verbis cuidã ſocio declarauit. Nequaquã minoris nomẽ iure mihi tribuere potéro,niſi ea mẽte fuero,quã tibi modò deſcribã. Si hocipſo tẽpore cũ huic ordini præfectus ſum,comitia celebrentur,& ego in eis officij mei auctoritate fũgar,fratres autẽ omnes vnò cõſenſu mihi dicãt: Nolumus te prefecturã hãc adminiſtrare,quilliteratus,elinguis, ſimplex,& rudis ſis,tãdémq;ab illis multis affectꝰ opprobriis ab officio & cõgregatione expulſus fuero: ſi hęc, inquã omnia nõ

eodem

eò́ vultu,eadémq; lętitia pertulero,Minoris nomine indignus ſum. Quid igitur hac humilitate altius? quid ſublimius?

Verùm hæc omnia humilitatis argumenta illud maximè ſuperare videtur,quòd vir ſanctiſſimus,qui tantũ perfectionis culmen attigerat,ad ſacerdotij munus promoueri auſus non fuit: tãta in eo humilitas,tanta erga diuiniſſimũ altàris ſacramentũ reuerentia extitit. Quo emplo liquet, quàm ſit illorum temeritas & audacia accuſanda,qui ad ſacros ordines illotis(quod aiũt) manibus irrumpunt: qui non vocati à Deo tanquam Aaron,ſed ſponte ſua ſummam illam ſacerdotij dignitatẽ(qua nulla eſt in terris maior)inuadunt,qui ſacerdotis officio non ad animæ ſalutem,ſed ad terrena cõmoda augẽda,ſine vllà animi præparatione,aut diuinę maieſtatis reuerẽtia abutuntur. Quia verò obedientia humilitatis legitima ſoboles eſt,qui verè humilis erat, non potuit non eſſe magnus obedientiæ cultor,idque adeò vt (quod nemini hactenus contigit) Ordinis,à ſe inſtituti pręfecturam repudiaret,& qui maior erat inter omnes,ſe minoribus ſubdere non erubeſceret. Vt igitur humilitatis conſeruandæ gratia ſacerdotij dignitatem non admiſit: ita obedientiæ amore inductus,præfecturę officium recuſauit. Quam quidẽ virtutem tãtoperè adamauit,vt ad ſocios aliquãdo dixerit: Hanc de Dñi miſericordia gratiam conſecutus ſum, vt tam libenti & placido animo recenti nouitio(ſi is mihi in præfectum daretur)obedirẽ, quã veterano cuilibet ordinis patri. Subditus quippe prępoſitum ſibi patrem non vt hominem aſpicere debet,ſed vt illum, pro cuius ſe amore illi ſubiecit: qui quanto fuerit vilior,tanto virtus obedientiæ erit apud Deum gratior. Cùm verò ab ipſo quæreretur,quis eſſet verus obediens: mortui hominis exemplo id declarauit: Tolle inquit, corpus exanime, & quo in loco volueris repone: videbis illud nec repugnare motum: nec reclamare dimiſſum,nec vlla ratione aduerſus motorem indignari. Hic igitur verus obedientiæ cultor eſt, qui cur moueatur non diiudicat,vbi locetur non curat, vt alibi reponatur non inſtat,euectus ad officium ſolitam ſeruat humilitatem,& quò magis honoratur,hoc ſe magis honoribus iudicat indignum. Hebr. 5.

Cæterùm vt ab humilitate & obedientia,virtutũ fundamẽta facientes,ad alias conſcẽdamus,tertio loco abſtinẽtia,& carnis maceratio ſequitur,quæ carnis ſuperbiã comprimit,eãdémque ſpiritui ſubiicit,quæ pro cõmiſſis ſceleribus Deo ſatisfacit, quę ad ſacras vigilias,& orationis ſtudia corpus & mentẽ aptat,cæteríſque virtutibus miro modo deſeruit. Quę quidem virtus in hoc beatiſſimo Patre tãto fuit mirabilior,quãto is grauioribus

ſtomachi,ſplenis,epatis,& oculorum morbis tota penè vita laborauit.Nam præter conſueta Eccleſiæ ieiunia,& conſecratam Chriſti Domini exemplo quadrageſimam ,alias ipſe ſibi quadrageſimas,ſimili ieiunio obſeruandas propoſuerat.Ab Epiphaniæ namque feſto,(eo videlicet tempore quo Chriſtus Dominus in deſerto latuit)ſolitudinis loca petebat,ibiq; in cellula reclusus,quadraginta dierũ ſpatio ieiuniis, vigiliis,orationibus, atque diuinis laudib⁹ vacabat.Ad honorẽ verò beatiſſimæ Virginis(quam inexplicabili complectebatur affectu)à feſto Apoſtolorũ Petri & Pauli,vſq; ad glorioſam eiuſdẽ Virginis aſſumptionem deuotiſſimè ieiunabat.Ad honorem verò beatorũ Spirituũ(qui electorum animas mirifico Dei amore inflammant) indiſſolubili erat amoris vinculo copulatus.Ideoque ab aſſumptione Virginis glorioſæ totidem quadraginta diebus,ieiuniis & orationibus incũbebat. Apoſtolos verò omnes,prẽcipuéque Petrum & Paulum , propterea quòd flagrantiſſimo Chriſtum amore proſequerentur eximia charitate diligebat in quorũ gratiam aliam ipſis quadrageſimam dedicauerat. Sic igitur verus Chriſti pauper qui nihil aliud niſi duo æra minuta,corpus ſcilicet & animam habebat , hæc ipſa propter Dñi ſui amorem ſic offerebat , vt omni ferè tempore per abſtinentiam ieiunij corpus,& per ardorem deſiderij ſpiritum immolaret, exterius, in atrio corpus ſacrificans, interiùs verò ſuauiſſimum adolens thymiama. quin & illud ei⁹ abſtinentiam mirè cõmẽdat,quòd frequenter appoſitos cibos,ne palatum allicerent,néve inimicam carnem oblectarent,permutare ſolebat, vt nihil ei in vita niſi ſolus ſponſus dulcis eſſet, qui eò caſtis mentibus dulcior eſt', quo magis ipſi dulcia cuncta ob eius amorem repudiant. quid hoc in loco dicent , qui omnes opes ſuas, & omnia vitæ ſtudia in hoc vnum conferunt,vt inimicam carnem omni voluptatum genere foueant? quod cùm faciunt,atrociſſimũ& familiarẽ cõtra ſe hoſtẽ armant:qui tãto difficilius vincitur,quãto maiores aduerſus ſpiritũ vires hac molli indulgẽtia colligit.

Cæterum abſtinentiæ germana &coniuncta virtus eſt oratio. Illa enim ad ſpiritualem melodiam corporis & animæ inſtrumentum per ieiunium aptat:oratio verò ſuauiſſimè Deo canit. Quæ quidem virtus adeò familiaris beato viro fuit,vt tota ei⁹ vita perpetua quædam eſſet ratio.Ea autem erat cõtẽplanti ſolatium,per quam in terra poſitus,cogitatione & auiditate inter Angelorum choros verſabatur.Erat & opetãdi præſidium,dum in omnibus quę agebat , ſibi diffidens, orationis ſuffragio ſe à Deo dirigi poſtulabat.Itaq; fratres ſuos omni ratione ad huius

virtutis

virtutis studium excitabat,asseueranter affirmans,neminem in Dei obsequio,& virtutum,acquisitione prosperos successus,nisi virtutis huius præsidio habiturum. Ipse verò ambulãs &sedẽs, laborans & à labore vacãs, domi ac foris adeo erat precationi intentus,vt illi videretur nõ solũ quidquid erat in eo cordis & corporis, verum etiã operis & tẽporis dedicasse. Cùm verò ali qua spirituali dulcedine à Dño reficeretur, nulla interposita mora mẽtẽ suã illi percipiẽdę atq; fruẽdę aptabat.Quod si hoc illi in itinere forte cõtigisset,socios prȩcedere volebat,ipse verò gradum in eodem loco figebat,ne in vacuum eam Dei gratiã reciperet.Illud verò singulare,maximéque imitandũ ꝙ quanta poterat diligentia,quidquid donorum à Deo recepisset,neque verbis,neque vllis externis signis aut vocibus,aut corporis motibus foris propalabat,secretum suum sibi seruans. Qui secus autem faceret ; leui aiebat mercede rem inæstimabilem amittere,donãtisque manum ad donandum contrahere.Si verò aliquando tanta vis diuinæ visitationis & consolationis esset, vt nullo modo posset interni hominis claustris ita cõtineri,vt nõ se aliquo externo indicio proderet',fingebat aliquid,ne vllam astantibus perceptorum donorum significationem daret.

II.

His quatuor virtutibus,fratres,quas hactenus commemorauimus,pius homo sibi ipsi suoque profectui præcipuè vocat sibiq; magis quã aliis consulit. Quod quidẽ initio vitę religiosæ primo loco curãdũ est,vt videlicet ordinata charitas à se primũ incipiens,in alios deinde,cùm adultior fuerit,excurrat.Sic enim videmus naturæ auctorẽ Deũ in omnibus siue plãtis,siue animãtibus hunc ordinẽ seruare,vt prius quidem ea ad iustam maturitatem perueniant,deinde aut fructus,aut fȩtus pariant, priori quidem loco sibi,deinde aliis operam dantes.Cùm ergo vir pius in his se virtutibus,quas cõmemorauimus,exercuerit, ad alios & in corpore,& in anima iuuandos,per misericordię& benignitatis opera procedat.Quod beatissimus pater Francisc' cumulatissimè præstitit.Quãuis enim&spiritus &corpore pauper esset,nunquam tamẽ illi defuit quod pauperibus daret.Vestes enim exuebat,easq; indigentibus,Christum in pauperibus contemplans,largiebatur.Vnde cùm Apostoloram limina visitaret:cernens inter pauperes,qui ibi assidebãt,vnum laceris vestibus tectũ,se ipsum nudauit,quo illum indueret:ipseq; semicinctiis obuolutus, inter eosdẽ pauperes tota diecũ incredibili quadam spiritus suauitate,&paupertatis amore sedit.Accidit etiam vt ipsi Senis redeunti,pauper occurreret. Cumque sanctus *Simile.*

pater propter morbum quo per id temporis laborabat, palliolo quodam esset obuolutus, ad socium ait: Oportet vt alienũ Domino suo reddamus: hoc enim palliolum mutuo accepimus, tantisper eo vsuri, dũ pauperior occurreret. Cũmq; socius patris necessitatẽ considerans pertinaciter obsisteret, quòd alij consuleret se neglecto qui magis indigeret. ille contrà, pro furto, ait, mihi à pauperum parente Christo imputandum esse credo, si huic egenti non subuenero. Cùm autem misericordiæ affectus in piis hominibus tantoperè vigeat, vt Ecclesiasticus dicat, Nouit iustus animas iumentorum suorum, hic ipse affectus vsq; adeò in sancti Patris visceribus dominabatur, vt ad ipsa etiam animantia protenderetur, atque ad illa præcipuè, quæ Christi Domini mansuetudinem figurabant. Cuius rei extat exemplũ, dignissimum planè quod hoc in loco referatur. Cùm vir sanctus in monasterio sancti Vecundi hospitaretur, euenit vt ea nocte ouicula quædam agnellum pareret. Aderat ibi fortè sus ferocissima, quæ innocentis fœtus vitæ non parcens, diro eum morsu necauit. Cùm hoc autem pius pater audiuisset, tenerrimo cõpassionis affectu permotus, & immaculati agni mortem ad mentem reuocans, agniculi casum his verbis lamentabatur. Heu me frater, agnicule, innocens animal, Christumque hominibus repræsentans: maledicta sit crudelis illa bestia quæ te occidit, nullique siue homini, siue ferę in alimentum cedat. Res profectò admiratione dignissima: sic enim diuina pietas hoc serui sui affectu delectata est, sic eius votis obtẽperauit, vt protinus fera illa ægrotare inciperet, vltricémq; tandem post triduum sentiret necem. Proiecta autem in monasterij vallum, ibíque diutius iacẽs, nulli neque homini, neque feræ esca fuit.

Cæterum pius hic sancti viri affectus in leprosorum curatione maximè declaratus fuit. Cuius rei idem in testamento suo meminit, gratias bonorum omnium largitori agens, quòd ea res quę antea illi horrori erat, voluptati esse cœpisset. Ad hoc autem singulare misericordiæ officium illum Dominus, cùm adhuc in seculo degeret, quodam insigni miraculo instituit. Cùm enim is iam melioris vitæ propositum concepisset, & equo vectus leprosum quendam in itinere obuium nõ sine horrore aspexisset, sibimet iratus, ab equo desiliens, atque ad leprosum accedens, manum quam ille vt eleemosynam acciperet, protendebat, deuotissimè osculatus est, statímque leprosus ab oculis eius euanuit. Quo miraculo & in proposito suo confirmatus, & diuini amoris igne incensus, piissimum quendam erga leprosos affectum ex eo tempore concepit. Qua de re extat

aliud

gliud non minoris charitatis atq; humilitatis eius opus, quod pater miseriscodiarū Dominus miro salutis beneficio honorauit. Obuiū námq; sanctus vir in itinere Spoletanū quendā ciuē habuit, cuius os atque maxillā lepra horribili plaga corroserat, ac deformauerat. Cúmque miser homo viri sancti pedes oscula ri vellet vir humilis hoc non ferens, oscularī volēti pedes, oscu lum oris dedit. Dum autem leprosorum seruus Franciscus mirabili pietate illam horribilem plagā ore sacro cōtingeret (mira planè res) æger ille pleniſſimam sanitatem recepit. Nescio quid horum magis sit mirandum, an misericordię affectus in osculo tam benigno, an virtutis claritas in miraculo tam stupendo.

Cæterum quoniam misericordiæ opera, quibus spirituales animarū morbi curantur, tanto sunt prę stantiora, quanto anima corpore præstantior est: ideò vir sanctus, quamuis contemplatiuæ vitæ studio potiſſimum addictus esset, in eóque dies & noctes cūm ineffabili quadam dulcedine versaretur, diuino tamē oraculo admonitus, & exemplo illius inductus, qui noctem orationi, diem verò commodis impendebat animarum, cœpit & ipse ciuitates & castella circumire, & regnum Dei non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus & virtutis annunciare. Quem homines, non vt huius seculi hominē, sed vt cælestem quendem virum, maiúsque aliquid quàm quod præse fert humana natura in eo contemplantes, deuotiſſimo quodam affectu audiebant. Mente enim, ac ipso etiam vultu in cælum semper intentus, omnes sursum trahere nitebatur. Cæpit igitur Christi vinea suauiſſimum odoris germen proferre, productiſque floribus suauitatis, honoris & honestatis, vberes fructus germinare. Prędicationis quippe eius feruore succensi plurimi: iuxta formam à viro Dei traditam, nouis se pœnitentiæ legibus vinciebant. Sic vir diuinus, velut ambidexter, in vtriusque vitæ, actiuæ scilicet, & contemplatiuæ curriculo, Christi Domini sui exemplum secutus, diligentiſſimè se exercuit.

Cùm autem sancti viri virtutes eum perfectionis gradū attigerint, vt vnaquęq; earū summū sibi locū inter cætera vindicare videatur: tamē inter eas deuotiſſimus atq; tenerrimus erga pendentem in cruce Dominū affectus summū in eo locū habuisse videtur. Hunc enim affectū pius Dñs antè etiam quā is seculo renuntiasset, menti eius impressit. Dum enim quadā die in solitudine positus oraret, & præ feruoris magnitudine totus esset in Deum absorptus, Christus Dñs, velut cruci affixus: ei apparuit. Cuius cōspectu liquefacta est anima eius, passionisq; ipsi⁹ memoria vsq; adeò viscerib⁹ eius medullit⁹ impressa fuit, vt ab ea hora,

hora,cum Christus cruci affixus illi veniret in mentẽ,vix posset à lacrymis & gemitibus contineri, quemadmodum ipse morti iam proximus familiariter amicis retulit,Huius igitur pijssimi affectus , clarissimarumque virtutum meritis altissimam illam & incomparabilem promeruit gratiam, vt sacris stigmatibus, quæ semper gestabat in mente , in corpore etiam insigniretur. Itaque dum instante festo Exaltationis sanctæ Crucis attentius in latere montis oraret,quendam ex Seraphicis spiritibus, sex ignitis atque splendidissimis alis fulgentem, è cœlis descendere vidit.Cumque is celerrimo volatu viro Dei appropinquasset,inter ipsas alas crucifixi hominis speciem præferebat. Ex quibus alis duæ suprà ipsius caput attollebantur:duæ ad volandum extendebantur:duæ verò totum tegebant corpus. Quo spectaculo vehementer obstupuit.& mens eius ingenti quodam gaudio simul & mærore æstuare cœpit.Gaudebat enim in dilecti Domini sui aspectu,sed crucifixi compassio eius animam doloris gaudio sauciabat. Intellexit tandem ex hac visione,Domino reuelante,se non per martyrium carnis,sed per incendium mentis in Christi crucifixi similitudinem transformandum.Discedens ergo beatus ille spiritus , mirabilem in corde eius reliquit ardorem , nec minus mirabilẽ in carne signorum impressit effigiem. Statim namque in manibus eius & pedibus apparuerunt signa clauorum: quorum capita in interiori parte manuum,& superiori pedum apparebant.Erantq; clauorum capita rotunda & nigra:eorum verò acumina oblonga,retorta,& quasi repercussa quæ ab ipsa carne surgentia,carnem reliquam excedebant. Dexterum quoque latus,quasi hasta transfixum,rubra cicatrice obductum erat:quod sæpè sanguinẽ fundens,tunicam ipsam aspergebat. Quis igitur hic non exclamet? Quis ad hanc tantam Domini gratiam & charitatem erga suos non obstupescat? Quis illis negare poterit,qui quod erat sibi singulare ac proprium,in amicum adeo liberaliter contigit.

Cuius autem dignitatis & gloriæ fuerit his Dominici trophæi insignibus ornari,superbi Aman exemplo agnoscere licet. *Hest.6.* Cum enim is ab Assuero Rege interrogatus esset, qua ratione Rex cumulatissimum honorem alicui homini tribuere posset (isque neminem alium nisi se à Rege honorari velle crederet) quidquid in honoribus maximum concipere potuit, Regi exposuit.Id verò erat,vt homo ille regijs vestibus insignitus , & phalerato eius equo vectus per plateas insideret,Principe aliquo regni eius ante ipsum clamante : Sic honorabitur quem Rex voluerit honorare.Nihil igitur hoc honore maius superba

illa

illa mens & honoris auidiſſima concipere potuit. Si igitur tantus honor eſt regiis inſignibus & habitu decorari, quanta beatiſſimi huius Patris gloria eſt, ſic à cœli Rege & vniuerſorum Domino honorari, vel (vt verius dicam) quãta diuinæ bonitatis gloria eſt, quæ tam magnificis mirandiſque piruilegiis hanc ſuam in bonos charitatem voluit declarare? Quid autem beatiſſimus Pater ſenſerit, vbi primum hac ſingulari gloria decoratus fuit, quo charitatis igne mens eius flagrauerit, quibus laudibus hanc Domini ſui bonitatem prædicauerit, qua ſuauitatis dulcedine eius animaliquefacta fuerit, quo charitatis ardore mille mortes propter huius Domini ſui gloriam ſubire concupierit, qua mentis ecſtaſi raperetur, quoties hanc tantam gloriam animo agitaret, non eſt humanæ facundiæ explicare poſſe. Nouit ille qui hanc tantam gratiam in ſeruum ſuũ contulit, nouit etiam ille qui recepit, nouit etiam Seraphicus ille ſpiritus, cuius miniſterio hæc tanta gratia illi collata fuit. Ne autem hæc dignitas, adeò inſolita & inaudita, incredibilis mundo eſſet, voluit idem Dominus vt in defuncto ſancti viri corpore eadem ſacra veſtigia remanerẽt, vt ea omnes omniũ ordinum homines qui in eius funere inuenti ſunt, aperte intuerentur, venerarentur, oſcularentur, Deumque in ſanctis ſuis non ſolùm mirabilem, ſed etiam amabilem prędicarent. Hæc enim ſacra ſtigmata omnium aliorum miraculorum, quæ vir ſanctus edidit, fidem faciunt, quandoquidem incredibile non eſt, minora illa Dominum præſtitiſſe, qui tanto maiora contulit.

Vt igitur finem principio iungamus, has vos, fratres, viri ſanctiſſimi virtutes (quas commemorauimus) ante oculos ponite, & quatenus cuiq; liceat, altiſſimam eius humilitatem, pleniſſimam obedientiã, carnis macerationẽ, orationis ſtudium, miſericordiæ erga pauperes affectũ, & iugem paſſionis Dñicæ memoriã (quæ in beato Patre potiſſimùm eluxit) imitari ſtudeatis. Quibus virtutũ gradibus, ſi non expreſſam crucifixi Dñi ſimilitudinem in pedibus manibuſque geſtauerimus, at ſaltem eius mortificationem in corpore noſtro circunferentes, ad glorioſam eius ſimilitudinem, quæ in cœleſti patria electis omnibus communicatur, ipſo donante, atque iter noſtrum benè fortunante, peruenire valeamus.

IN

# In eodem festo B. Patris Francisci concio quarta, in qua clarissima eius & insolita miracula, singularia-que priuilegia, quibus eum Dominus ornare dignatus est, explicantur.

THE. *Mirabilis Deus in Sanctis suis.* Psal. 67.

IAm primùm cõstat, dilectissimi, Deum in cunctis operib⁹ suis esse mirabilem. Verissimè enim à Prophetà dictum est, A Solis ortu vsq; ad occasum laudabile nomen Domini, & plenam esse terrã omnem gloria eius, atque hoc sensu Propheta canit: Confessio & magnificentia opus eius: quòd videlicet omnia Dei opera magnificentissima sint, & quæ nos ad eius gloriam confitendam & prædicandam inuitent. Eademque de causa cum Deo loquens, confessione atque decore illum indutum esse ait, quòd videlicet quacunque eius opera spectaueris, ad confitendam & celebrandam eius gloriam, decorem & pulchritudinem excitaberis. Quamuis autem verè Dominus in cunctis operibus mirabilis sit, in Sanctis tamen suis singulari quadam ratione mirabilior apparet: quoniam in cæteris quidem rebus eius præcipuè sapientia & potentia, in Sanctis verò suis ornãdis, & omni virtute cumulandis non ista solùm, sed etiam immensa eius bonitas & charitas elucent, quæ ipsum non modò mirabilem, sed maximè etiam amabilem reddunt. Quam rem (vt alia exempla prætereamus) in beatissimi Francisci vita, singularibusque priuilegiis cernere licet; quæ talia ac tanta sunt, vt ipsi quoque: quemadmodum Domino suo, Admirabilis nomẽ accommodari meritò possit. De his igitur mirabilibus hodie dicturi, cœlestẽ opẽ, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

Psa. 112.

Esa. 6.

Psal. 110

Psa. 103

AVE MARIA.

Quamuis beatissimus pater Franciscus omni genere virtutũ ita claruerit, vt si vnamquamque illarum sigillatim spectare velis, principatum inter omnes alias sibi vindicare videatur: certum tamen est, charitatem in Deum inter eas omnes principem locum tenuisse, à qua cæteræ vim atque dignitatem suam sortitæ sunt. Quocirca dignum profectò est, vt hoc ipso die (qui eius laudibus consecratus est) vos omnes ad huius virtutis studium eius exemplo excitemus. Cùm autem sint multa atque innumera, quæ nos ad Dei nostri dilectionem incitare possint creaturæ quippe omnes vt se à Deo hominum gratia factas esse testãtur, ita homi-

ta homines ad eius laudem & amorem inuitant(eius tamẽ immensa bonitas à nobis hoc præcipuè exigit:quæ quo maior est hoc maiorem à nobis vim dilectionis requirit. Quia verò bonitatem hanc(quamdiu in hac vita degimus)nisi per magnifica eius opera agnoscere non valemus,aliqua nunc bonitatis eius opera vobis ante oculos ponam,quæ diligenter expensa,nõ mediocriter ad eius(vt puto) vos immensam bonitatem & agnoscendam,& amandam inflammabunt.

Primum autem est opus creationis,in quo summus ille parẽs (qui in se ipso pleniſſimè diues,&fœlix,& bonorũ omnium compos est)nulla sua necessitate,sed sola bonitate hanc pulcherrimã mundi machinam,& omnia quæ in ea sunt,tanta sapientia & prouidentia condidit,vt nulla in mũdo creatura adeo exigua sit (non formica,non musca,non araneus,nõ vermiculus) cui non omnia quæ vel ad vitam,vel ad vitæ iucunditatẽ pertinent, pleniſsimè contulerit.Ea enim sapientia cunctarum animantium corpora &mẽbra fabricatus est,eas omnibus propẽsiones & facultates ingenerauit,eas artes & vires contulit,quibus & suã,& filiorum suorum vitam tueri, & ab iniuria vindicare possent. Quãta ergo illa bonitas,quæ se per omnia diffundit,quę omnia, sempiterna prouidentia curat:quę minimarum etiam rerum vitam & salutem non negligit:sine cuius voluntate ne passerculus quidem in laqueum cadit:Quam multæ sunt igitur in cęlo, terra,mari atq; aëre creaturę(sunt autem penè infinitę) tot sunt diuinę bonitatis testes,tot voces,tot prędones,ac tot postremo ad eundem amandum stimuli & causæ.Hoc igitur primum diuinæ bonitatis opus & argumentum est.

Secundum verò,quod longè mirabilius diuinam bonitatem prædicat,altissimus finis est,cuius gratia hominem in hoc mundo condidit,nempe,vt suę illum beatitudis & fœlicitatis consortem efficeret.Quæ quidem dignitas &si tanta sit,vt excepta diuini Verbi cum humana natura mirabili coniunctione ne per diuinam quidem sapientiam,aut potentiam, vlla maior aut constitui,aut cogitari possit:solus enim Deus natura beatissim' est. ei soli sua conuenit beatitudo,qua seipso,hoc est,infinito & vniuersali bono(in quo sunt omnia bona) fruitur:ea tamẽ immensa eius bonitatis munificentia fuit,vt noluerit solus his tantis opibus atque deliciis frui,sed socios sibi Angelos,& homines asciuerit,quibus quod sibi diuinitatis iure proprium erat, communicaret.Hoc autem quid aliud fuit,quàm homines Deos facere dum illis, quod Dei proprium est, communicare voluit? Non enim alia Dei, alia Angeli? alia hominis, sed vna eademque

eademque omnium beatitudo est, quæ in aperta immensæ illius pulchritudinis contemplatione & amore consistit: quamuis plena eius pulchritudinis comprehensio soli Deo reseruata
*Luc.22.* sit. Hoc est autem quod Saluator noster significauit, cum Apostolis, eorumque sectatoribus mensæ suæ conuiuium pol-
*Dissimil.* licitus est. In eadem enim cum illo mensa, eademque alimonia cum illo reficiendi sunt. Et quidem in Regum mensis, in quibus multi conuinæ epulantur, singulare aliquod ferculum cæteris delicatius, Regi exhibetur: at in hac cœlesti mensa commune superni Regis & conuiuarum omnium ferculum est. Omnes enim beatissimæ Trinitatis contemplatione pascuntur, omnes eadem pulchritudinis specie beantur. Quanta ergo illa bonitas, quę vilissimos, humique repentes vermiculos ad altissimæ diuinitatis & fœlicitatis suæ consortium attollere dignata est! Hoc vtcumque intelligi potest, verbis explicari non potest.

Tertium verò diuinæ bonitatis opus, Dominicæ incarnationis & passionis beneficium est: quòd ideò Spiritui sancto tribuitur (cui bonitatis gloria ascribitur) quod videlicet hoc opus ab illo inexhausto diuinæ bonitatis fonte manarit. Diximus enim hominem à Deo ad suæ ipsius fœlicitatis consortium conditum fuisse. Ad hanc verò tantam gloriam idoneus mortalium nemo esse poterat, nisi qui diuinæ puritatis imaginem in vita & moribus referret, vt is videlicet per similitudinem bonitatis ad fœlicitatis similitudinem peruenire. Quia verò ad hanc similitudinem consequendam nihil nos magis quàm incarnationis & passionis Dominicæ sacramentum iuuare poterat, ea propter vnigenitus Dei Filius carnem sumere, & crucis supplicium subire misericorditer voluit, vt hanc in nobis diuinæ bonitatis & similitudinis imaginem reformaret. Quantas autem bonitatis suæ opes in hoc beneficio ostenderit, ne omnes quidem hominum & Angelorum linguæ explicare possent. Quocirca quod inexplicabile atq; ineffabile est silētio magis, quàm infirmo sermone celebrandum est.

Veniamus ed quartum diuinæ bonitatis opus: quod quamuis hoc superiori sit inferius, plurimùm tamen conuenit instituto nostro. Id autem est, à Deo latæ legis sanctitas: quæ quoniam à diuino pectore processit, quid in eo lateret, ostendit.
*Simile.* Vt enim aquæ saporem fontium à quibus profluxere, referunt (vnde aliæ dulces, aliæ salsæ, aliæ calidæ, aliæ frigidæ sunt) ita lex diuina, quæ à diuino pectore tanquam à fonte manauit, fontis sui naturam & ingenium (vt ita dixerim) repræ-
*Psal. 8.* sentat. Eius verò legis pulchritudinem ac sanctitatē multis nominibus,

minibus:multiſque verbis regius Vates amplificat,cùm ait:Lex Domini immaculata conuertens animas, Teſtimonium Domini fidele ſapiẽtiam pręſtans paruulis, &c. quæ longum eſſet perſequi. Hęc ergo tanta diuinę legis æquitas,ſanctitas,pulchritudo,ſuauitas(in qua nihil non ſanctum & iuſtum,nihil nõ humanæ ſaluti accommodatum,nihil nõ purum & integrũ nihil quod nõ diuinæ bonitatis&charitatis odorem ſpiret,nõ obſcurè quale pectus illud ſit:à quo tãta puritas emanauit,oſtendit.

Sed operæ pretium erit videre,quemadmodum ſe legiſlator ipſe cum his gerat,qui hanc eius legem vel ſtudiosè ſeruãt,vel nefariè violant:hoc enim vel maximè nobis diuinæ bonitatis naturã declarabit.Quo enim maioribus beneficiis legibus ſuis obſequentes:hoc eſt bonos viros ornauerit,maioribuſque ſupplicijs improbos affecerit,hoc maiora boniratis ſuæ documẽta & exempla conſtituet. Ab eadẽ quippe bonitatis radice&amorẽ erga bonos,&odium erga malos proficiſci certiſſimũ eſt. Ad vtrumque autem explicandum fateor me planè infantem &elinguem eſſe,neque verba inuenire,quibus vtrumque explicare valeam. Quamuis enim ex literis ſanctis conſtet maiorem eſſe Dei magnificentiam in bonis viris præmiandis,quã ſeueritatem in malis puniendis(qui facit miſericordiam in millia his qui ipſum diligunt:punit autem ſontes ad tertiam & quartam vſque generationem)incredibile tamẽ dictu eſt quomodo impios,& impietates eorum execretur, & qua ſeueritate in illos animaduertat.Quod facilè intelliget,quiſquis ſacras literas ab ipſa Geneſis exordio(in quo primorum parentum tranſgreſſio & ſupplicium deſcribitur) vſque ad Ioannis Apocalipſim, in qua nouiſſimę impiorum plagæ deſcribuntur,attentius legerit. Quid hic Prophetarum ſcripta? quid legis maledicta in legis tranſgreſſores commemorem?in quibus tot terrores ac minæ, tot maledictiones & plagæ proponuntur,vt ferreis etiam mentibus horrorem incutere poſſint.A quo autem fonte tot generis humani clades,tot fames & peſtes,tot mortes & naufragia tot prouinciarum & regnorum vaſtationes, tot patricidalia bella,& diræ hominum ſtrages,niſi à diuini furoris ita & odio quo improbos proſequitur emanarunt? Hæc igitur improborum ſupplicia quo magis diuinæ iuſtitiæ ſeueritatem aduerſus improbos declarant,eo maiorem diuinæ bonitatis ſignificationem dant:quoniam(vt modo diximus)ab eadem bonitatis cauſa erga bonos amor,& odium erga malos naſcitur.Vnde colligitur,eos qui in diuinorum iudiciorum contẽplatione ſapiẽter Philoſophari ſciũt,non minus ad diuinitatis amorem

operibus iuſtitiæ erga improbos,quàm miſericordiæ beneficiis erga pios excitari,vt eſt à nobis alio in loco fuſiùs declaratum.

I.

Sed quoniam diuinę bonitatis magnificentiã magis in bonorum præmiis,quàm in improborum ſuppliciis oſtẽdi diximus hanc in primis expendere incipiamus.Eius autem odoré quendam percipiet,qui ſanctorum vitas diligenter legerit,& in earũ lectione,non tam quid ipſi propter Deum fecerint, quàm quid Deus in eorum gratiam & honorem patrauerit, ſtudioſè animaduerterit.Sed quia ire per omnes Sanctorũ vitas longiſſimũ ac propè infinitum erit vnum vobis Franciſcũ ante oculos ponam,& quibus eum Dominus priuilegiis & fauoribus ornauerit,aliqua ſaltẽ ex parte explicare contendã.Quiſquis enim eiꝰ vitam(quam ſanctiſſimus Bonauentura conſcripſit ) diligenter attenderit,inueniet planè pulcherrimũ quoddã certamẽ inter Deũ ipſumq; Franciſcũ interceſſiſſe. Vir enim ſanctus Dei voluntatem omnibus in rebus exequi nitebatur; Deus contrà ſancti viri volũtati omnibus in rebus obſequebatur: Ille abiectione ſui, Dei gloriam fideliſſimè quærebat, Deus contrà ſerui ſui honorem modis omnibus amplificabat:ille totus diuinę volũtatis obedientię traditus erat:cõtrà verò Deus creaturas omnes atque adeò ſe ipſum obedientem illi exhibebat:ille omnia propter Deum reliquerat,at Deus omnia illi turſus centuplum aucta rependebat. Hoc ita eſſe deprehendet quiſquis(vt modò dixi)eius vitam &res ab eo geſtas perlegerit. Nihil enim in ea nõ ſummum,nihil non nouum & mirabile inueniet . Mirabilis eiꝰ paupertas,mirabilis humilitas,mirabilis abſtinentia , mirabilis dolorum patientia, mirabilis obedientia, mirabilis ſimplicitas, mirabilis mundi contemptus,mirabile atq; indefeſſum orationisſtudium. Quid verò eius charitatis ardor?quid martyrij ſitis ex hac ipſa charitate progrediens?quid Ordinis ſui inſtitutio? quid in Solis ſplendoré transfiguratio?quid prophetiæ ſpiritus quo abſentium facta, & mentium ſecreta,& futura multa pręuidit?quid prodigiorum atq; ſignorum operatio?quid creaturarum obedientia?ac poſtremò(quod maximè mirabile eſt)quid glorioſa illa in eius corpore ſtigmatum Domini impreſſio? An non hęc omnia mirabilia , & ſupra communem hominum fidem poſita ſunt? Quocirca mirum non eſt , ſi Admirabilis nomen(vt initio diximus)illi quoque quemadmodum Saluatori, ſuo modo conueniat.

Sed quoniam hæc omnia mirabilia exequi nimis lõgũ eſſet, pauca quędam ex his vobis ante oculos ponã. Et quia pulcherrimum

simum inter Deum atq; seruum suum certamen honoris & obedientiæ esse diximus hoc, quale fuerit, clarissima & insolita miracula, quæ in eius gratiam Dñs edidit, explicabunt. Sunt autẽ qui conciones de Sanctis in eorum festis habituri, prętermissis eorũ miraculis, sola virtutum exempla commemorent, vt auditores ad eorũ imitationem accendant. Est hoc quidẽ vehemẽter vtile & salutare, nõ tamẽ minor vtilitas ex miraculorũ narratione percipitur. Vt enim virtutũ exempla nos ad Sanctorũ imitationẽ inducunt: ita miracula in eorũ gratiam à Dño edita ad eius nos amorem vehementer incẽdunt, si in illis diuinæ bonitatis, charitatis & suauitatis erga Sanctos suos viscera inspiciamus, quibus, quod sibi omnipotentiæ & diuinitatis iure propriũ est, non modo illis, sed (quod est mirabilius) eorũ semicinctiis & sudariolis communicare dignatus est. Quod, quid aliud fuit quàm homines quodãmodo Deos facere? Hæc igitur miracula quo magis diuinæ bonitatis magnitudinem repræsentant: hoc maiores nobis ad eius amorem igniculos præbent. Verùm ego in hoc sermone non solita & consueta miracula narrabo (hoc enim operis esset propemodum infiniti) sed ex illis quædã insolita, & verè miranda cõmemorabo, quæ magis diuinæ bonitatis & charitatis dulcedinẽ erga virum sanctum prę se ferant, magisque vos ad eiusdem bonitatis amorem incẽdant. Ab eius igitur in dæmones imperio initium capiamus.

Aretina ciuitas intestino bello quassata, vicinũ minabatur excidium, Dæmonibus ciues ad diram seditionem excitantibus. Tunc sanctus Pater fratre Siluestrum, columbinæ simplicitatis virum, quasi præconem prę misit, dicens, Vade ante portam ciuitatis, & in nomine Dei omnipotentis dæmonib⁹ in virtute obedientię præcipe, vt exeant festinanter. Accelerat verus obediens patris iussa perfecturus præoccupansque in laudibus faciem Domini ante portas ciuitatis cœpit magna voce clamare, In virtute Dei & serui eius Francisci procul hinc discedite dæmones. Mira res! Redit ad pacem continuo ciuitas, & ciuilitatis insueta ciues omnes cum magna tranquillitate reformarunt. Hac in re Dominum Saluatorem vir sanctus imitatus esse videtur, cuius virtutem & potestatem (quas is in pellendis dæmonibus vtebatur) populus demiratus ait, quidnam est hoc quænam doctrina hæc noua? quia in potestate spiritibus immundis imperat, & obediunt ei?

Addam hic aliud non minus mirabile. Quemadmodũ tota viri sancti vita continuum orationis studiũ erat, ita eius oculi continuo lacrymarũ fluxu exuberantes grauem eorundẽ morbum

bum,atq; adeò cæcitatem minabantur.Cumq; medicus instãret ab eo peteret vt parceret lacrymis,ne videndi facultatẽ amitteret,ille contrà,Non est,inquit,frater medice,ob amorem luminis,quod habemus commune cum muscis.visitatio lucis æternę, vel ad modicũ repellenda:quia non spiritus propter carnem, sed cato propter spiritum lucis beneficiũ accepit. Cumq; & medici & fratres instarent,vt salutem adhibito ignis cauterio caligantibusoculis mederetur,libenter annuit,quòd hoc carni molestum foret. Vocatus itaque venit chirurgus,& instrumentum ferreum igne candẽs admouere corpori parat:at Christi seruus corpus iã horrore concussum confortans,sicut amicum cœpit ignem allo qui:Mi frater ignis, quem insigni decore atq; splendore ornauit altissimus,esto mihi in hac hora benignus.Precor magnũ Dominum qui te creauit,vt tuum mihi calorẽ temperet,vt te vtẽtem suauiter valeam sustinere. Oratione finita,contra igne candens ferrum signum crucis edidit, ac deinceps intrepidus perstitit.Infixum est altiùs in tetra carne crepitans ferrum,& ab aure vsque ad supercilium protractum. Quantum verò interrogauerit ille dolorem,vir sanctus expressit his verbis,Laudate, (dicens ad fratres altissimum ; quia nec ignis ardorem sensi, nec carnis vllum dolorem. Quo autem affectu , qua deuotione vir sanctus Dominum suum pro hac paterna indulgentia laudauerit, quas illi gratias egerit , quis explicare valeat?Quod si tres illi pueri in fornacem ignis coniecti,nec tamen læsi,vbi hanc tantã Domini erga se fidẽ & prouidentiã experti fuere,tanto eius amore,tantoq; laudãdi eũ ardore incensi fuerũt,vt creaturas omnes,quotquot in cœlo,terra, mariq; degunt , ad eius laudes celebrandas conuocarẽt: hoc enim affectu canere cœperũt : Benedicite omnia opera Domini Domino:laudate & superexaltate eũ in secula,&c.quid,quæso,beatissimus pater Franciscus in animo suo verfaret?quo igne dilectionis æstuaret , cùm idem beneficium sibi impensum à Domino suo videret?

Fateor quidem hæc mira fuisse diuinæ virtutis opera,sed tamen multis Sanctorum non insueta.Referam alia , quæ in serui sui gratiam Dominus mirabili virtute operatus est.Quidam nactus sancti viri chordam,& eam aqua intingens,eandemq; aquã ægrotis bibẽdam porrigens,omnis generis morbos sanabat:tantam Domino virtutem illi aquæ tribuente,quæ serui sui chordã tetigisset.Amplificat Lucas in Actis Apostolorum Pauli miracula his verbis : Virtutesque non quaslibet operabatur Deus per manus Pauli: ita vt super languidos deferrentur à corpore eius sudaria & semicinctia,& recedebant ab eis languores. Magnum

hoc

hoc certè diuinæ bonitatis & charitatis erga fidelem seruum iudicium, qui sic nõ ipsum modò, sed sudaria etiam quibus is narium sordes tergebat, hoc tanto honore afficeret. Verùm hic ego aliquid video mirabilius. Non enim solam sancti viri chordam Dominus, sed aquam etiam quæ chordam tetigerat, hac tanta virtute donauit. Quanta ergo illa Dei bonitas & charitas? quantum illud Sanctos suos honorandi desiderium, quãdo illa etiam quæ eorum semicinctia tetigerunt, sic honorare dignatus est?

Adiungã his aliud mirabilius. In quadã Italiæ ciuitate pestis quædam grassabatur, quæ animantia cuncta deuastabat. Eius autem ciuitatis incolæ his malis afflicti ad beatissimi patris (cuius eximam sanctitatem agnouerant) socios profecti, obnixè ab illis contenderunt, vt eius aquam qua vir sanctus manus atq; pedes abluerat, sibi donarent. Quod cùm factũ esset, animalia quæ vi morbi humi prostrata iacebant, huiusmodi aqua cõspersa, sana protinus surgebant, & ad pastum læta properabant. Quis in hoc opere non apertè videat, quanto honore summus ille puritatis amator Sanctos suos glorificet, quando non modo semicinctiis eorum, sed aquæ etiam, quæ pedum & manuum sordes exceperat, tantam vim conferre dignatus est, vt solo eius contactu salutem & incolumitatem animantibus præberet?

Referam aliud his etiã meo iudicio mirabilius: Accidit vt sanctus Pater graui morbo laborans iumento veheretur: in eo verò oppido per quod is transierat, mulier quædam in partu ita periclitabatur, vt iam de vita eius desperaretur. Cùm autẽ iumẽtum illud eò reuocatum fuisset, ciues ex fœno quo illud pascebatur, paululum assumentes, periclitantiq; feminæ apponentes, eã protinus ab instanti mortis periculo liberarunt. Quis miraculũ huic simile vnquam audiuit, aut legit? quis non hoc delicias Domini & plus quàm maternam erga suos indulgentiam & amorem non miretur, qui tantam vim rebus omnibus quæ ad sanctum virum quacunque ratione pertinebant, contulit, vt malis immedicabilibus mederentur? Et quidem fœnum illud sancti viri corpus non attigerat, attigerat autem iumentum quo ille vehebatur: & hoc satis habuit naturæ conditor, vt supra omnes naturæ leges desperatam laboranti salutem redderet. Quis igitur hoc noui generis miraculo ad hanc tãam Domini erga suos benignitatem & suauitatem non attonitus obstupescat? nõ illum totis visceribus ardeat? nõ pro illo millies mori cõcupiscat? Quis præterea talibus exemplis fidem & veritatem promissionũ Christi non agnoscat, qui relinquentibus omnia multo maiora donat? Quanto enim plus est quod Franciscus à Domino recepit,

quàm quod propter ipsum reliquit? Reliquit hæreditatem patet nam, pro qua accepit imperium & potestatem diuinam.

II.

Sed iam ex hoc loco digressi, ad alia non minus equidē mirabilia, sed tamen multò magis suauia veniamus, quæque nō min⁹ vobis diuinæ suauitatis atque dulcedinis erga suos viscera pādāt. Neque enim diuina pietas & indulgentia dæmones atq; morbos omnes sancto viro obsequi voluit, sed mutas etiam animantes eiusdem imperio subiecit. Quandiu primus generis humani parens in fide & obedientia Dei perstitit, cunctæ animantes eius voluntati obtemperabant. Quia igitur eò vir sanctus puritatis atque sanctitatis deuenerat, vt ad illum prioris innocentię statum redditus esse quodammodo videretur, voluit etiam vt simili modo animantia cuncta ad nutum seruo suo obtemperarēt. Cuius rei nonnulla exempla, quæ grata vobis futura spero, referam, idque eisdem ferè verbis, quibus ea sanctus Bonauētura, eiusdem vitæ scriptor, memorat: in quo non sermonis nitor, sed fides historiæ, requirenda est. Ego verò dum singula hæc refero, nihil amplificabo, nihil sentētiis & epiphonematis adiectis attollam: ne si in his diutius fuero immoratus, sanctissimi Patris virtutibus referendis tempus desit.

Quodam tempore viro Dei fuit ouis oblata, quā propter innocentiæ & simplicitatis amorem (quam ouis natura præfert) gratanter suscepit. Monebat pius vir ouiculam, vt & laudibus diuinis intenderet, & ab omni fratrum offensione caueret. Ouis autem, quasi viri Dei pietatem aduerteret, eius institutionem solicitè obseruabat. Nam audiens fratres, in choro cantantes, & ipsa Ecclesiam ingrediens, vocemque balatus emittēs flectebat genua ante altare Virginis matris Agni, acsi eam salutare gestiret. Insuper cùm sacratissimum Christi corpus inter Missarum solemnia eleuaretur, flexis curuabatur poplitibus, exemplo suo homines ad huius diuini sacramenti reuerentiam inuitans.

Alio quoque tēpore ambulans cum fratre quodā per paludes Venetiarum inuenit maximam auium multitudinem residentium & cantantium in virgultis. Quibus visis dixit ad socium: Sorores nostræ aues laudant creatorem suum, nos itaque in medium ipsarum euntes, laudes & horas canonicas Dño decantemus. Cumque in medium ipsarum ingressi essent, aues loco moti non sunt. Et quia propter garritum ipsarum in dicendis horis se mutuò audire non poterant, conuersus ad eas vir sanctus dixit, Sorores aues, à cātu cessate, donec laudes Deo debitas persoluamus. At illæ continuò tacuerunt, tamdiu in silentio persistentes,

quàm

quàndiu diuinæ laudes persolutæ sunt. Quo officio peracto, à viro Dei pristinam canendi facultatem receperunt.

Apud sanctam Mariam de Portiuncula iuxta cellam viri Dei superficũ cicada resistens & decantans, cùm seruũ Dñi (qui etiã in paruis rebus creatoris Magnificentiam admirari didicerat) ad diuinas laudes cantu suo frequentius excitaret, ab eodẽ quadam die vocata, velut edocta cælitus, super eius manũ volauit. Cui cũ dixisset, Canta soror mea cicada, & Dñm creatorem tuo iubilo lauda, sine mora obediens canere cœpit, nec destitit, donec iussu Patris ad locũ proprium reuolauit. Mansit autẽ diebus octo ibidẽ singulis diebus veniens, canẽs & recedens, eiusque iussa perficiens. Tandẽ vir Dei ait ad socios, Concedamus iã sorori nostræ cicadæ recedendi facultatem: satis enim nos cantu suo lętificans ad laudes Dei octo diebus excitauit: statimque recessit.

Accipiter præterea ibidem nidificans magno illi se amicitiæ fœdere copulauit. Nam semper horam in qua vir sanctus ad diuina officia noctu surgere solitus erat, cantu suo præueniebat: Quod Dei famulo gratissimum erat: eò quòd tanta solicitudo, quam circa eum auis illa gerebat, omnem ab ipso torporem desidiæ excuteret. Cùm verò seruus Christi infirmitate plus solito grauaretur, parcebat accipiter, nec tã antelucanas indicebat vigilias. Siquidẽ velut instructus à Deo, circa diluculum voce sua virum sanctum excitabat.

Neque verò illud silentio præterennndum est, quòd cùm ille vir sanctus in castro Aluiano astante populo concionari cœpisset, hirundines, quæ ibidem nidificabant garritu suo loquenti vocem intercipiebant. Quibus vir Dei omnibus audientibus silentium indixit his verbis: Sorores meæ hirundines, iam tẽpus est vt loquar & ego, quia vos hactenus locutæ estis. Audite ergo verbum Dei, & silete. Mirares! Illæ protinus tanquam rationis compotes subitò tacuerunt, nec fuerunt loco motæ, donec sermo finitus est. Omnes igitur qui hoc viderunt, stupore repleti glorificauerunt Deum. Huius autẽ miraculi fama vbique diffusa, multos ad sancti viri reuerentiam, & fidei deuotionem accẽdit. In ciuitate namq; Parisiensi scolasticus quidam bonæ indolis studio diligenter intẽtus, dum importuna garrulitate cuiusdã infestaretur hirundinis, dicere cœpit ad socios, Hæc hirundo vna ex illis est quæ virum Dei Franciscum prædicantem garritu suo impediebat: & conuersus ad hirundinem, fiducia plenus ait: In nomine serui Dei Francisci præcipio tibi, vt ad me veniens continuo conticescas. At illa, Frãcisci audito nomine, quasi viri disciplinis edocta, & statim conticuit, & ipsius manibus tanquã

tutæ cuſtodiæ ſe commiſit. Stupefactus adoleſcens ille, ſtatim eam libertati reſtituit, eiusque garritum ampliùs non audiuit.

Hæc ſanè auium obedientia fuit. Quid verò illud, quod non modò animantia, ſed quæ erāt etiam inanimata voluntati ſerui Dei obtemperabant? Cùm enim is Caietæ prædicaret in littore maris, turbis præ deuotione ruentibus vt eum cõtingerent, horrens Chriſti ſeruus tãtum populorum applauſum, in vnam hærentem littori nauiculam proſiliuit ſolus. Illa verò ſine aliquo motore aut remige, cernentibus & mirantibus cunctis ſe longiùs à terra protraxit: ibidemque ſtetit inter fluctus immobilis: finitáque concione, ac dimiſſa turba, ad eũdem protinus locum ſine vllo ductore rediit. Quis igitur tam obſtinatæ mentis eſſet, vt prædicationem Franciſci contemneret, cuius virtute fiebat, vt non ſolùm carentia ratione diſciplinam ſuſciperent, verùm etiam inanimata corpora tanquam animata prædicanti ſeruirent? Hactenus Bonauentura.

Quid igitur inter hæc omnia, fratres, non nouũ? nõ inſolitũ? non mirabile? quodque diuinæ pietatis & ſuauitatis erga ſuos viſcera nõ declarat? Omnia certè noua, omnia mirabilia, omnia diuinæ bonitatis & charitatis magnitudinem referentia. Miror volucres cæli ſancto viro obſequẽtes: miror cicadam ad diuinas laudes conueniente: miror religioſam illam ouiculã, quę cãtantibus fratribus non modò balatu ſuo concinebat, ſed genua etiã ante ſacratiſſimè Virginis altare & ſacrã Euchariſtiã flectebat. Sed multò magis adhuc accipitris illius prudentiam, miror, qui quo tempore vir ſanctus ægrotabat, non vt antea media nocte, ſed in aurora illum ad diuinas laudes excitabat. Qualis ergo illa Dei pietas, quæ ſic ſerui ſui labori parcebat, quæ ſomni tempus intercipi hoc tam nouo miraculo non ſinebat? Quid amplius, quæſo, pia & officioſa mater filio graui morbo laboranti factura fuiſſet?

Vidiſtis igitur, fratres, omnium penè creaturarum, & rerum etiam anima carentium obedientiam, quę obedienti Dei ſeruo ad nutum obtemperabant. Iam ergo ſola Angelorum obſequia illi deeſſe videbantur, quæ tamen minimè defuerunt: vſq; adeò obedientię amator Dominus hanc in ſeruo ſuo virtutem honorare voluit, vt ſequenti exemplo intelligi poterit. Cùm quodam tempore vir ſanctus multis iiſdémque grauiſſimis morbis laboraret, optabat aliqua ſuaui modulatione iacentis ſpiritus alacritatẽ excitare. Cúmq; id humano miniſterio fieri nõ poſſet (mirabilis planè & inaudita res) adfuit Angelorũ obſequium, quod pio ſancti viri voto ſatisfaceret. Nocte enim, vigilante ipſo, atq;

diuina

diuina in ſacro pectore verſante, inſonuit cithara quædã mirabilis harmoniæ. Nihil oculis cernebatur, ſed auditus indicio citharœdi trãſitus huc & illuc iens & rediẽs agnoſcebatur. Cuius dulciſono carmine tanta in viri ſancti pectore ſuauitas excitata eſt, vt in aliud ſe putaret ſeculum trãſiiſſe. Quis hic non exclamet? quis hãc tãtam diuinæ ſuauitatis & bonitatis dulcedinem nõ attonitus obſtupeſcat? quis in hoc opere pleniſſima ſuauitatis Dei viſcera erga ſuos non miretur? quis miraculi huius inſolita nouitate, diuinæ bonitatis & charitatis magnitudinem non agnoſcat, quæ bonos ac fideles ſeruos ſuos ſic reficit, ſic lætificat, ſic piis eorũ votis obſequitur? Hac enim ratione Dominus non modò ſaluti, aut inopiæ, aut periculis ſeruorum ſuorũ, ſed etiam deliciis conſulit. Iam verò quis ſancti viri ſenſum, quis charitatis ardorem, quis cordis iubilum explicare valeat, cùm hoc argumento ineffabilem Dei bonitatem, charitatem & ſuauitatem erga ſe intelligeret, qui ſic eius votis acdeſideriis angelico miniſterio ſatisfecerit? Quid ab eo non expectaret, qui hac etiam in re (quę non tam neceſſitati, quàm voluptati ſeruiebat) ſic prouidentem cerneret?

Quo etiam argumento ſancti viri ſupereminentem excellentiam animaduertere licet. Alij enim Sancti inter magna Dei munera computabãt, quòd quidquid ab eo petiiſſent, facilè impetraſſent. At in hoc ſancto viro ſæpè Dominus nequaquam vt is aliquid ab eo poſtularet, expectabat, ſed votis etiam atque deſideriis eius citra orationis officium annuebat. Itaq; deſiderium illius pro oratione erat, vt fidelis inueniretur, qui dixit: Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus, & iterũ, Et erit, antequàm clament ad me, ait Dominus, exaudiam eos. *Pſal. 10.* *Eſaiæ 65.*

III.

Hęc ſunt, fratres, quæ ſupra alia omnia magnam mihi tũ admirationis materiam, tum diuinę bonitatis ſignificationẽ præbẽt. Nam quòd ignis vim ſuę virtutis oblitus fuerit, ne vir ſanctus acerbè cruciaretur, ſaluti & incolumitati ſerui ſui Dominꝰ clementi pietate prouidebat. At in his quę modò retuli miraculis, non ſaluti, ſed iucũditati, non incolumitati, ſed ſuauitati, nõ neceſſitati, ſed deliciis prouiſum eſt, vt vir ſanctus tot inſpectis miraculis, mirabilem erga ſe Domini indulgentiam atq; ſuauitatem contemplans, totus in eius amorem exardeſeret. Hoc autem quale ſit, propoſita hac ſimilitudine explicare contendam. Quemadmodum ſponſus peregrè profectus: ad ſponſam, quam habet chariſſimã, varia dona & xenia atq; monilia mittit, quò & ſuum erga illam amorem, & illius erga ſe dilectionẽ incẽdat: ita *Simile.*

ſummus ille innocentiæ & puritatis amator(qui hanc ſancti viri animã,quam is virtutum omnium ornamentis decorauerat, ſibi in dilectiſſimam ſponſam elegerat)non quidẽ aureis monilibus, ſed clariſſimis miraculis, quæ in illius gratiam & ſpirituale iucunditatem edebat, & ſuas in illam charitatis delicias oſtendebat, & illius erga ſe dilectionem vehementiſſimè inflammabat. Quam rem vel hoc vno exemplo demonſtrabo, Cùm viro ſancto auis quædã fluuiatilis oblata eſſet, iſq; alacriter ſuſceptã paſſis manib⁹ ad volandũ inuitaret, eáque ab eius ſinu diſcedere nollet, hac paterna Dei erga ſe indulgentia in tantæ bonitatis amorem raptus, poſt longæ horæ ſpatium, velut aliunde rediens, dulciter iterum auiculæ mãdauit, vt Deum laudatura recederet. Quod illa protinus fecit. Quo igitur admirationis & amoris igne ſancti viri anima in hoc opere affecta fuit, eodem vtique in ſimilibus miraculis incenſam fuiſſe certiſſimum eſt. Qualis igitur ea charitas erat, quæ tot miraculis in gratiam ſancti viri editis, tam magna paſſim incrementa capiebat? Nos ſola externa miracula cernimus, & narramus: cæterùm à quanta Dei erga ſeruum ſuum charitate proficiſcerentur, quantúmque rurſus charitatis incendium in anima viri ſancti excitarent, neque videmus, neque vllis verbis explicare poſſumus.

Receſſui, fratres, mirabiles huius ſancti viri virtutes, in quibus omnibus verè mirabilis extitit. Sed ego iam mirari deſino, quidquid eſſe mirabile dixi, cũ primã tot mirabiliũ cauſam cõſidero. Quis enĩ, quæſo, noſtrũ, ſi tot circa ſe diuina miracula, tot diuinę dilectionis argumẽta, tot amoris incitamẽta, tot diuina beneficia, tot immẽſæ illius bonitatis exẽpla, ac poſtremò hãc tãtam aniũ, pecorũ, dæmonũ, ac deniq; omniũ fere creaturarũ obediẽtiã cerneret, non totus præ amoris diuini magnitudine liquefieret? non attonitus tãtæ bonitatis magnitudine obſtupeſceret? nõ totus præ lętitię magnitudine exiliret? non millies in ecſtaſim raperetur? Quam rem ipſius beatiſſimi Patris ſententia confirmare licet, qui quãuis etiam latronem, eadem quę ipſa faciebat, facturum prædicabat, ſi eadem gratia, eiſdémque diuinis beneficiis atque fauoribus à Domino affectus fuiſſet. Itaque non ego iam Franciſcum, ſed Franciſci Dominum in Sanctis ſuis mirabilem prædico. Miror immenſam huius Domini bonitatem, miror charitatem, miror benignitatem, miror ineffabilem erga ſuos dulcedinem & ſuauitatem, miror plus quàm maternam erga ſuos indulgentiam, & agnoſco verum eſſe quod idem per
Pro. 8. Salomonem ait, delicias ſuas eſſe cum filiis hominum. Rectè ergo cæleſtis ille citarœdus mirabilem Deum eſſe ait in Sanctis

ſuis

suis. Non tam igitur eos esse mirabiles,quàm ipsum in eis esse mirabilem prędicat:qui tanta dignatione & pietate & suam erga illos dilectionem ostendit, & eorum erga se excitat & incendit.

Nondum tamen hic omnium diuinorum beneficiorum arq; mirabiliũ finis.Supersest aliud maximè mirabile nẽpe Ordinis institutio,qui à sancto viro initiũ duxit.Nostis enim quantũ dignitatis & gloriæ beatissimi huius Patris Ordo in Ecclesia obtineat:in quo tot insignes viri floruerunt,tot Episcopi,tot Cardinales , & Pontifices maximi ,tot clarissimi Doctores & concionatores,& (quod est multò maius) tot inuicti Martyres , tot sanctissimi Confessores,tot putissimæ Virgines. Nec vobis etiã mira eiusdem Ordinis per vniuersum terrarum orbem dilatatio incognita est,quæ monachorum,monasteriorum,& prouinciarum numero & multitudine longissimo interuallo omnes alios Ordines superat.Si igitur hunc Ordinẽ D.Augustt,aut Hieron.aut magnus ille Basilius(qui non modò sanctitatis opinione , sed clarissima etiam omnium disciplinarum doctrina celeberrimi habebantur ) instituere voluissent , non perinde mirum esset:sed quòd Petri Bernardonis filius,sine eruditione,sine literis(qui totam adolescentiam in mercaturæ negotiis modò has, modò illas nundinas , frequentans exercuerat , quique ad extremum ad tantam se inopiam redegerat , vt vilissima tunica indutus , ostiatim vulgarium mendicorum more frustapanis peteret, quibus vitam sustẽtaret)hanc tantã rem animo agitari, vt noui ac celeberrimi Ordinis institutor & auctor,nouusq; Patriarcha existeret,& nõ Augustini aut Basilij,aut Benedicti regulam,sub qua militaret,elegerit, sed ipse per se nouã viuẽdi regulam cõdiderit,& à Põtifice maximo ei⁹ approbationẽ paupercuculus & seminudus impetrarit,resq; adeò feliciter cesserit,vt brevissimo tẽporis spatio eius Ordo sanctitatis opinione & fratrũ numero sic dilatatus fuerit, vt viuẽte etiã ipso quinq; millia fratrum in primis eiusdẽ Ordinis comitiis conuenerint,quis non miretur?quis non obstupescat? quis non digitũ Dei hic intercessisse cognoscat?quis nõ mirabilẽ Deũ in Sanctis suis clamet? Neque .n. Franciscũ eo tẽpore sic ęstimare debetis,vt modò facitis ,quãdo eius gloria per vniuersum terrarũ orbẽ celebratur, quãdo tot immortali Deo eius nomine tẽpla consecrata sunt tótq;altaria eius imagine sacrisq;stigmatibus fulgent:sed qualẽ iudicaretis , cum illam abiectissimi atq; vilissimi hominis speciẽ præseferebant:quiq;ætatẽ omnem in taberna patris posit⁹, mercaturę operã dederat.Si quis igitur eo tempore hũc ei⁹ animum

mum atq; propositum noui in Ecclesia Ordinis instituendi intellexisset,an non is pleno cachino hoc eius propositum excepisset?non irrisisset?& stultitiæ atque amentiæ illũ condemnasset?Quis igitur hic Deum in Sanctis suis mirabilem non agnoscat,quos ex infima mundi fece ad tantam dignitatis gloriam in Ecclesia sua extulit,suscitans à terra inopem,& de stercore erigens pauperem,vt sedeat cum principibus,& solium gloriæ teneat? *Psal. 112.* Quis igitur,fratres,(vt finem principio iungamus)adeo obtusi cordis erit,qui tot exemplis & argumentis ineffabilem Dei nostri bonitatem clara luce non videat,quæ tot modis viros bonos honorat,tot afficit beneficiis,tot miraculis illustrat,tot deliciis recreat tantam erga illos indulgentiam,& amoris plus quã materni(vt ita dixerim)teneritudinẽ ostendit?Quis igitur est, qui dum hæc ipsa considerat,in tantæ bonitatis & charitatis amorem non rapiatur?quomodo non totus amoris erga illum igne incenditur?quomodo se ab huius flagrantissimi Solis calore abscondit?quid amat,qui hanc tantam bonitatem non amat?Cuius rei amore capitur,qui huius tantæ pulchritudinis amore non capitur?Quis non se iam fœlicem arbitretur,cui in promptu sit ad talis Domini amicitiam posse venire:quis seruire illi recenset,qui tam magnificis pęrmiis non solum in futura, sed in præsenti etiam vita obsequia sibi exhibita persoluit?quis non in ratione dati & accepti cum eo velit agere,à quo tam magna lucra reportare valeat?quis non in ea terra sementem facere velit,quæ tam amplos ex se fundit prouentus? Si igitur(vt initio diximus)nihil nos magis ad amorem Dei nostri quàm immensæ bonitatis eius pulchritudo in oculis & aspectu proposita excitare debet:hanc autem tot clarissimis argumentis & indiciis declaratam cernimus:quid supereſt,nisi vt tantorum mirabilium & gratiarum auctorem totis visceribus diligamus,totis præcordiis illi omnibus in rebus obsequi studeamus, illum semper ante oculos habeamus, illum dies noctesq; cogitemus, illius nos totos obsequio mancipemus, in illum semper intenti & suspensi simus,pro illo millies,si ita opus fuerit,mori cupiamus:vt cuius modò bonitatem per magnifica eius opera contemplamur in via,eandemtandem reuelata facie perpetuò videre mereamur in patria.

IN

# In festo BB. Apostolorum Simonis & Iudæ concio prima, in qua lectio Euangelica explanatur.

THE. *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Ioan. 15.

NEc omnes humanæ vitæ errores, fratres charissimi, non postremus ille mihi esse videtur, quòd plerique hominum diuina ex humanis æstimare solent, Deumq; ex se ipsis, moribusque suis metiri. Hūc autē errorem Dominus prophetica voce ab illorum mentibus eximendum curauit, cum dixit, Nec enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, nec viæ meæ, viæ vestræ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Subiiciamus huius rei aliquot exempla. Multi homines, vbi iniuria affecti fuerint, difficiles sese admodum ad ignoscendum præbent: vnde videmus passim vetustissima atque penè æterna odia apud multos durare. Non desunt autem, qui Deum ex moribus & ingenio suo metientes, hoc eodem modo penè inexorabilem ipsum credant. Certè Nouatiani (qui secundam pœnitentiam negabant) talem eum esse credebant. Credebat & crudelis ille fratricida Cain, qui dicere ausus est, Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. At hoc vsq; adeo à diuinis moribus abhorret, vt is per Prophetam dicat. In quacunque hora impius conuersus fuerit ab impietate sua, amplius non recordabor scelerum eius. Desiste ergo tu verè & ex animo per lamenta pœnitentiæ à sceleribus tuis, desistetque verè Dominus ab ira & vindicta furoris sui. Homines etiam molestè ferunt si quis aliquid ab eis importunis precibus efflagiter, quæ nobis causa esse solet, vt importunas mendicorum voces molestè feramus. Non deerunt autem fortassè qui hoc ingenio Deum esse arbitrentur: cæterum tantum abest vt hac importunitate diuina pietas offendatur, vt hoc officium non ad tempus, non statis horis atq; diebus, sed sine vlla intermissione à nobis fieri moneat, cum ait, Oportet semper orare & non deficere, & iterum, Vigilate itaque omni tempore orantes. Homines præterea bene instituti, noua beneficia petere recusant à quibus multa iam antea perceperunt. At viri sancti hanc præcipuè causam noua à Deo munera petendi putant, quod multa iam antè perceperint. Quem enim benignum & misericordem frequenter experti sūt, sui quoq; similem perpetuò futurū sperāt. Quod quia Asa rex

*Isaiæ 55.*

*Gene. 4.*

*Luce 18.*

*Luc. 11.*

*2. Par. 16.*

Iuda

Iuda facere noluit grauiter à Domino, misso ad hoc Propheta, obiurgatus est. Cum enim insignem illi Dominus victoriam aduersus innumerabiles Aethiopum legiones contulisset, vbi post aliquot dies à Rege Israel bello lacessitus fuit, non ad opem Domini, sed ad Regis Syriæ auxilia confugit. Quod eius consilium Dominus non modo Prophetæ verbis, sed grauissimo etiam pe-
Gene. 32. dum morbo castigauit. At longè aliter sanctus Patriarcha Iacob qui cum ab Esau, fratre liberari à Domino peteret, vetera beneficia commemorans ait, Domine, minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua quam explei seruo tuo. In baculo meo transiui Iordanem istum & nunc cum duabus turmis tuo beneficio regredior Erue me de manu fratris mei, quia valdè eum timeo

Sed vt ad lectionem sancti Euangelij propius accedamus homines, qui familiæ & seruorum obsequio indigẽt, seruitium ab illis quidem exigunt, sed seruitij mercedem eisdem pollicentur. Itaque beneficium dando accipiunt, dum ab illis famulatum percipientes debitũ pro eo stipendium reddunt. Non deerunt autem multi, qui (vt antè dixi) ex humanis diuina iudicantes, pietatis & religionis cultum humanæ seruituti similem faciant: vt videlicet Deus obsequio & seruitio nostro ad nominis sui gloriam indigens, æternæ vitæ mercedem pro impenso sibi famulatu largiatur. Quod qui putant, maximo sanè & perniciosissimo errore tenentur. Neque enim is ad gloriæ suæ cumulum obsequio nostro indiget, qui ante omnia secula pleniſſimè in se ipso glorioſus & beatus fuit. Cur igitur tanta à nobis seueritate mãdatorum suorum obedientiam exigit? Non ob id certè, quod is humano more famulatu & obsequio nostro egeat, sed quod hęc ipsa obedientia ad salutem & incolumitatem nostram maximè pertineat. Quod quidem ex mandatorum eius ratione cernere
Simile. facile est: quorum maxima pars ad humanæ vitæ tutelam spe-
Plato. ctat. Sicut enim is nulla indigentia aut necessitate, sed sola bonitate inductus (vt Plato quoque sensit) mundum condidit, & hominem in mundo, cui seruiret mundus: ita sola bonitate leges hominibus dedit, quæ ad eorum ipsorum salutem, pacem & incolumitatem pertinent, quibus latæ sunt: hoc enim aperte illa
Deut. 5. eius verba indicant, quibus ad Moysen de filiis Israel ait: Quis det eos talem habere mentem, vt timeant me? Quamobrẽ quæso Domine, Vt benè sit inquit, eis & filiis eorum post eos. Itaq; sibi nihil de eorum obsequio sumit, totum laboris fructum in eos refundit. Addam hic aliud mirabilius, quodque magis diuinæ bonitatis largitatem conspicuam nobis efficit. Quid illud est? Hoc certè, quòd ad hũc ipsum obedientiæ laborem ipse nos

grati

gratiæ ſuæ beneficio adiuuat,& ita adiuuat,vt maior pars operis noſtri ei⁹ donũ ſit,adeò vt ipſa bona opera noſtra,ipſius magis quàm noſtra dici debeant.Itaq; electorũ omniũ illa vox eſt, Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine.Quãta ergo illa bonitas,quæ pro eo labore atque ſtudio,quod non ſibi, ſed tibi expedit,ad quod etiam ipſe te ſpiritus ſui virtute aduuat, æternæ vitæ præmium pollicetur?Quam rem ſi homines penitus cognitam & exploratam haberent,partim ad amorem tantæ bonitatis excitarentur(quæ plus quàm paterna charitate pro exhibito legis beneficio,quaſi pro impenſo ſibi obſequio præmiũ promittit)partim etiam ad ipſarum legum cuſtodiam vehementius incitarentur: quando in earum obſeruatione non quidem rem alienam,ſed ſuam agerent,ſibiq; tunc maximè diuina mandata exequendo proſpicerent.Cum enim homines adeo cõmoditatũ ſuarũ auidi ſint,vt per omnes ſæpè flammas ad lucra ſua captanda irrumpant,quid non facerent,ſi diuinarum legum obedientiam tam magna eis lucra,non ad animam ſolum, ſed ad corpus etiam:nec ad vitam modo futuram, ſed ad præſentem quoque afferre intelligerent? Hoc eſtigitur quod Saluator in hodierna ſancti Euangelij lectione docere nos voluit, cùm ait.

*Hæc mando vobis,vt diligatis inuicem.*Quid hac lege cõmodius ad humanam vitam in pace degendam proponi potuit? Hoc enim vno dilectionis præcepto Dominus & omnem iniuriã prohibuit,& omnia benignitatis officia complexus eſt. Amor nãq; donorum omnium & primum & maximum, & omnium aliorum cauſa eſt.Vnde cum naturæ conditor Deus liberos à parentibus educari,& beneficiis omnibus affici vellet,miram erga illos charitatem mentibus eorum ingenerauit:hac enim vigente, cætera omnia beneficia facilè conſecutura intelligebat.Cum ergo toties Dominus hoc nobis charitatis præceptum cõmendet, omnia ſimul benignitatis & miſericordiæ officia in omnes homines commendauit.Hac autem lege quid humanæ vitæ commodius? quid ſalutarius?Sicut ergo leges ciuiles(quas Philoſophi Deorum inuentum eſſe dixerunt)nihil aliud quàm hominũ ſalutem pacẽ & incolumitatem intuentur(vt videlicet homines ſine iniuria in honeſto otio & tranquillitate viuant)ita etiã, ac multo magis,diuinæ leges hoc ipſum omni ratione curant.Nõ enim manum ſolum,vt humanæ leges,ſed animum quoque ab iniuria & voluntate nocendi prohibẽt.Sed illæ tamen leges hoc beneficio contentæ nihil amplius addunt. At ſummus ille legislator,Dñs,æternæ quoq; vitæ mercedem legum ſuarũ cultoribꝰ

*Simile.*

*Simile.*

prom

promittit beneficiũ pro beneficio,& gratiã pro ſingulari gratia repẽdẽs. Qua bonitate & charitate quid,quæſo,cogitari mirabilius poteſt? Neq; præmiis tãtùm magnificẽtiſſimis,ſed acerbiſſimis etiã pœnis infligendis ad huiuſmodi legum cuſtodiã humanas mentes inducit. Itaq; ſi damnatorum pœnas, & damnationis cauſas excutere velis(hoc eſt,cur tam acerbis in gehẽna ſuppliciis improbi plectantur)deprehendes planè alium ibi torqueri,quia alienæ vxoris pudicitiam violauit,alium,quia honeſtæ virgini per vim ſtuprum intulit: alium,quia res alienas diripuit,alium,quia contra ius fasque iniquam tibi litem intendit: alium,quia iudex cùm eſſet,iniuſtam contra te ſententiam tulit,alium, quia falſum contra te teſtimonium commentus eſt: alium,quia contumeliis,iniuriis, fraudibus & inſidiis ſalutem & honorem tuum petiuit: alium,quia pauperes & tenues homines per vim & potentiam oppreſſit. Horum enim ſcelerum auctoribus locum illum ſuppliciorum referriſſimum eſſe conſtat. Vtroque igitur modo Dominus & pœnarum acerbitate,& præmiorum magnitudine ad legum ſuarum obſeruationem homines adducit. Legum autem eius compendium his verbis, quæ audiſtis,continetur. *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Itaque cùm ipſi nos ipſos illo iubente diligimus, illum vtique diligimus: & cùm dilectionis officia in alios conferimus,tunc illum officiis proſequimur,& legem eius implemus. An non ipſe hoc idem per Prophetam teſtatus eſt? quid enim aliud illa eius verba ſignificant: in loquela enim labij, & in lingua loquetur populo huic,cui dixit,Hæc requies mea, reficite laſſum, & hoc meum refrigerium? Prænunciat autem hoc in loco Dominus Apoſtolorum prædicationem,ad quam variæ illis linguæ donatæ ſunt,qui tamen concordi ſententia eandem hominibus doctrinam prædicabant. Eius verò doctrinæ ſumma erat,Hæc requies mea, reficite laſſum,& hoc meum refrigerium: qua quidem lege atque doctrina propenſa Domini volũtas ad omnes homines omni ratione iuuãdos apertè inſinuatur. Quo in loco vehementer illa Domini verba notanda ſunt: Hoc eſt meum refrigerium. Perinde enim atque ipſe noſtris anguſtiis & miſeriis premeretur, ita ſuum eſſe refrigerium ait: afflictos & inopes conſolari: ideoque beneficium in ſe collatum reputat,quidquid in miſeros homines fuerit impenſum. Hoc præterea inter ſumma ſacrificia, ſibíque gratiſſima computat. Enumeratis enim pecudum omnium ſacrificiis, eiſdémque repudiatis,hoc tandem ſibi velut omnium ſuauiſſimum offerri poſtulat Inuoca me in die tribulationis,eruam te,& honorificabis me. Quid

*Iſai.28.*

*Pſal. 49.*

autem

autem optabilius accidere homini poterat, quàm ab imminentibus periculis(quæ nos vndique circumstant)liberari? Hoc igitur quod nobis maximè salutare est, illi quoque sacrificium gratissimum est. Quam rem Dominus, Pharisæorum calumniam retundens, euidenti scripturæ testimonio confirmauit. *Matt.9.* Cùm enim illi Dominum accusarent,quòd peccatores reciperet, & cum illis manducaret,ac biberet, ille eos ad scripturæ au- *Oseæ 6.* ctoritatem remisit, dicens, Ite, discite quid est, Misericordiam volo,& non sacrificium.Quid ais Domine?an non præstantius *Obiect.* est sacrificium quod Deo offertur,quàm misericordia quæ hominibus exhibetur, præsertim cùm sacrificium religionis opus *Dilut.* sit, quæ inter morales virtutes præstantissima habetur? Est ita planè,nec Dominus hoc in loco sacrificiorũ maiestati derogat, sed nudum tamen sacrificium repellit, cùm misericordia & benignitate destitutum est.Hoc enim non verum sacrificium,sed sacrificij simulachrum magis existimandum est Verùm namque sacrificium à Spiritu Domini profectum, eiusdem Spiritus gratiam in animo auget, à qua profectum est. Eiusdem autem Spiritus communio, eosdem affectus, idémque vitæ genus in animo habẽtis ingenerat. Talis autem affectus nec peccatores resipiscere volentes contemnit (quod Pharisæi faciebant) & omnes homines officiis, charitate, misericordia, & omni ratione iuuare studet, quod diuinæ benignitatis proprium est. Hunc enim animum,hos mores ex diuina communione & familiaritate in se trãsfundit, quisquis familiariter cum Deo versatur. Quam rem Moysis exemplo comprobare licet. Quoties enim Israëliticus populus ab Aegypto egressus imperium Domini per summum scelus contempsit?quoties eius iram prouocauit? quoties ab eo propter assidua & quotidiana scelera diris plagis attritus fuit? Quadraginta,inquit,annis proximus fui ge- *Psal.94.* nerationi huic,& dixi,semper hi errãt corde. Quotũ sceleribus & flagitiis ipse quoque Moyses, qui eorũ ductor erat, sic offensus fuit (præsertim cùm ab eo carnes in illa solitudine petierũt) vt animi sui mœrorem & consternationẽ his verbis apud Do- *Num.11.* minum testatus sit: Cur afflixisti seruum tuum? cur non inuenio gratiam corã te? Et cur imposuisti pondus hoc vniuersi populi super me? Numquid ego concepi aut genui multitudinem hanc tantam,vt dicas mihi, Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum? Animaduertite quæso,fratres,quo affectu Dominus,quibus charitatis visceribus incredulum & rebellem populum tractari volebat, à quo toties violatus & offensus fuerat. Hic enim animus, hoc pectus, hoc ingeniũ illius beatis-

simæ mentis est. Quem etiam animum idem Moyses (qui tam familiari Dei consuetudine vtebatur) se induisse multis in locis ostendit. Cùm enim Dominus propter nefarium illud conflat vituli scelus prævaricatorem popu um funditus perderevellet, Moysi verò principatum longè maiorem & præstantiorem polliceretur, sanctus vir post quadragintadierum ieiuniũ, totidiem rursus dierum spatio prostratus corã Domino iacuit, supplici-
*Exod. 32.* ter illum deprecãs, vt vel populi sui peccato veniã daret, vel se de libro suo deleret, se enim nullo modo pati posse ruẽte popu lo superstitem relinqui, nec illi iucundum aliquid in communi populi vastitate accidere posse. Talia enim vir sanct⁹ charitatis
*Chrysost.* viscera ex consortio sermonis Domini induerat. Hinc D. Chrysost. sanctos illos Anachoritas, qui turbis vrbium, & humana consuetudine relicta in solitudine vitam perducebãt, non ideò agrestes & inhumanos extitisse ait, quod ab hominum cœtu se creti viuerent, immò verò quò magis diuina cõsuetudine fruebantur, hoc magis diuinam benignitatem & charitatem in ho mines, quos ipse condidit, & summa charitate prosequitur, imi
*Gregor. Theolog.* tabantur. De iisdem etiam Gregor. Theolog. ait, quòd in media hominum luce versantes, solitariæ vitæ rationem seruarent, & in solitudine agentes, charitatis, humanitatisque officia studiosissimè tuerentur.

Cæterum vt ad diuinæ legis rationem redeamus, quemadmodum ea diuinæ charitatis & benignitatis imaginẽ nobis repræsentat, ita humanæ malitiæ prauitatem & cæcitatem oculis nostris ingerit, qui nec talem regislatorẽ amore complectimur qui nobis gratiam pro gratia largitur, dum pro latæ legis beneficio, cęlestis hæreditatis beneficium promittit, insuper & legẽ eius, qua parte nostris commodis per dilectionis mandatũ consulit, ceu grauem & difficilem ita accusamus, vt multi cùm ad illam adiguntur (præsertim qui cũ proximis inimicitias foueãt) ad illam tanquam ad triremium seruitutem damnari se credãt. Imò erunt fortasse nonnulli, qui se magis ad Insulas ardore Solis exustas in exilium relegari patiãtur, quàm ad huius legis custodiam obligari, H*æc mando vobis, vt diligatis inuicem*. Verum ex hoc loco digressi ad sequentia veniamus.

I.

Pergit deinde Dominus discipulos confirmare, ne sæuientis contra eos mundi odia pertimescant. Sequitur enim, *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret, quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Prius quàm horum verborum explanationem attingam, quid his beatissimis,

mis Apostolis in quadam Persidis ciuitate sub Rege Xerxe acciderit(quod huic proposito maximè quadrat) commemorabo. Erat in ea ciuitate templum Soli & Lunæ dicatum: in quod à pontificibus & furente populo sancti Apostoli adducti sunt, vt commenticios illos Deos adorarent. Erat in ea templi parte, quæ ad Orientem pertinebat,currus fusilis ex auro,in quo Sol cum radiis fusilibus ex auro erat collocatus. Ex altera parte stabat Luna fusilis item ex argento, cum curru boum fusili ex argento.Eos vt colerent Apostoli,Pontificeis cum populo cogebant.Ipsi verò in dicto silentio,Solem & Lunam seruos Dei esse scire se professi sunt:qui tamen in cœlo essent collocati.

Itaque eos non sine iniuria in templo includi,quos in cœlo collucere ab orbe condito constaret. Atque vt intelligerent non Solem & Lunam in simulachris inesse,sed dæmonia, ipsi imperaturos se dæmonibus professi sunt, vt à simulachris exirent,atque ea comminuerent.Hæc inter eos officia diuisa sunt vt vno eodemq; puncto temporis Simon dæmoni qui in Solis Iudas ei qui in Lunę simulachro incluſus erat imperaret.Quod cùm ab eis factũ esset statim duo Æthiopes nigri,nudi, horribilesque specie visi sunt egredi,qui simulachris in frusta concisis cum magno clamore abierunt.Hactenus de historia, nunc ex ea propositi mei rationẽ aperire volo.Christi igitur Apostoli Deorum illorum deformitarem,horribili eorum specie ante spectantium oculos posita,ostendere voluerunt,ego verò alterius Dei,commentici,nempe,mũdi fœditatem ex his Domini verbis volo vobis exponere.Ait enim:*Si de mundo fuissetis, mundus quod suum esset diligeret, &c.* hoc est,si mundano more vitam institueretis,id est,si fastum &superbiam,si opes,si voluptates, si ingentia palatia,copiosam familiam, longum seruorum agmen, & varias vitæ delitias (quæ omnia mundani homines per tela,per ignes inquirunt) vos etiam simili ardore quæreretis,mundus vtique nullo modo in vobis improbaret,quod ipse moribus suis probat:alioqui se ipsum accusaret, damnationisque sententiam contra se ferret.*Quia verò de mundo non estis*,hoc est,quia celsiores mundo effecti,quæ mundus probat: improbatis,quę ille amplectitur, repudiatis, quæ in summo pretio habet contemniti:quæ tantum ille non adorat,pedibus cõculcatis,propterea odit vos mundus.Sed hæc obscurius diximus, apertiùs eadem dicamus.Si vitam pessimis ac turpissimus rationibus institueretis,vos quidem mũdus diligeret,quia verò cãdido pectore estis, & innocentiam,pietatem& iustitiam colitis, propterea odit vos mundus. Hos esse mundi mores,hoc i ge-

nium teſtatur ſapientia Patris quæſo vos, fratres, qui alij mores, quod aliud eſt dæmonis ingenium? An non ille virtutis hoſtis,& vitiorum amator,& auctor,& incentor eſt, Quo ergo ille ingenio & mente eſt, eadem & mẽbra eius, in quibus ipſe operatur, eſſe neceſſe eſt. Animaduertite ergo, quem Deum mũdani homines colant, quem vitę ducem ſequantur, cuius leges & placita vniuerſis Dei legibus & conſiliis atneponant. An non igitur hæc ad mũdi deformitatem agnoſcendam ſatis eſt, quòd eadem mente, eodem ingenio atque dęmon ipſe ſit, eademque tetra & nefaria facinora moliatur.

Quòd ſi alios eius mores agnoſcere vultis obſeruate quid deinde Dominus addat, *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur, ſi ſermonem meum ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt*, hoc eſt, obſeruabũt, varias tendentes inſidias, vt verba veſtra calumnientur, & vos ſicut & me capere in ſermone poſſint. Porrò autem de mundi huius principe hoc Dominus teſtimonium tulit, quòd is homicida eſſet ab initio. Idem etiam elogium conuenit mundo, qui & Dominum occidit, & Martyres, & Prophetas, & Apoſtolos, quibus Dominus cùm eos ad prædicandum deſtinaſſet, ait, Ite, ecce ego mitto vos tanquam agnos inter lupos. Ad Ezechielẽ vero ait, Fili hominis incredduli & ſubuerſores ſunt tecũ, & cum ſcorpionibus habitas. En, fratres, aliud mundi, hoc eſt, mundanorum hominum præclarum facinus: quod auctorem vitæ & miniſtros eius variis ſupliciis interemerunt. Aequum ne igitur vobis eſſe videtur, talis Dei legibus obſequi, & ſecundum eius præſcriptiones & iudicia vitam inſtituere? At reſpondebitis forſitan: Iſte quidem mundus Sanctorum ſanguine cruentus iam dudum è medio ſublatus eſt: alius nunc pro illo nouus ſurrexit, longè ab iſtis ſceleribus abhorrens. Confiteor planè, non eſt modò mundus iſte ſanguinarius: quia non ad piorum ſanguinem fundendum mucronem exacuit: ſed quid ſi in omnibus aliis præcipienti mundo magis quàm Deo paretis? An non ille magis Deus exiſtimari debet, cuius legibus obtemperatis, quàm cuius leges contemnitis? Sed ne amplificandi gratia hęc à me dicta eſſe exiſtimetis, huius rei periculũ faciamus. Quàm multos, quæſo, in Chriſtiano populo reperire licebit, qui vbi obſtinato animo ſceleſtum aliquod facinus ſuſcipere decreuerũt, ſi illis omnia Dei prędepta & conſilia, ſi terrores & minas ab eo propoſitas, ſi ſummum crucis & redemptionis beneficium, ſi mortem, ſi iudicium, ſi gehennam, ſi cæleſtem gloriam, cæteraque fidei Chriſtianæ myſteria proponas, vt ab eo facinore deterreas, nihilo magis agas, quàm ſi ſurdo caneres fabulam.

*Ioan. 8.*

*Luc. 10.*
*Ezech. 1.*

*Obiectio.*

*Dilutio.*

Obcurauit

Obturauit enim ad hæc omnia velut aſpis aures ſuas: quæ non audit vocem incantantis ſapienter. Qui tamen ſi diuinis rationibus, omiſſis humanis apud illos agere velis, & id facinus quod animo conceperunt, exiſtimationi eorum vel apud populares honores, vel apud principem officere probaueris, vinctas poſt tergum manus dabunt, & in tuam protinus ſententiam pedibus diſcedent. Quod omnia igitur fidei ſacramẽta, & Chriſti crucis memoria efficere nullo modo potuerũt, quiuis popularis auræ metus pleniſſimè præſtitit: Apud hos igitur homines, cuius auctoritas & imperium magis valet, Dei, an mũdi? An nõ hic apertiſſimè poſthabito Deo mundus antefertur, mundus maiori in pretio habetur, mũdo magis quàm Deo obtẽperatur, mundi leges mũdiq́ue metus diuinis legibus ac timori diuino anteponitur? Quid mea refert, quòd tu verbis & appellatione Deũ honores, ſi quod Deo debetur, mũdo tribuis: hoc eſt, ſi obdiẽtiã & honorem Deo debitum, ſpreto Deo, ad mũdũ defers? Rectè D. Aug. O, inquit, homo, viluit tibi Deus, Viluit planè cui viliſſima mũdi cõmoda & rumuſculi ante feruntur. Hæccine ſunt obſequia, hi honores, hic cultus eſt, qui tibi, Domine, creationis, redẽptionis, cæterorũmq; beneficiorũ iure debetur. Hiccine eſt incarnationis, paſſionis & omniũ laborum tuorum fructus? quos vt nos à mundi ſeruitute eriperes, pertulisti, Vbi eſt illa promiſſio? Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foràs, & ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum? Et quidem quòd homines ante latam legem mundi legibus parerent, & ſeſe omni genere flagitiorũ inquinarent, minus planè mirum eſſet, peccatum enim eo tempore non ita imputabatur, cùm lex non eſſet: & qui lata iam per Moyſem lege deliquerunt minus etiam accuſandi ſunt, quòd literam tantum perceperint occidentẽ, non ſpiritum viuificantem: at nos, qui non ſub lege, ſed ſub gratia conſtituti ſumus, quibus tot virtutũ exempla exhibita, tot beneficia impenſa, tot ſacramenta in humanæ infirmitatis remediũ inſtituta, tot diuini amoris & timoris incitamenta, tot denique diuinæ bonitatis myſteria anté oculos poſita ſunt, totq́; Eccleſiæ voces aures quotidie noſtras feriunt: quo modo tot ad pietatem & iuſtitiam ſtimulis agitati, totq́; adiumẽtis inſtructi adeò nihil proficimus vt dicere nos quoque cum Propheta poſſimus, Facti ſumus velut à principio, cùm nõ dominareris noſtri, nec inuocaretur nomen tuũ ſuper nos. Quid, quæſo, inſinuare nobis, Paule, voluiſti, cùm diceres Peccatum vobis nõ dominabitur: non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia. Ecce nunc ſub gratia conſtituti, nõ minus

*Pſal. 57.*

*Auguſt.*

*Ioan. 12.*

*1. Cor. 3.*

*Iſai. 63.*

*Rom. 6.*

minus modò delinquimus, quàm homines sub lege, immo & ante legem delinquebant.

II.

Hoc est igitur fratres, quod vehementer causã nostram premit, ac planè inexcusabilem facit. Subdit namque Dominus: *Si non venissem & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Hæc non Iudæis modò, sed nobis etiam dicta putemus. Nec enim minora nobis ad pietatem adiumenta, quàm illis ad fidem argumenta data sunt. Quocirca si illorum perfidia excusationem non recipit, vehementer timendum est, ne fortè obstinata multorum prauitas non admittat. Quod quo apertius intelligatis, expendamus quid sibi Dominus velit, cùm ait: *Si non venissem &c. peccatum non haberent.* Cur enim peccatum non haberent? Hoc in loco D. Thomas, peccati nomine, non omnia peccata, sed infidelitatis peccatum intelligit, quod tamen instar peccatorum omnium est: quandoquidem sublata fide, cætera omnia peccata manent, quæ nisi per mediatoris Christi fidẽ remitti nequeunt. Ab hoc autem peccato Iudæos immunes futuros fuisse ait, si eos ipse Dominus ad fidem & signis & verbis erudiendos minimè suscepisset. Sic etiam barbaræ nationes (quibus nondum Euangelium annuntiatum est) ab hoc infidelitatis peccato immunes sunt. Nihilominus tamen hi omnes æterno supplicio mulctabuntur: non quidem ob infidelitatis peccatum (à quo illos inuincibilis, vt vocant, ignorantia excusat) sed propter alia multa flagitia, quæ ipsi nõ contra fidei lumẽ (quo caruerunt) sed contra naturale lumen, quod mẽtibus nostris cũ ipsa simul natura impressum à cõditore fuit, admiserunt. Sicut enim is cùm Angelos creauit, species etiã & rerum scientiã simul in eorum mentibus creauit: ita cùm rationalem animã condidit, lumen quoq; illi, quo à bonis mala discerneret, indidit, & naturalẽ quãdã auersionẽ à malo, & ad bonũ propensionẽ ingenerauit. Quia igitur aduersus hoc inditum rationis lumen deliquerunt, nõ dubiũ quin æterno supplicio apud inferos cruciandi sint. Sicut enim extra arcam Noë domumque Raab in Iericho nulli salus contingere potuit, ita nec extra Christi fidem & Ecclesiam. Nunc quæso fratres, diligenter expendite, cuiusmodi nos periculũ maneat. Si enim barbaræ istæ nationes ob violatã naturæ legem, quæ animis nostris impressa est, sine fine cruciandæ sunt, quo nos timore concuti par est, qui tam multa alia ad pietatem & iustitiam adiumenta percepimus? Nos enim ipsum naturæ lumen, nos Catholica fides, nos Euãgelica doctrina, nos innumera-

*D. Tho.*

*Simile.*

*Genes. 7.*
*Iosue 6.*

innumera Prophetarum, Apostolorum, & Ecclesiæ doctorum volumina, nos quotidianę Ecclesiæ voces ad pietatem erudiũt & hortantur. Adde his tot clarissima nõ modò Sanctorum omnium, sed ipsius etiam conditoris nostri exempla, tot in humanæ infirmitatis remedium instituta sacramenta, tot internos Spiritus sancti motus, qui semper stat ad ostium & pulsat. Quid referam ipsius Domini Saluatoris aduentum, & acerbissimam mortem nostri gratia susceptam: qua & summum à nobis erga se amorem, & summum peccati odium (propter quod delẽdum tam multa passus est) meritissimo iure exigit? Multi solam de peccatis rationem in diuino iudicio exigendam timẽt: ego verò non minus creditorum talentorum, hoc est, diuinorum beneficiorum, ac præcipuè summi & maximi redemptionis & salutis nostræ beneficij rationem exigendam pertimesco. Quam quidem rem non obscurè Saluator declarauit, cùm ait: Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem, quod perinde est, ac si diceret: Dannationis & iudicij hęc præcipua causa futura est, q̃ lux cœlestis, quòd malorũ omnium medicina, quòd promissa salus & vita, quòd sapiẽtia & iustitia, quòd sanctificatio & redẽptio venerit in mundũ, quã tamẽ gratis oblatam à se improbi repuletunt. Quocirca nullo modo naturæ infirmitatem prætexere iã possunt, cùm ipsi oblatam medelam repudiauerint, nec se cœlesti medico sanandos præbere voluerint. Magnum ergo nobis, fratres, ob admissa flagitia periculum impendet, nec minus tamen ob accepta beneficia, & salutis adiumenta neglecta. Hinc idem Dominus (vt Matthæus Euangelista refert) cœpit exprobrare ciuitatibus in quibus factæ fuerãt plurimę ipsius virtutes, quæ tamẽ ne his quidem diuinæ virtutis argumentis ad pœnitentiam, exitatę fuerint. Potuerat quidem Dominus multa illarum ciuitatum scelera percensere, sed his tamen silẽtio pressis, hoc vnum commemorat quod eorum causam maximè premebat. Hoc est etiam in causa, fratres, cur sanctissimi quoque viri hoc iudicium reformident: quia quamuis nullius sibi lethalis criminis conscij sint, huius tamẽ beneficij rationem sibi à Deo exigendã pertimescunt. Quæ ratio diuum Thomam impulit, vt dicat, leuiori apud inferos pœna propter scelera sua infideles quàm fideles esse puniendos: quòd videlicet vtrique pro qualitate percepti luminis & beneficiorum diuinorum, atque adiumentorum (quæ vtrisque ad rectè viuendum donata fuerint) plectendi sint. Quocirca oro obtestorq́; vos, fratres, vt hæc ipsa quæ diximus, diu multumq́; cùm animo vestro cogitantes, au-

Apoc. 3.

Ioan. 3.

Matt. 11.

D. Tho.

resque vestras mundi vocibus obturantes, eaq; diuinis oraculis referantes, secundum eorum præscripta vitam & mores vestros instituatis. Nemo nostrum sibi vilescat, nemo parui salutẽ suam æstimare velit. Prætium enim animarum nostrarũ sanguis Christi est. Quin & Martyrum etiam & Apostolorum sanguine hæc tãta salus ad nos vsque perlata est. Vt enim nobis fidem, fideique doctrinam & sacramenta traderent, immensos labores pertulerunt, omnes orbis regiones peragrarunt, accerbissima cunctorũ penè mortalium odia præceptoris sui exemplo sustinuerunt, ac postremò, quod terribilium omnium extremum esse dicitur, acerbissimis suppliciis vitam profuderunt. Suo enim & cæterorũ
*1. Cor. 4* Apostolorum nomine Paulus admiranda illa certamina, & labores propagandæ fidei gratia susceptos, describit his verbis: Puto enim quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquam morti destinatos, quia spectaculũ facti sumus mundo, Angelis & hominibus, hoc est, tam multis ac magnis persecutionũ procellis nos mundus exagitauit, vt quemadmodum in spectaculis pu-
*Simile* blicis homines feris dilacerandi obiiciuntur, ita nos laboribus nostris, non hominibus solùm, sed Angelis etiam admirandum spectaculum facti sumus. Enumeratq; deinde suos atque coapo-
*Ibidem.* stolorum multiplices labores, his verbis, Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris. Maledicimur, & benedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur, & obsecramus, tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc. Hactenus verba Pauli, quæ is non de se modo (vt antè diximus) sed de cęteris quoque Apostolis prędicat, de quorũ numero glorioſi Apostoli Simon & Iudas (quorum hodie festũ diem celebramus) extitere, de quibus illud certum est, quod simili cum cæteris Apostolis studio fidem Christi propagarunt, similemq; martyrij coronam adepti sunt. Quo autem in loco, aut quomodo res gesta sit, quoniam Ecclesiastici Scriptores variant, nihil in præsentia dicimus. Nos autẽ, fratres, eorum fidem, charitatem, patientiam, constantiã, diuinæ gloriæ, studium, & vitæ puritatem imitari studeamus, vt eorum vestigiis insistentes, ad eorum tandem societatem peruenire mereamur, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

## In eodẽ festo BB. Simonis & Iudę concio secunda, in qua, post breuẽ Euagelicæ lectionis explanationem, de laborum patientia, & perfecta in Deum charitate agitur.

THE. *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.* Ioan. 15.

IN Odierna sancti Euangelij lectio, fratres chariſſimi, pars quædã est excellentiſſimi illius sermonis quem Dominus in nouiſſima cœna ad discipulos habuiſſe memoratur, in quo illos partim ad mutuam dilectionem adhortatur, partim de suo abcessu merentes cõsolatur, partim verò labores & certamina, quæ illos in Euangelij prædicatione manerent, (ne ipsos imperatos, & falsa securitate torpentes inuenirent) prænuntiat. In præsenti verò sancti Euangelij lectione hæc eadem ferè attingit, & nouis ea rationibus confirmat, quæ nos modò breuiter perstringemus. Quam rem vt piè & vtiliter præstare possimus, cælestem opem, sacratiſſimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

*Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Exposuerat paulò antè Dominus ingentia præmia, quæ mandatorum & legum suarum cultoribus constituta erant. Dixerat enim primò, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Hoc autem præmio quid optari maius potuit atque præstantius? Ad eum, inquit, veniemus, nec veniemus modò, sed etiam mansionem apud eum faciemus, in eo videlicet tanquam in auguſtiſſimo templo nostro cõmorantes, quòd non ex dolatis lapidibus, sed exprecioſis virtutum margaritis constructum est. Quid autẽ ibidem habitans Dominus faciat, non est difficile diuinare. Cùm enim effectrices causæ similes sibi effectus, quatenus licet, efficere conentur, quid in mente hominis Deus habitans, niſi sibi similem hominem facere contendet? Itaque cùm ipse sit lux (vt Ioannes Euangeliſta testatur) illuminabit oculos nostros, & splendidiſſimam pulchritudinis suæ notitiam mentibus nostris infundet. Cùm idem etiam ignis consumens sit, excoquet vtique omnem impuritatem nostram, & quidquid dissimile sibi in nobis deprehenderit, exurẽt, nosque sui amore inflammabit. Cùm

*Ioan. 14.*

*Ioan. 1.*

*Heb. 12.*

*Eccl.15.* verò panis Angelorum sit cibabit vtique nos panę vitæ, & intellectus. Cùm idem etiam fons sit sitim animæ nostræ sedabit, & arentem cordis nostris terram, vt fructus vitæ proferat, irrigabit, & cupiditatum nostratum ardorem salutari gratiæ suæ vnda refrigerabit. Denique cùm idem immensa bonitas, summa puritas, & insuperabilis fortitudo sit, harum nos virtutum participes efficiet, si nos illi religiosè & humiliter tractandos atque regendos committamus, vt iam cum Propheta dicere possimus,
*Psal. 17.* Quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter nostrum? Deus, qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam, qui docet manus meas ad prœlium, & posuit vt arcum æreum brachia mea. Hæc igitur omnia mandatorum suorum cultoribus Dominus pollicetur, cùm ait, Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Quid verò præmium illud, quàm magnificum & admirandum? Si manseritis, inquit, in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis,
*Ioan.15.* petetis, & fiet vobis. Estne aliud in vita maius quod hominibus proponi possit? Quid opes, quid regna, quid imperia, huic fœlicitati cõparata, nisi puluis & vmbra sunt? Quàm multa reges, quàm multa Imperatores sitienter appetunt, quæ vel propter inopiam vel propter imbecillitatem & impotentiam cõsequi non possunt? Quid autem illi deesse potest, cui à sempiterna & ineluctabili veritate dictum est, Quodcumq; volueritis, petetis, & fiet vobis? Reliquũ est igitur, vt quãtum velis, exoptes, quantum optaueris, poscas, quantum poposceris, te impetraturum confidas, & cùm magnum aliquẽ iustitiæ gradum adeptus fueris, ad altiorem repente contendas, neque vllis bonis contentus, ad maiora & altiora nitare, & semper immensa & infinita concupi-
*Psal. 80.* scas. Explebit enim cupiditatem tuam clementissimus ille Do-
*Psal. 102.* minus, & quò ardentius sitieris, eò bibes affluentiùs. Dilata (inquit ille) os tuum, & implebo illud. Vnde Dauid mentem suam excitat ad tantę magnificentię atque liberalitatis laudes egregiè concinendas, illumque optimum parentem perpetuò celebrandum, qui desiderium nostrum, quamtumuis magnum & infinitum, replet. Quamuis igitur aliquid amplum & magnificũ consequare, cùm semper aliquid in rebus diuinis amplius occurrat (neque enim fieri potest vt in rebus infinitis finem aliquando reperias) semper aliquid erit noui quod optes, quod obsecres, quod adipiscare. Quod si aliquando volueris vt Sol in cœlo sistat, aut
*Iosue 10.* quà venerat, reflectatur, id etiam petes & impetrabis. Et si volue-
*Esai. 38.* ris vt arbor euulsis radicibus se in mare præcipitet, aut monti
*Luc. 17.* perceperis vt aliò secedat, mons etiã ille obtemperabit. Quam

rem

rem ſanctiſſimum atque doctiſſimum Gregorium, Ponti Epiſcopum, Eucherius in epiſtola ad Valerianum feciſſe memorat, vt locum exædificandæ Eccleſiæ ad fidelium commoditatē præberet, qui ſæuiente perſecutionis procella in montibus latitabant. De beato quoque Hielarione D. Hieron. ſcribit, quòd cùm immanis quidam draco regionem vaſtaret, vir ſanctus pyram ingentem accendi iuſſerit, draconiq́ue ad ſe vocato præceperit, vt pyram ingrederetur, cui teterrima bellua obtemperans, flammis abſumpta eſt. Quid hac poteſtate mirabilius? Cùm verò (vt idem D. Hieron. refert) per idem tempus mare ſuos fines egreſſum, altiſſimos etiam montes operiret, & periculum eſſet ne finitima loca omnia aquis obrueret, idē ſanctus crucis ſigno in ſabulo facto, furenti pelago præcepit, ne quos ipſe illi fines eo ſigno præfixerat, tranſgrederetur, quod præceptum mare fremens & intumeſcens, & ſeſe in maximam altitudinem attollens (quaſi violentiam à ſancto viro pateretur) tamen prætergredi non eſt auſum. Hoc autem, fratres, quid aliud eſt, quàm hominem quadam diuinitatis participatione omnipotentem quodam modo fieri? Quæ res non in conditoris iniuriam, ſed in ſummam gloriam cedit, quemadmodum D. Bernard. ait, Nihil eſt quod omnipotentiam Verbi clariorem reddat, quàm quòd omnipotentes efficit ſperantes in ſe.

*Marc. XI.* *Eucher.* *Hieron.* *Idem.* *Bernard.*

I.

Cùm hæc igitur tam præclara munera legis ſuæ cultoribus Dominus promiſiſſet, poterant diſcipuli quærere, Quæ ſunt iſta mandata tua Domine, quibus tam ingentia præmia polliceris? Huic igitur tacitæ quæſtioni in præſenti lectione Saluator reſpondet, dicens, *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Hoc enim vno dilectionis præcepto omnia mandata mea continentur. Si enim Deum & homines ſincera dilectione proſecuti fueritis, legem meam impleuiſtis. Quid verò ſi homines ipſi ſic à vobis dilecti, parùm huic amori reſpondeant, immo verò (quæ eſt multorum prauitas) ſi pro amore odiū, pro beneficiis maleficia rependerint? Nec hoc vobis mirum videri debet, quando me quoque mundus priorem vobis odio habuit. *Si enim de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret, quia verò de mundo non eſtis, &c.* Rectè hoc in loco D. Cyrillus, Vt corporum, inquit, ita morum cognatio quædam eſt, quorum ſimilitudo longè ſanguinis vincit cognationem. Omne namque animal diligit ſibi ſimile. Sanctus cum ſancto, & peruerſus cum peruerſo iucūdè conuerſantur. Hinc illa Salomonis ſententia, Abominantur iuſti virum impium, & abominantur impij eos qui in recta ſunt via.

*Cyrill.* *Simile.* *Prou. 29.*

His

His autem verbis Dominus discipulos suos ad futura certamina atque pericula (quæ illis in Euangelij prędicatione subeunda erant) opportunè admodum instruit ac præmunit, ne illos videlicet repentina & improuisa mala (vt paulò antè diximus) nihil tale suspicantes, aut expectantes adorirentur. Sero enim animus (vt ait Seneca) ad periculorum patientiam post pericula instruitur. Est autem commodissima ad hoc præmunitio, & mala omnia, prius quam ea nos aggrediantur, animo præsumere, & salutis nostrę auctorem ac vitæ Ducem Christum Dominum ante oculos ponere. Hoc enim sensu D. Grego. illum Dauidis versiculum interpretamur: In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas: sic enim ait: Quicunque proficere in virtute cupit, Redemptoris vias oculis subiiciat, atque vt mēs ad aduersa præparetur, mærorem, gaudium putet, & præsentis vitę gaudia, damna mœroris esse credat. Hoc ipsum autem Apostolus se feciſſe ostendit, cùm ait. Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta, &c. & mox, Vt cognoscam, inquit, Christum, & societatem passionum eius, configuratus morti eius, si quomodo perueniam ad resurrectionem, quæ est ex mortuis. Omnia igitur Apostolus sibi ante oculos proponebat, & futuras passiones, & Christi ducis sui exemplum, & magnificum resurrectionis præmium: atque his armis prędmunitus, lucra mundi, damna computabat, & mortem, lucrum.

*Seneca.*

*Gregor. Psal. 118.*

*Philip. 3.*

*Ibidem.*

Sed quid est quod Dominus ait, *Scitote, quia me priorem vobis odio habuit?* Hæc (vt ita dicam) prioritas, non temporis anteceſsionem, sed personæ dignitatem insinuat. Sic enim hanc vocem D. Augustinus interpretatur, enarrans locum illum Ioannis: Qui post me venturus est, ante me factus est: quia prior me erat. Prior, inquit, me, id est me dignior atque præstantior. Eadem igitur significatione, prioris nomen hoc in loco sumendum est, vt sit sensus: Si mundus vos odit, scitote quia me vobis multò præstantiorem, vtpote vnigenitum Dei filium, odio habuit. Voluit enim Dominus huic argumento ex personæ circumstantia pondus addere: quemadmodum cùm post ablutionem pedum discipulorum dixit: Vos vocatis me magister, & Domine, & benedicitis, sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros, Dominus & magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Sic igitur hoc in loco argumentatur: Ne vobis indignum videatur ea perpeti quæ rerum omnium Dominus vestri causa perpessus est, immo vestro summæ laudis & gloriæ loco ducite, illū quauis in re, atque adeo in ipsa etiam laborum perpessione imitari. Verissimè enim ab Ecclesiastico dictum est: Magna gloria est

*August. Ioan. 1.*

*Ioan. 13.*

*Eccle. 23.*

*Plutar.*

sequi

equi Dominum. Hac ratione legimus Phocionem integritatis opinione apud Athenienſes celebrem, ſed maleuolorum iniuſtiria ad mortem damnatum, quendam hominem in eodem carceri morti adiudicatum, & acerbè fortunam ſuam lamentantem, conſolatum fuiſſe, quòd cum Phocione moreretur: ſic enim ait; Non tibi ſatis eſt Thudippe (hoc enim illi nomen erat) cum Phocione mori? Si ergo vir ille Græciæ iuſtiſſimus gloriosum ducebat aliquē ſecum mori, quanto erit, quæſo, gloriosius cum innocentiſſimo Dei filio perſecutiones & labores perpeti, dolorumque eius ſocium atque participem fieri: Summa enim imaginis alicuius perfectio eſt, ſi quam maximè exemplari ſuo ſimilis exiſtat. Cùm ergo Chriſtus Dominus nobis in exemplū totius virtutis & ſanctitatis propoſitus ſit, nihil prius, aut honorificentius ducere debemus, quam illi omnibus in rebus ſimiles fieri. Vnde quidam ex Patribus ait, nullum pingendi artificem tanto ſtudio contendere, vt effigiem in qua laborat, exemplari ſuo ſimilem faciat, atque diuinus ille Spiritus vt nos Chriſto Domino in cruce pendenti (in qua præclariſſimum virtutū omnium ſpecimē edidit) ſimiles in hac vita efficiat Hæc enim ſumma rationalis creaturæ perfectio eſt, auctori ſuo, quoad licet, ſimilem fieri. Ad cuius nos imitationem Paulus inuitat, cùm ait, Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit aduerſus ſemetipſum à peccatoribus contradictionem, vt non fatigemini animis veſtris deficientes. Et Apoſtolus Petrus, Chriſtus, inquit, paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplū, vt ſequamini veſtigia eius. Quemadmodum enim cæmentarij inſignem aliquam ſiue domum, ſiue baſilicā exſtructuri, prius vel in charta aliqua, vel in materia lignea totam futuri ædificij fabricam ſummo artifico depingunt, quam ſemper, dum opus moliuntur, propoſitam ante oculos habent, vt iuxta illius deſcriptionem omnia faciant, ita planè cæleſtis Pater ſpirituale in mundo templū, nempe Eccleſiam ſuam ex viuis lapidibus ædificare cupiens, abſolutiſſimum totius virtutis & probitatis in vnigenito ſuo nobis exhibuit exemplar, & ad eius imitationem vnumquemque fideliū hortatus eſt, cum Moyſi dixit, Omnia fac ſecundum exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt. Et Paulus, Aſpicientes, inquit, in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione cōtempta. Porro autem ſi tota ducis noſtri vita ab initio ad finem vſque velut crux quædam externi hominis, extitit, quid quæſo aliud perfecti viri vita ſi ad hoc exemplar effingenda eſt, niſi crux eſſe decebit? Cui enim Dominus tot ſuppliciorū & opprobriorum genera per

*in apoph.*

*Simile.*

*Simile.*

*Heb. 12.*

*1. Pet. 2.*
*Simile.*

*Exod. 25.*
*Heb. 12.*

peti

peti voluit,cum vna prætioſi ſanguinis eius gutta, propter infinitam illius diuini ſuppoſiti dignitatem,ſatis ſuperque ad totius mundi redemptionem eſſet:niſi quia non ſolum nos paſſionis ſuæ meritis à peccato redimere,ſed etiam virtutum ſuarum exemplis ad laborum,patientiam,& virtutum ſtudium voluerit incitare?Hinc Leo Papa,Ab omnipotenti,inquit,medico duplex nobis remedium præparatum eſt cuius aliud eſt in ſacramento, aliud in exemplo:vt per vnum conferantur diuina,per aliud erigantur humana:quia ſicut Deus iuſtificationis eſt auctor,ita homo deuotionis eſt debitor. Idemq; rurſus, Filius Dei vniuerſis in ſe credentibus & ſacramentum condidit, & exemplum; vt vnum apprehenderent renaſcendo,alterum ſequerentur imitando.Hæc ille.Si igitur hæc Saluatori noſtro cauſa fuit tam multa patiendi,vt nos eius exemplo leuiora ſaltem pateremur, quicunque indulgentiorem vitam,& laborum atque moleſtiarum omnium expertem ſibi ſectandam propoſuerunt,quantũ in ipſis eſt,hoc Domini propoſitũ atq; conſiliũ euertere atque fruſtrate conantur,vt ille(quod ad iſtos attinet) dicere merito poſſit,O fruſtrà ſuſcepti mei labores,quando ne iis quidẽ tam multorũ hominũ mentes ab amore deliciarum ad ſenerioris vitæ propoſitum promoueri noluerũt.Quonam modo iſti de Chriſto capite gloriantur,cuius membra eſſe nolunt?Vt enim D.Aug. ait, Recuſat eſſe in corpore,qui odium nõ vult ſuſtinere cũ capite.

*Leo Papa*

*Idem.*

*Auguſt.*

Quòd ſi nos Regis noſtri exemplum & pudor minus mouẽt, moueat ſaltẽ præmij magnitudo,quod illum ſequentibus conſtitutũ eſt.Vt enim Apoſtolus ait,Si compatimur, & conregnabimus,ſi mortui fuerimus cũ Chriſto,credimus quia ſimul etiã viuemus cum eo.Quod idem Dñs aperrè teſtatur cum ait,Qui mihi miniſtrat,me ſequatur.Quid deinde?Et vbi ſum ego illic & miniſter meus erit,hoc eſt,ad eãdẽ cæleſtis patrimonij hæreditatem perueniet,vt quæ ad me pertinent iure naturę, ad illũ quoque deferãtur adoptionis gratia.Quod cũ ita ſit nõ abſurdè Clemens Alex ait,Ad hoc Dei filium in hũc mundũ deſcendiſſe,vt nos velut pennata quædam animalia efficeret,& pennis vndiq;amiciret,vt eò humilitatẽ noſtram proueheret,vnde ſublimitas eius ad nos deſcenderat: & natura illa cui dictum eſt, Terra es,& in terram ibis,conformis Chriſto effecta, & ſpiritu eius informata,ſuper omnes cælos aſcenderet. Quiſquis igitur ad hanc celſitudinis & gloriæ dignitatem peruenire cupit, viam qua ad illam itur,detrectare non debet.Via autem,Chriſtus eſt, quem oportuit quidẽ pati,& ita intrare in gloriam ſuam. Duo

*2.Tim.2.*
*Rom.6.*
*Ioan.12.*

*Clem. Alex.*

*Geneſ.*

*Luc.24.*

bus

bus verò discipulis eandem gloriam ambientibus, hãc eandem viam ostẽdit, cùm ab eis requirit: Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum, quasi diceret, Hoc primum cogitate, hoc ante omnia curate, si gloriã & dignitatem quæritis, hæc regia via est qua ad illam peruenitur. Nemo verò indignè secum agi putet, si ab eo pretium exigitur, quod cælestis Pater à Filio, Filius ab amicissimis Apostolis, atque adeò fratribus suis requisiuit. Quis enim emturus à mercatore pallium, de precij caritate queratur, si mercator iuret se non alio pretio & fratribus suis & filiis etiam vendidisse? Nemo igitur, fratres, de pretio quæratur, verè enim non sunt condignę passiones huius seculi ad superuenturam gloriam, quę reuelabitur in nobis. Momentaneum quippè & leue tribulationis nostrę supra modum in sublimitate ęternum glorię pondus operatur in nobis. *Matt.20.* *Simile.* *Rom.8.* *2.Cor.4.*

II.

Verùm hæc infirmioribus dicta sunt, qui his stimulis ad laborũ patientiam egent, cęterùm perfectos, & eximio Christi amore flagrantes non necesse est his illecebris ad labores & pericula propter dilecti gloriam incitare. Ipsa enim Domini sui dignitas, immensa bonitas, & ardentissima charitas (vt nulla essent prę-mia laboribus constituta) illos satis supérque ad hoc acuerent. Vt enim Diuus Bernardus ait, Verus amor, (hoc est, perfectus amor) de spe vires non sumit, & tamen diffidentia dãna non sentit. Hunc autem dilectionis gradum ostẽdit regius Propheta se habuisse, cùm ait, Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Dñe, quoniã bonũ est. Quod perinde est ac si diceret: Immensę bonitatis tuæ cõsideratio Domine, quam in meis sæpè periculis expertus sum, me ad amorem & obsequium tuum mouet, & ita mouet, vt si nulla etiam ex hac pietate erga te mea sequeretur vtilitas, non minus voluntariè tibi sacrificarem. Et quidem inter magna sincerę & perfectę charitatis signa, hoc in primis est, si nullum laborum suorum pręmium requirat. Sicut enim odium in Deum tunc summum esse ex pręsenti lectione discimus, cùm quis illum gratis odit, & sine vllo emolumento eius leges & mandata perfringit, ita contrà tunc summus in illum amor existit, cùm quis gratuitò illum diligit, hoc est, perpetuò dilecturus est, etiam si nullũ dilectionis suæ fructum præter ipsam dilectionem reportaret. In cuius rei argumentum D. Chrys. ait, permisisse Dominum vt innocentissimus Iob tot modis à dęmone vexaretur, quo perspicuũ omnibus fieret, virũ sanctum nõ mercedis intuitu, sed pura ac sincera charitate Dominum dilexisse, quando rebus omnibus amissis, extinctis libe- *Psal.53.* *Simile.* *Chrysost.*

tis.

ris,& corpore grauissimis vlceribus sauciato, semper innocentiam,fidem in Deum,& charitatem retinuerit. Quod quidem (vt idem sanctus pater ait) non obscurè illa Domini verba in-
Iob.1. dicant, Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra,vir simplex&rectus,& adhuc retinens innocentiã? Itaque satis hac mira patientia declarauit,se non ob ea quæ à me perceperat beneficia,sed sincerrima bonitatis meę dilectione inductum,innocentiam coluisse. Quo quidem virtutis genere non video quid esse possit laudabilius.Hoc autem modo Apostoli post Spiritus sancti aduentum Christum Domi num dilexerunt.Ideóque ibant gaudentes à conspectu cõsilij.
5. Actor. Quamobrem?Num,quia sciebãt, quæ verberibus illis esset me merces in cœlo reposita?Non ob hoc solùm(quamuis hoc debita laude non careat)sed quòd digni habiti sunt pro dulcissi-
Chrysost. mo Iesu nomine cõtumeliam pati.Hinc D.Chrys.de vinculis Pauli differens,Si quis,inquit Christum diligit,si quis pro amore eius,vt ita dicam, insanit,is scit,quæ sit vioculorum virtus, is nouit hanc dignitatem, is agnoscit,quid sit pro dulcissimo Iesu nomine contumeliam pati. Agnoscebat autẽ magnus ille
Dionys. Dionysius hanc summam dignitatem & gloriam,qui ad Ioannem Euangelistam,exilio in Parhmos insulam relegatum,scribens,inter cætera sic ait,Te quidem, nunquam ita amens sim, vt aliquid pari arbitrer,sed corporis mala, hoc tantum quod ea diiudices, sentire credo,hoc est,iudicio quidem intelligis ea esse corporis mala,affectu autem adeò illa non sentis,vt ea etiã tanquam rem optatissimam amplectaris.Quomodo enim quic quã mali pateretur,cui nihil magis erat in votis,quàm propter dilectissimum magistrum mille etiam mortes perpeti?Sed quid mirum si hoc animo Ioannes Euangelista,cæterique Apostoli essent,qui primitias Spiritus acceperunt,cùm cæteris quoque fidelibus initio nascentis Ecclesiæ eadem mens, idem ardor
Tertul. idemque propositum esset? Sic enim de illis Tertullianus ait, Christiani magis damnati quàm absoluti gaudemus cum omni sæuitia vestra concertamus, vltrò erumpentes. Crudeliras vestra,nostra est gloria.Secta nostra tunc megis ædificatur, cũ cæditur? quid his verbis animosius? quid mirabilius? Nec enim hoc tam verbis quàm rebus ipsis testatum est. Nascentis enim Ecclesiæ tempore tot fidelium turbæ passim trucidabantur,vt Plinius Secundus, qui tunc prouinciam quãdã adminiPlin. Secundus. stabat multitudine interemptorũ permotus, referret ad Traianum imperatorem, quod innumera hominum milia quotidie obtruncarentur, in quibus nihil omnino sceleris deprehẽderetur, admissum

rur admissum,aut aliquid cõtrarium Romanis legibus gestum, nisi hoc solùm,quòd antelucanos hymnos Christo cuidam canerẽt Deo. Adulteria verò,vel cætera huiusmodi crimina apud eos & illicita haberi,& penitus arceri,cætera verò secundùm leges eos agere cõmunes. Hoc ipso autem Traiani Imperatoris tempore sanctus Simon (cuius hodie festum celebramus) vt Hegesippus,Eusebio referẽte,memorat,immanissimè cruciatus est. Non enim cita morte, sed multis diebus (vt idem refert) quo eius animi constantiam Tyranni labefactarent, variis tormentorum generibus affectus est. Itaque mentis eius mutatione desperata,ad magistri sui imitationem crucis patibulo affixus est,cùm centum & viginti esset annorum cunctis admirantibus in corpore senili tam alacrem & robustum animum ad ferenda supplicia. *Hegesipp.*

Hæc est igitur,fratres,vera,perfecta,& Apostolica charitas, gratuitò diligens,& dolorum patiens, de qua meritò in Cant. dicitur: Fortis est vt mors dilectio: immo verò morte fortior, quæ mortem, & omnia mortis arma & instrumenta superauit. Cui illud etiam verissimè conuenit quod ibidem dicitur: Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatẽ,& flumina non operient eam. Lampades enim eius,lampades ignis atque flammarum: quas tamen flammas nec innũdationes fluminum,nec fluctus maris,hoc est,persecutionum procellæ extinguere potuerunt. Verè enim eleuauerunt flumina Dominè, eleuauerunt flumina vocem suam. Eleuauerunt flumina fluctus suos à vocibus aquarum multarum. Mirabiles elationes maris,sed mirabilior in altis Dominus,qui Tyrannorum omnium, atque totius huius magni maris procellam,aduersus Ecclesiam sæuientem, inuicta Apostolorum & Martyrum charitate compescuit. Quorum exemplo,Christe sãcte,quàm ingens se nobis hoc in loco lamentandi materia offerebat, Totius mundi tempestas,& omnium tormentorum genera, fideliũ charitatẽ labefactare olim minimè potuerunt,at nostrorum temporum charitatem, quæ leuis aura,quæ vel exigua commoditas,aut cupiditas,aut voluptas de gradu suo nõ depellit? Illorum constantiam nulla supplicíorum genera,nulli terrores & minæ deiicere poterant: nos verò propter res penè pueriles & ludicras pietatem & iustitiam passim prodimus. Quid tu ais in sacra huius diei Epistola Paule? Quis nos,inquit,separabit à charitate Christi? Tribulatio,an angustia, an nuditas, an periculum,an gladius? Nihil certè horum,nec sexcenta alia quæ deinde commemorat. Hęc enim erat illius seculi & illorũ fidelium firmitas atq; constãtia *Cant.8.* *Ibidem.* *Psal. 92.* *Rom.8.*

At noſtro infœliciſſimo & nũquã ſatis deplorato ſeculo ſic omnia inuerſa ſunt, vt lõgè alia ratione interrogare poſſimus. Quid nos non ſeparabit à charitate Chriſti? Quæ res erit tam leuis & minuta quæ hoc apud multorũ pectora efficere non valeat? Quę vel leuiſſima iactura, quis popularis auræ metus, quis inanis rumuſculus exiſtimationi noſtræ vel leuiter officiens, quę cupiditas, quis affectus paulò impotẽtior, quæ voluptatis titillatio nos à Chriſti charitate penè millies in die non abducit? O miſerandam temporum conditionem! ô infœlix ſeculum! ô Chriſtianæ religionis dedecus, perpetuis lacrymis deplorandum! Veriſſimè certè à Salomone dictũ eſt, Auerſio paruulorum interficiet eos, quandoquidem rerum inanium atque penè puerilium vel vana formido, vel puerilis & cæcus amor charitatis vitam nobis adimit, & à Chriſto ſeparat. Hoc ego tantum malum quoniam verbis explicare non valeo, vobis, quicũq; Dei ſenſum & mentem habetis, cogitandum & deplorandum relinquo.

*Prou. 1.*

III.

Sed vt ad intermiſſam lectionis Euangelicæ ſeriem redeamus, cauſam deinde Dominus affert, cur diſcipulos ſuos, atque adeò pios omnes oderit & inſectetur mundus. Subdit enim: *Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat, diligeret: quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Quid hac ratione euidentius? Conſtat enim ſimilitudinem, amicitiæ & coniunctionis, diſſimilitudinem verò inimicitiæ atque diſſenſionis cauſam exiſtere. Sic videmus inter elementa quę contrariis qualitatibus cõſtant, (qualia ſunt ignis & aqua) irrecõciliabile bellũ eſſe, cùm tamen ignis & aer, cęteráq; elementa, quę ſymbola nuncupantur, hoc eſt, quæ in altera qualitate conſentiunt, vix vllum inter ſe diſſidium patiantur. Cùm ergo tanta inter pios & improbos diſſenſio ſit, cùm illi charitate, iſti cupiditate, illi ſpiritu Dei, iſti ſpiritu dæmonis agantur, illi Dei leges, iſti mundi leges attendant, illi corporibus ſuis pro mãcipiis vtantur, iſti ventrem ſuum ſibi in Deum elegerint, illi carnem ſuam crucifigere cum vitiis & concupiſcentiis ſemper ſtudeãt, iſti omnibus eam deliciis fouere & ſaginare contendant, quæ pax, quæ amicitiæ conſenſio inter tam diuerſa ſtudia & vota eſſe queat? Hinc Salomon, Ambulans, inquit, recto itinere, & timens Dñm, deſpicitur ab eo qui infami graditur via. & alibi idem, Qui derelinquunt legem, laudant impium: qui cuſtodiunt, ſuccẽduntur contrà illum. Quæ quidem diſſenſionis & pugnæ cauſa, omnes alias, quæ inter homines reperiuntur, antiquitate ſuperat, adeò, vt cum ipſo penè mundi exordio nata ſit. Quid enim

*Galat. 5.*

*Prou. 14.*

*Prou. 28.*

*Simile.*

enim fratricidam Cain in tam exitiale aduersus innocentissimũ fratrem odium impulit, nisi quòd (vt Ioannes ait) opera eius praua erant, fratris autem iusta? Quid verò Iacob & Esau fratres geminos referam, quorum alter electorum, alter reproborum typum tenet, qui nondum in lucem editi, in matris etiam vtero decertabant, hanc videlicet rixam atq; vetustissimũ dissidium inter probos & improbos adumbrantes? In hanc autẽ sententiam Apostolus duorum quoq; filiorum Abrahæ exemplum adducit. Sicut enim, inquit, is qui secundum carnem natus erat, persequebatur eum qui secundum spiritum, ita & nunc: hoc est, ita nunc carnales homines spiritualibus infensi & inimici sunt. Huius autẽ veterrimi odij causa est, partim quidem (vt antè diximus) vtriusque vitæ dissimilitudo, partim etiam tacita quædam improbę vitę ex piorum comparatione, damnatio. Scitum enim est illud diui Augustini. Nihil ita condemnare vitam malorum, quàm vitam bonorum. Vt enim pulcherrima quædã imago iuxta deformem posita, eius deformitatem magis conspicuam reddit, ita virtutis & honestatis splendor, qui in piorum moribus elucet, flagitiosorum hominum dedecus & turpitudinem apertiùs detegit & ostendit. Quæ ideò à me dicta sunt fratres, partim vt quicunque piè & reuerenter Deum colitis, patienter aliorum detractiones & irrisiones perferatis: intelligentes, Christiani hominis vitam esse (vt Bernard. ait) bona facere, & mala pati, & beatos à Domino prædicari, qui persecutionẽ propter iustitiam patiantur, partim vt quicunque iustorum simplicitatem deridetis, ipsosque dicteriis, illusionibus, detractionibus, confictisque nominibus ignominiosis præstringitis, cæleste vindictam formidetis, illámque Domini vocẽ extimescatis, Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. & illam item, Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Vnde euenit, vt sæpè Dominus multò seuerius suorum iniurias, quàm suas vltus sit. Quamobrem opportunè Sapiens huius rei nos admonet, cùm ait: Ne quæras impietatem in domo iusti, neq; vastes requiẽ eius. Septies enim in die cadet iustus, & resurget, impij autẽ corruent in malũ, hoc est, ita corruent, vt in eodẽ semper luto infixi iaceãt. Hoc autẽ in eos quadrat, qui si in hominibus, qui vel paulò frequẽtiùs sacrã Eucharistiã sumũt, aut studio sanctæ orationis incũbunt, leuẽ aliquem lapsum viderint, miras ab hoc tragœdias excitãt, quasi homines illi iam esse desierint, aut quasi iam omnes naturæ affectus & cupiditates exuerint, vbi primùm se Dei obsequio tradiderunt. Illos ergo qui sic ab improbis hominibus lacerantur, his vo-

*1. Ioan. 3.*

*Gen. 25.*

*Galat. 4.*

*Augustin. Simile.*

*Bernard.*

*Psal. 104.*

*Zach. 2.*

*Prou. 24.*

ce 2 bis,

bis, quę modò audistis, Dominus consolatur, *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret, &c.* hoc est, si mundano more vitam institueretis, nequaquam mundus damnare posset, quod ipse moribus suis probat: quia verò longè alia ratione vitam agitis, necesse est vt aduersetur mundus, quod ipse viuendo non probat. Vnde consequens esse videtur, vt à mundo, hoc est, à flagitiosis hominibus reprobari, id verè probari sit. Certè Seneca hominem virtutis studiosum hoc sibi nomine gratulari debere ait, quòd à perditis hominibus improbaretur. Mihi iam, inquit, quod argumentum est recti, contigit malis displicere.

*Seneca.*

Pergit deinde Dominus explo iterum suo discipulos ad futuros labores & persecutiones præmunire, dicens: *Mementote sermonis mei quem ego dixi vobis: Si me persecuti sunt, & vos persequentur, &c.* quod perinde est, ac si diceret: Nemo putet maiori se dexteritate clauum vitæ moderari posse, quàm ego moderatus sum. Quòd si nec mihi quidem mundus pepercit, qui sic vixi, qui tot mundum beneficiis affeci, tot signis ad fidem inducere conatus sum, quæ vobis spes reliqua salutis & incolumitatis esse poterit? Sic planè discipulis euenit, vt hoc in loco Dominus prænuntiauit. Omnes enim illos mundus variis tormentorum generibus è medio sustulit, omnesque (vno excepto Ioanne) præceptoris sui exemplum secuti, morte sua Deū glorificauerunt, æternamque martyrij palmam adepti sunt. Quod idem beatissimis Apostolis, Simoni & Iudæ (quorum hodie festum celebramus) cōtigit, qui similes martyrij coronas à Domino percipere meruerunt. De quorum glorioso agone (quoniam scriptores Ecclesiastici variant) nihil aliud dicam, nisi quòd Christi Domini Apostoli, & Ecclesiæ columnæ fuerint, fidémque quā nunc omnes meritò gloriamur, ad nos ipsi capitis sui dispendio, quasi hæreditario iure transmiserint. Ad quorum laudem accedit, quòd consobrini Domini Saluatoris simul cum Iacobo minore fuerint. Hos enim tres habet fœlicissimos filios Maria Cleophe, beatissimæ Virginis Matię soror, quę etiam iuxta crucem cum eadem sacra Virgine, & Maria Magdalena, & Ioanne Euangelista astitit, vbi piā matrem, discipulis eam deserētibus, non deseruit, sed calicis & mœroris sui & testis, & particeps, & consolatrix extitit. Nos ergo, fratres, siue fœlicium filiorum agones, siue pias matris eorum lacrymas inuitari studeamus, aduersus cupiditates nostras perpetuò decertemus, quo seminantes in lacrymis in exultatione metamus, vt sic tandem ad eorum quorum festa recolimus, societātem, eodem Domino aspirante, peruenire mereamur.

*Ioan. 19.*

*Psal. 125.*

IN

## In festo omnium Sanctorum concio prima, in qua de hominis beatitudine, deque itineribus quibus ad eam peruenimus, differitur.

THE. *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Matth. 5.

INter festos dies quos Ecclesia quotannis solemni religione celebrandos suscepit, hic dies vel summũ, vel maximum certè locum obtinere videtur. Cætera namq; festa, aut singulorũ sanctorũ, aut singulariũ mysteriorũ sunt, hoc autẽ sub vnius diei sollemnitate Sanctorum omnium festa complectitur. Magno autem Spiritus sancti consilio Ecclesia hoc instituisse videtur. Primùm quidem, vt quæ per socordiam & iniuriam in cæteris Sanctorum festis deliquimus, aut minus plenè præstitimus, huius saltem diei ampliori deuotione pensaremus, & vnus dies ritè celebratus aliorum omnium negligentias resarciret. Deinde, vt hoc vno die Sanctorum plurimis, quibus singulares dies festos decernere non vacat, debitam eorum meritis laudem & honorem hac saltem ratione impenderemus, quando aliter non possumus, cùm omnes anni dies intra angusta spatia contineantur, Sanctorum autem numerus vix comprehendi possit. Quam rem oculatissimus testis Ioannes Euangelista in Apocalyp. confirmat, qui vbi centum octoginta quatuor millia sanctorum enumerasset, quos ex singulis tribubus Israël Dominus ad æternam vitam cooptarat, subdit protinus: Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna, dicentes, Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & agno. Ex quo planè loco illud colligere licet, quòd quamuis incomparabiliter multò plures sint qui pereunt, comparatione eorum qui saluantur, est enim (vt Saluator ait) arcta via quæ ducit ad vitam, lata autem & spatiosa quæ ducit ad perditionem, nihilominus tamen electorum turbam adeò esse magnam, vt à nemine numerari possit, Ioannes hoc in loco asserat. Quin ex solis tantùm Martyribus tam ingens multitudo in cœlis coronata triumphat, vt si Ecclesia omnibus illis festos dies instituere decreuisset, supra quinque milia Martyrum (vt D. Hieronymus

Apoc. 7.

Matth. 7.

 testatur) Hieron.

teſtatur) ad vnumquemque diem aſſignare potuiſſet. Horum igitur laudibus, quibus dies ſingulos Eccleſia deſtinare non potuit, hunc vnum diem voluit eſſe dicatum. Eſt & alia non inferior huius ſollemnitatis cauſa, nempe, quòd hac ratione multos nobis aduocatos in cælo comparare voluit, cùm ab illis pro impenſis precibus & laudibus opem & patrocinium ſuppliciter implorat. Sunt quidē illi ad hoc officium præſtandum propenſi, qui (vt D. Auguſt. ait) de ſua ſalute ſecuri, de noſtra ſoliciti ſunt. *Auguſt.* Eos nāmq; & germana charitas, qua nos conciues ſuos futuros proſequuntur, & huius vitæ pericula, quæ illi euaſerunt, ad nos omni ratione iuuādos ſolicitant, noſtris tamē precibus & laudibus propenſiores ad hoc officiū redduntur. Et quidem appropinquante hora mortis, quando poſt extremum illum halitū de tota æternitate noſtra ferenda ſententia eſt, vltimum nobis Eccleſia præcipit adhiberi remedium, nempe, vnctionis ſacramentum, quod iam migraturis exhibetur. Quo etiam tempore Sanctorum omnium auxilium implorat, omneſque illos velut ante ſuperni iudicis conſpectum aduocatos mittit, quo periclitanti filio & in ſummum diſcrimen adducto opem ferant. Quod quidem illi patrocinium eo libentius ſuſcipiunt, quo frequentiùs *Publius* homines circa mortis etiam & extremæ neceſſitatis periculum *Mimus.* illos hoc religionis officio venerati ſunt. Nota enim illa Publij ſententia eſt: Habet in aduerſis auxilia, qui in ſecundis commodat. Vnde colligimus, obſequia illa eſſe gratiſſima, non quæ neceſſitas violenter extorſit, ſed quæ ſpontanea pietas libenter impendit. Hac ergo de cauſa non hoc die ſolùm, ſed in omni vita præcipua deuotione Sanctos colere & venerari debemus, vt eos, dum extrema illa neceſſitas incubuerit, propitios ac fideles patronos habere mereamur. Ex multis Sanctorum hiſtoriis diſcimus, fuiſſe nonnullos, qui ad extremam horam venientes, ac de ſalute ſua, propter malè actæ vitæ conſcientiam, deſperantes, ſanctorum hominum, qui præſentes aderant, piis lacrymis & precibus vel ſpatium pœnitentiæ, vel erratorum veniam conſecuti ſunt. In vita quoque B. Catharinæ Senenſis legimus, quòd cùm in ſua ciuitate duo homines maleficiis inſignes ad mortem ducerentur, & in ipſo itinere ferreis forcipibus igne candentibus immaniſſimè lacerarentur, illiq́ue doloris magnitudine victi rabioſis aduerſus Deum vocibus inſanirent, ſanctiſſima virgo tota charitatis viſceribus & miſericordiæ affectu inflammata ardentiſſimas pro illis ad Dominum preces & lacrymas fudit, quo factum eſt, vt miſericordiæ parens piis eius precibus ad miſericordiam flexus, facinoroſis homicidibus in cruce pendens appareret

pareret, eosque ad mirabilem pœnitentiam, & compunctionis gratiã hac imagine prouocans, æterna tandem salute donarit. Quòd si hoc animo viri sancti in alios homines extiterunt: cum in hoc corpore degerent, multo magis cùm charitate viæ in patriæ charitatem commutata, eundem erga nos benignitatis & misericordiæ affectum gerent. Vt illos igitur dignis hodie honoribus & sermone celebremus, cœlestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Præsens sancti Euangelij lectio octo insigniens virtutes cælestis magistri voce singulari quadam ratione nobis commendat. Has verò communi nomine, beatitudines appellamus: propterea quòd eæ inter cæteras virtutes viam nobis ad beatitudinem muniant, siue ad perfectam, quam in altera vita expectamus, siue ad inchoatam quam in hac viri sancti consequuntur. Quocirca de ipsa beatitudine, déque itineribus quibus ad illam peruenitur (de quibus præsens sancti Euangelij lectio differit) hodie mihi dicendum est.

Rem igitur à prima origine repetẽtes, scire oportet, duas esse in homine naturales appetitiones, quæ nõ à deprauatis vel moribus vel ingeniis, sed ab ipso naturæ auctore & conditore nobis inditæ atque ingeneratæ sunt. Altera est immortalitatis appetitio, quam omnes homines habent, qui mortem horrent, & vitã, naturæ impulsu, diligunt. Ex hac autem appetitione quicumque rectè philosophantur, euidenter animæ nostræ immortalitatem colligunt. Aliàs enim pessimè instituta esset natura, quæ homini impossibilis rei naturale desiderium indidisset, & frustra etiam contulisset, quòd nullũ prorsus vsum deseruiret, quòd in perfectissimum illum opificem, & ipsius naturæ conditorem, cadere nullo modo potest.

Altera verò appetitio est, qua omnes naturali propẽsione beatitudinem supra omnia quæ mens humana adipisci potest, desideramus. Est autem beatitudo (vt Boëthius ait) status omnium bonorum aggregatione perfectus: eademque summum hominis bonum. Ideoque vltimus humanæ vitæ finis esse dicitur, quia cùm huc peruenerit homo, non habet vel quo vlterius ascendere, vel quod amplius desiderare queat. Itaque sicut is qui magna siti laborabat, vbi ad satietatem vsque ebibit, non amplius sitit, neque iuxta fontem positus, aquæ desiderio mouebitur, ita qui ad hunc statum peruenit, nullius rei desiderio laborat. Hoc autem quid aliud quàm quædam diuinitatis participatio est? Dei enim hæc tanta fœlicitas est. Quo quidẽ nomine

*Boëth.*

*Simile.*

dignitatis ſuæ amplitudinem intelligere homines poſſunt, quandóquidem ad hunc fœliciſſimum ac plenè diuinum ſtatum ab auctore naturæ conditi ſunt.

Deinde illud etiam intelligere oportet, inter omnia quæ ab humano ingenio ſciri & comprehendi poſſunt, nihil eſſe ad vitam noſtram rectè conſtituendam magis neceſſarium quàm hunc ſummum & vltimum vitæ finem cognitum & exploratum habere: quandoquidem nemo vitæ actiones, niſi vitæ fine prius cognito (ad quem omnia referenda ſunt) dirigere & inſtituere rectè poteſt. Vnde Ariſtoteles, bene viuendi rationem in lib. Ethicorum traditurus, primo loco de vltimo humanæ vitę fine diſſerit: Vt enim, inquit, ille, ſagittarij ſignum primò intueri debent, quo rectà ſagittas ad illud iaciant: atque vt nauta, quem portum petat, prius debet agnoſcere, vt ad illum nauigationis curſum dirigat (quod idem in omnibus quoque aliis rebus, quæ arte & conſilio adminiſtrantur, neceſſum eſt (ita planè quiſquis rectè omnes vitæ ſuæ actiones, non vagas & temerarias, ſed rectas eſſe cupit: vitę finem ante oculos ſibi proponere & eò curſum dirigere debet. Ethicen autem, ad quam ſpectat de hoc fine & gradibus quibus ad eum peruenitur, diſſerere, inter præſtantiſſimas diſciplinas eſſe collocandam, idem auctor definit, quoniam id quod eſt in hominum vita præſtantiſſimum, conſiderat.

*Ariſt. in Lib. Eth. Simile.*

I.

Sed cùm Philoſophi omnes hoc naturale beatitudinis deſiderium homini tribuant, quibus tamen in rebus ea beatitudo ſita ſit (quamuis ſe in huius rei inquiſitione vehementer torſerint) adeò non ſunt aſſecuti, vt nulla in re magis cæcutierint, & in varias, ac penè repugnātes opiniones diſtracti fuerint. Quis enim credere potuiſſet, quod D. Auguſt. 19. de ciuitate Dei lib. refert, nēpe, ducentas ſupra octoginta fuiſſe inter philoſophos de ſummo hominis bono opiniones, niſi idē Auguſtinus Marcum Varronem, diſertiſſimum inter Romanos ſcriptorē, huius rei teſtem citaſſet? Alij enim in diuitiis, alij in honoribus, alij in voluptatibus, alij in potentia, alij in indolentia, hoc eſt, in doloris vacuitate, alij in varia litteratura, & maximarum rerum ſcientia, alij denique aliis in rebus pro ſuo quiſque ingenio & cupiditate poſuerunt. Nec Philoſophi modo ſed ipſi etiam homines illiterati pro rerum ſuarum cōditione beatitudinem metiuntur. Mendicus enim ſummum bonum putat eſſe diuitias, idémque cùm æger eſt, ſanitatem, ambitioſus, honores, impudicus, carnis voluptates, aulicus, regis gratiam & amicitiam,

*Auguſt.*

imperator

imperator,militarem gloriã atq; victoriam. Omnes námque hi ſummum bonum in hiſce rebus quas ſitienter apperunt,cõſtitutum eſſe putant,& ſe beatos futuros, ſi eas adepti fuerint arbitrãtur. Inter has autem tam varias hominum ſententias, tres quidem ad veritatem aliquanto propius acceſſiſſe vidétur. Prima Stoicorum, qui in vna virtute ſummum hominis bonũ collocauerunt,neque enim maius aliud bonum,quod homini contingere poſſet,inuenerunt.Laudandi illi quidem ſunt, qui tanti virtutem fecerunt,ſed in hoc tamen decepti fuere,quod beatitudinis inſtrumenta,beatitudinem eſſe putauerunt : quod non minus ineptè dicitur,quàm ſi quis agricola finem in excolendis agris conſtitueret,eſt enim hoc agricolæ officium, non finis,quo officio ad vberem& plenam ſegerem peruenitur,quę agricolæ finis eſt.Sic igitur virtus non fœlicitas,ſed ad fœlicitatem certiſſima via eſt.Alia fuit Ariſtotelis ſententia,qui in altiſſimarum rerum contemplatione,quæ per ſcientias humanas haberi poteſt,fœlicitatem poſuit,accedẽte tamen & bona corporis valetudine,& honeſto patrimonio. Neq; enim aut ægrũ aut mendicũ plenè beatũ eſſe cenſet,cùm beatus omni debeat moleſtia & angore carere.Qua in re,diſſertiſſimus alioqui vir, cùm naturali rationis lumine aliud nihil haberet quod diceret duplici tamẽ nomine deceptus eſt,altero,quòd fœlicitatẽ fortunæ dominatui ſubiecit,cùm opes,& bonam valetudinẽ,quæ extra hominis facultatem poſita ſunt,ad beatitudinem requiri ſenſit; altero,quòd eam fœlicitatem ſtatuit, quę in hac vita hominibus contingere minimè poteſt. Cuius enim niſi Dei eſt in hac vita omni angore & moleſtia carere,& bonis omnibus eir cũfluere? Tertia fuit Solonis opinio,quæ propius ad veritatẽ acceſſit,quamuis ab Ariſtotele reprehendatur.Qui à Crœſo opulentiſſimo,qui ſe beatum exiſtimabat,interrogatus, quemnam beatiſſimum inter homines exiſtimaret,tres inſignes homines vita functos,qui& honeſtè vixiſſent,&cum laude occubuiſſent protulit: quod beatoseſſe cenſuit Nemini verò qui in vita maneret,id concedi poſſe confirmauit. Lòngo enim tempore:inquit ille,multa,quæ nolumus,aſpicere & perpeti opus eſt,neque dies ſequens idem omnino affert quod attulit antecedens. Omnis igitur homo ô Crœſe,eſt obnoxius calamitati.Tu mihi quidẽ opibus abundare,& multis nationibus imperare videris: illud tamen quod à me quæſieras, nunquã tibi tribuendum putabo,niſi prius audiero te cum dignitate extremum ſpiritum edidiſſe.Nec enim ille qui plurimas diuitias cõgeſtas habet,illo qui in diem viuit:beatior eſſe poteſt , niſi eadem fortuna rem

*Simile.*

*Ariſtot.*

*Solon.*

bene gerentem ad mortem vſque ſequatur. Hactenus Solon. Cuius verba ſi diligenter perpendamus, intelligemus planè, ne illos quidem tres fuiſſe illius ſententia beatos. Sed cùm vir inſigni ſapientia clarus communes hominum miſerias inſpexiſſet cum iis præclarè actum eſſe exiſtimauit, qui antequam grauiore clade aut ærumna premerentur, è vita diſceſſiſſent. Nec temerè iſta quidem Solon Regi dixit. Quæ enim humanarum rerum varietas & inconſtantia eſt, idem Crœſus, qui ſe beatiſſimũ exiſtimabat, amiſſo regno a ſe a ſua fœlicitate deiectus in poteſtatem venit Regis Perſarum. Qui etiam cùm ad mortem damnatus eſſet, Solonis ſententiam in mentem reuocans, magna voce clamauit, O Solon, ô Solon. Qua voce & coniecturis ſui veritatem, & variantis fortunæ inconſtantiam parum ſibi antè cognitam profeſſus eſt.

Ex his ergo ſatis liquere puto, fœlicitatẽ in hac vita deſperandam eſſe, quãdo ea tota vel tentatio, vel militia eſſe dicatur, quòd ea infinitis propè contentionibus, curis & laboribus plena ſit. Quis enim eſt, cui data ſit immunitas eorum malorum quibus hanc vitam oppreſſam & afflictã videmus? Ecquis, inquam eſt adeò liber & immunis, qui grauiſſimis interdum malis non vrgeatur, vel ſaltem non extimeſcat eas clades quibus vita beata, ſi modo illa beata appellanda eſt, corrumpi & amitti poteſt? Omnes enim mortales iſta conditione naſcuntur, vt magnã vitæ partem exigãt in lacrymis & mærore, infinitis malis & calamitatib⁹ implicati. Nec ex omni hominum memoria aliquis vnquam inuentus eſt, cui non multis partibus plura mala quã bona contingerint.

Liquet igitur ex his, Philophorum omnium conatus inanes irritóſque fuiſſe, quandoquidem nemo eorum fœlicitatem hactenus, hoc eſt, humanæ vitę finem inuenire potuerit. Errorum autem omnium cauſa extitit, quòd altiſſimũ finem in hac vita quærebant, qui in altera quærendus erat. Fine autem ignorato, aut perperam cõſtituto, quid in vita ſanctè & religioſè geri po-
Ioan. 14. tuit? In illos námq; cadere illud poteſt quod Thomas Apoſtolus ad Dominum dixit, Dñe, neſcimus, quô vadis & quomodo poſſumus viam ſcire? Ignorato enim fine, neceſſe erat totam humanam philoſophiam atque ſolertiam in Cimmeriis tenebris verſari, & incertis motibus temerè fluctuare.

Quæ res firmiſſimo argumento Theologis fuit, vt non fide ſolũ, ſed ratione etiam colligerent: neceſſarium hominibus, cœleſte lumen: & reuelatam veritatis ſcientiam fuiſſe, vt naturæ cõditor, qui nulla in re, quę modo ſit ad vitam neceſſaria, deeſt

nobiliſſimæ,

nobiliſſimę creaturę in re omnium maximè neceſſaria non deeſſet. Ad hoc igitur primum quidem Prophetas, à Spiritu ſãcto eruditos quo nos erudirent, miſit. Nec his contentus, ipſe Prophetarum Dominus ad nos venire, & arcanum hoc per ſe docere dignatus eſt. Is igitur beatitudinẽ non in hac ærumnoſa vita (quæ mors potius eſt dicenda, quàm vita) ſed in futura ſperandam & quærendam eſſe, verbis & exẽplis docuit: quod in ſacræ huius lectionis fine oſtẽdit, cùm ait, *Gaudete & exultate: ecce enim merces veſtra copioſa eſt in cælis.* In cœlis ergo fœliciſſima beatitudinis noſtræ merces, non in terra ſperãda eſt. Cuius rei cauſam ſancti Doctores infinitum animæ noſtræ ſinum eſſe dicũt, qui niſi infiniti boni adeptione (quę in aperta diuinę pulchritudinis viſione conſiſtit) repleri non poteſt.

Quæret autẽ aliquis, quonam modo intellectus noſtri acies adeò hebes, ne nec animæ quidem ſuæ ſubſtãtiam intelligere poſſit ad illius altiſſimæ & incomprehenſibilis naturæ cognitionem aſſurget, quæ lucem habitat inacceſſibilem, quęque pro ſuit tenebras latibulum ſuum: de qua in libro Iob ſcriptum legimus: Ecce Deus magnus vincens ſcientiam noſtram? Huic igitur quęſtioni reſpondemus mentis noſtrę aciem ſingulari quodam glorię lumine acuendam ſimul & eleuandã, vt hanc ſplendidiſſimam lucem intueri valeat. Quod quidem lumẽ Theologi conſpicilijs ſimile eſſe dicũt, quibus imbecilles oculi à ſe lõgè diſſita, illisque inacceſſa cernere poſſunt. Quod ergo oculis infirmis conſpicilia, hoc lumen glorię menti noſtrę dabit: vt retecta facie immenſam Dei pulchritudinem videat, quam tamen adeò non comprehẽdet, vt infinita in ea ſubſint, quæ nulla creata mens aſſequi poſſit. Idemque glorię lumen efficiet, vt quãuis altiſſima illa natura ſumma ſimplicitate prędita ſit, inter ſanctos tamẽ alius alio pro varietate meritorũ plura videat: quia maiore glorię lumine illuſtratur. Sic enim aquila, & homo eundem Solem vident, quem tamen aquila plenius videt: quia videndi ſenſum perſpicaciorem habet. Sed quęretis rurſum an qui minus videt, plus videre, aut etiam comprehendere cupiat? Ad hoc igitur reſpondemus, quòd cùm comprehendere ſolius diuinæ naturæ ſit, in creaturarum deſiderium cadere nullo modo poteſt: ſicut nec in homine volandi cupiditas, quę auiũ propria eſt. Quamuis autem (vt antè diximus) infinita ſint in ſumma illa natura, ad quę nulla beatarum mentiũ attingere queat: earum tamen voluntas propter eminentẽ gratiam tanta rectitudine à Deo donabitur, vt ſua ſorte contenta nihil aliud concupiſcere poſſit quàm quod habet. Hęc eſt igitur fratres, beati-

1. *Tim. 6.* *Pſal. 17.* *Iob. 36.* *Simile.* *Simile.*

tudo,

tudo,hæc plena fœlicitas,hoc extremum expetendorum,hic vltimus humanæ vitæ finis,ad quem omnes qui Christiano nomine censemur, aspiramus.

II.

Nunc quoniam de fine,hoc est de portu fœlicitatis nostræ diximus,consequens est,vt de itineribus etiam quibus ad eam perMatt.19. uenitur,pauca dicamus. Quam quidem quæstionem breuiter & apertè satis ipse fœlicitatis auctor absoluit,qui iuueni fœlicitatis huius cupido ait,Si vis ad vitam ingredi,serua mãdata.Exiguo sanè prætio æternam vitam nobis promittit,quam ipse sanguine suo comparauit,Verè,Dñe,pro nihilo saluos fecisti nos, quamuis non de nihilo redemeris. Quid enim magnũ est,Deum proximumque diligere;in quibus mandatis vniuersa lex pendet & prophetæ?

Cæterum quemadmodum ad munimentum ciuitatis, quę in Simile. hostili terra sita est,non modo murorum præsidia,sed etiã antemuralia excogitata sunt,ita Dominus ad mandatorũ, quasi ad murorum custodiam,euangelica quoque addit consilia,quæ velut antemuralia sunt,quibus mandatorum muri turi & incolumes conseruantur; de quibus præcipuè in hodierna sancti Euangelij lectione agitur. Quæ quidem consilia vsque adeò viam nobis ad beatitudinẽ muniunt,vt ea de causa beatitudines sint appellatę. Hoc enim esse dicuntur,quòd efficiunt, quodque officio suo nobis conferunt. Has autem cælestias magister cùm aliàs,tum præcipuè in præsenti lectione explicat;in ex qua omnium virtutum choro octo potissimùm elegit, quæ quàm maximè nobis ad beatitudinem viam sternunt, per quam omnes Sancti eo peruenerunt. Omnes enim pauperes spiritu, omnes mites,misericordes,mundi corde,& pacifici fuerunt. Omnes, dum hic agerent,esurierunt & sitierunt iustitiam; omnes piis lacrymis & sua & aliorum delicta luxerunt;omnes varias mundi infestationes,propter tuendam pietatem & iustitiam,perpessi sunt; deoq; pleniſſimam modo laborum suorum mercedem in cęlo percipiunt.

Quamuis autem omnes in omni virtutum genere floruerint in aliis tamen alij(Deo ita propter Ecclesiæ suę decorem disponente)magis enituerunt, atque in hunc modum singularem sibi quisque viam ad beatitudinem elegit quod propositis exemplis facilè commonstrabo.Prima enim beatitudo,paupertas spiritus est;quam D.Franciscus sic arripuit,vt dies noctesque vix aliud cogitaret,quàm vt nullus inter homines se pauperior inueniretur.Nemo enim inter auaros tanto studio opes, quanto

ille in-

ille inopiam,& rerum omnium egestatem concupiuit!nullius in uidorum tantum splendidæ aliorum fortunæ inuidit, quantum is si quem fortè ex mendicis magis aut egenotem au nudum vidisset.Quot modis ille hanc virtutem commendauit? quot titulis insignuiuit,illam nunc dominam suam,nunc sponsam, nunc reginam,& regis æterni sponsam appellans?Denique rogatus semel à fratribus,quæ res maximè homines Deo cõiungeret,Paupertas,inquit,ac terrenarum opum contemptio. Harum enim amore superato,mens nostra terrenis vinculis soluta,sponte sua in cælestia tanquam sibi cognata & naturæ suæ finitima perducitur. Vt enim magnes ferrum,propter occultam quandam vtriusque naturæ cognationem,ad se in aera eleuat,& immobile atque suspensum tenet:ita mentem à terrenarum rerum amore purgatam,Deoque iam similem affectam,facilè Deus ipse ad se rapit,& arctissimo charitatis nexu sibi deuincit. *Simile.*

Post hanc verò paupertatem sequitur germana illi & vicina mansuetudo,de qua Saluator ait: *Beati mites:quoniam ipse possidebunt terram.* Hæc quoque communis Sanctorum omniũ virtus fuit. Vnde frequenter in sacris litteris mansuetorũ nomine appellantur.Hãc tamen virtutẽ sacræ litteræ Moysi præcipuè tribuunt,sic enim legimus: Erat autem Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra.Summus namque ille mundi moderator,quem populo suo magistrum & rectorem præfecerat,furore & ira carere,& mitissimum super omnes homines esse voluit.Cuius rei(vt alia prætereamus) illud argumento est:quod cum toties ab ingrato & rebelli populo lapidibus impetitus fuisset, tamen vbi Dominum aduersus illum iratum,propter vituli scelestissimum facinus vidit, quadraginta diebus ieiunus ante illum perstitit,teterrimi illius criminis veniam deprecans,& se anathema pro illis fieri cupiens. Nec in hac laude inferior Dauid extitisse videtur,qui Saulem atrocissimum hostem cum opprimere sæpè potuisset, nulla in re violauerit,quin & eius interfectorem morte mulctauit, eiusq; mortem acerbissimo planctu scissis vestibus prosecutus est: eosque qui eius corpus sepulturæ tradiderant,magnis se honoribus affecturum pollicitus est.Denique hanc vnam ex virtutibus suis ante Deum proponit,cum ait,Memento Domine Dauid,& omnis mansuetudinis eius. *Num.12.* *Exod.34.* *1.Re.14.* *1.Reg.1.* *2.Reg.2.* *Psal.131.*

Sequitur deinde tertia, luctus & lacrymarum beatitudo; quæ virtus in Prophetis potissimum eluxit; qui non modo peccata hominum zelo diuini honoris corripiebant,sed pio etiam compassionis affectu lamentabantur.Inter quos enituit præcipuè

puè Hieremias, ab vtero matris ſanctus, qui vitam omnem ab ipſa etiam pueritia in luctu & lacrymis conſumpſit. Neque tanto lacrymarum imbre contentus, vberiores etiam fletus ſe exoptaſſe oſtendit, cùm ait, Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte? Sunt autem dupliçes lacrymæ, vt duplex eſt etiã triſtitia, altera, quæ ſecundùm ſeculum, altera, quæ ſecundùm Deum eſt. Illa eſt, cùm aut temporalium rerum iacturas, aut noſtrorum funera immoderato luctu proſequimur, quam in ſancta Paula, filiæ mortem acerbo dolore plangente, D. Hieron. reprehẽdens ait, Mens iſta quæ plangit ſericarum veſtiũ eſt. Altera verò eſt, cùm malè actæ vitæ ſcelera deflemus, quomodo ſanctus ille Rex deflebat, cùm diceret: Lauabo per ſingulas noctes lectulum meum, lacrymis meis ſtratũ meũ rigabo. Has porrò lacrymas D. Chry. peccatorum tantùm: non etiã aliarum rerũ medicinã eſſe ait, quod non vulgari ratione cõfirmat. Si enim vel filium, vel virum, vel vxorem, vel opes miſeriis, teque lacrymis conficias, nullum his calamitatibus remediũ inuenies, at verò ſi peccata lacrymis proſequare, eadem protinus ſuſtuliſti, vnde patet eas veram eſſe ac propriam peccatorũ medicinam. Quæ res meritò inter has beatudines numeratur, quando (vt Apoſtolus ait) triſtitia quæ ſecundùm Deum eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.

*Psalm. 9.* *Hieron.* *Psalm. 9.* *Chryſoſt.* *2. Cor. 7.*

Sequitur deinde quarta via eorum qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, inter quos ſanctus Daniel ita emicuit, vt ab Angelo, vir deſideriorum nuncuparetur. Sed cur Dominus, eſuriendi & ſitiendi, pro deſiderandi verbo vſus eſt? Certè, quia cùm cibo aut potu vehementer indigemus, ſic harũ rerũ deſiderio afficimur vt cætera omnia, quãlibet ſint pretioſa, pro his adipiſcendis facilè vel deſeramus, vel commutemus. Si enim homini fame aut ſiti pereunti totius mundi aurum, aut etiam imperium, cum panis tamen aut aquæ copiam obtuleris, pro nihilo ducet. Vt enim Philoſophus quidam (Ariſtotele referente) de iumentis dixit, ea videlicet malle fœnum, quàm aurum: ita homines etiam, vrgente fame, cunctis mundi opibus panem præferent. Hac de cauſa Eſau laſſus, & fame oppreſſus, vt cibum à fratre redimeret, primogeniti dignitatem vẽdidit, dicens, En morior, quid mihi conferent primogenita mea. Sic etiam Lyſimachus Thraciæ Rex ab hoſtibus obſeſſus, propter aquæ penuriam ſe & regnũ hoſti tradidit. Vbi verò allatam ſibi aquam ſitibundus bibiſſet, O, inquit, quam exigua res me ex rege captiuum fecit. Cum ergo Dominus his verbis, ſitiendi & eſuriendi, pro deſiderandi v-

*Dan. 9.* *Simile.* *Gene. 25.*

ſus

sus fuerit,non quæuis iustitiæ desideria, sed ea intelligi volûit quæ præ magnitudine sua(quemadmodum vera fames & sitis) cætera omnia mundi bona paruipenderent:hoc est, quibus ita homines cælestium rerum cupiditate flagrẽt,vt propter ea cõsequenda pro nihilo cuncta ducant. Huiusmodi verò desideria sola mens pura,&ab omni immoderato terrenarum rerũ amore libera habere potest. Quid enim causæ esse putatis, cur ægrotantium multi,cum edendi fastidio laborant, morte peius cibum oderint,quem sani deperibant?Non alia certè est, quàm quòd stomachus,cum noxiis humoribus plenus sit, dum satis intra se habet hostiũ cum quibus pugnet,alios admittere recusat. Quo tempore si adhibita pharmaca noxios illos humores expulerint,protinus idem qui antea fuerat edendi appetitus redit. Eadem igitur causa est fratres,cur tes omnium maximas atque pulcherrimas, nempe virtutes,atque cælestia & diuina munera fastidiamus,quod noxiis vitiorum,variarumque cupiditatum humoribus mens nostra referta sit:quæ si à nobis pœnitentiæ,& melioris vitæ medicamentis non excutimus, nunquam aut iustitiæ,aut cælestium rerum famem & sitim patiemur:atque ita nunquam salurarem illam mẽtis satietatem percipiemus, quæ ingredientibus & egredientibus inæstimabilis suauitatis pascua præbet.

Proxima est huic, misericordiæ via;qua cùm omnes sancti (qui viri misericordiæ in litteris sanctis appellantur)ingressi,misericordiam consecuti sunt,tum illi potissimum, qui actiuam vitam(quæ tota in aliorum miseriis subleuandis posita est)coluerunt.Misericordiæ autem nomine hoc in loco non tam effectum,quàm affectum misericordiæ significari credo. Illud enim solis tantum diuitibus,hoc & diuitibus & pauperibus commune est.Effectus enim misericordiæ in opere,affectus autẽ in voluntate est.In qua dives est,quisquis cum sanctissimo Iob dicere potest,Flebam quondam super eo qui afflictus erat,& compatiebatur anima mea pauperi. De his autem qui hoc affectu præditi sunt,Dominus in præsenti lectione ait: *Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Ex cuius verbis apparet,quã sit hæc virtus illis omnibus necessaria,qui misericordia Domini egent. Quis est autem inter mortales qui ea non indigeat. Rectè enim D. Augustꝰ. Væ etiam laudabili vitæ,si remota pietate iudicetur. Cum ergo omnes hac misericordia tantopere indigeamus,regia planè via ad eam cõsequendã, misericordia est, vt videlicet talem te cæteris hominibus præbeas,quẽ tibi Dominum exhiberi velis. Quid autem in extremo illo iudicio vir- *Iob.30.* *Aug. ust.*

tus

*Iacob. 2.* tus misericordiæ aduersus vindicantem iustitiam valeat, Iacobus Apostolus satis declarauit, cùm ait: Super exaltat autẽ misericordia iudicium: hoc est, superior est in hoc certamine misericordia contra iudicium: vel (vt apertiùs loquar) triumphat misericordia de iudicio, quia videlicet quos iudicij seueritas premere potuisset, misericordia liberat, & absoluit: dũ apud misericordiarum patrẽ allegat, dignum esse misericordia qui in alios benignus & misericors extiterit. Nõ igitur immeritò Oecumenius misericordiam oleo simílem esse ait, quo athletę in palestra luctaturi nuda corpora vngere solebant, ne agonotetis vllã corripiendi ansam in lubricis oleo carnibus prębęrẽt. Hoc ipsum autem misericordię oleum iudicãdis pręstat, ne videlicet vindex peccatorum iustitia habeat vnde illos accusare aut damnare queat, quos ab accusatione misericordia defendit.

*Oecum.*

*Simile.*

Sequitur deinde sexta ad beatitudinem via, eorũ qui mundo sunt corde, de quibus Dominus, *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.* Sicut autem antecedentem misericordiæ viam, qui actiuam vitam exercuerunt: ita pręsentem illi præcipuè sectati sunt, qui se totos contemplatiuæ vitæ studio dediderunt. Horum enim præcipua cura fuit, mentis aciem ab omni labe, atque terrena fæce purgare, quo splendidissimos Solis iustitiæ radios in ea velut in purissimo speculo recipientes, ampliori diuinę bonitatis cognitione irradiarentur. Ideò appositè satis huic puritati, diuinæ lucis visio proponitur: quæ vt luscosis & ægris oculis odiosa, ita mundis & puris est amabilis. Vnde rectè D. Augustꝰ Deum purgatę mentis sapientiam significantissimo nomine appellauit. Illis namque solùm Deus verè sapit, qui purgata mente sunt: cuius inæstimabilis suauitas atque dulcedo est.

*Augustꝰ.*

Septima ad beatitudinem via, pacificorum est: de quibus Saluator ait: *Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur.* Hi sunt, qui nõ modò ipsi intra se & cum aliis peccati sunt, sed pacem quoq; inter alios conciliare student. Vt enim filiorum Diaboli munus est, clancularijs delationibus seminare discordias inter fratres: ita contrà filiorum Dei est, cunctos homines mutua beneuolẽtia diuincire. Amator enim & conditor hominum Deus, pacis & dilectionis est conciliator. Quo nomine Apostolus ipsũ pacis & dilectionis Deũ appellat, & alio in loco, Non est, inquit, Deus dissensionis, sed pacis. Esaias verò Christũ Dominũ principem pacis appellauit. Si igitur hoc Dei nomẽ, hoc munus, & officium est, meritò eius filij nuncupãtur, qui eius in hac parte imaginem

*Dissimil.*

*2. Cor. 13.*
*1. Cor. 14.*
*Esai. 9.*

imaginem referunt, qui totus in iuuandis & ſeruandis hominibus intentus eſt, quique adeò humanæ pacis ſtudioſus fuit, vt filium ſuum in mundum miſerit, qui recõciliaret ima ſummis, pacémque denunciaret his qui propè, & his qui longè erãt. Tales igitur iure beati cenſentur, qui in hac vita filij Dei ſunt, in futura verò hæredes regni eius erunt. Qua beatitudine quid maius excogitari poteſt?

Sequitur poſtrema & perfectiſſima beatitudo, quã magiſter cæleſtis in extrema ſacræ huius lectionis parte collocauit, cum ait, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Hæc enim vt extrema, ita ſumma huius vitæ fœlicitas eſt, ad quam cætera ordinãtur. Neque enim altius aut charitas, aut vlla præcedentium beatitudinum ire poteſt, quàm vt homo non modò iuſtus ſit, ſed etiam perſecutionem propter iuſtitiam patiatur. Vnde in hac re potiſſimùm Paulus gloriatur, cum ſe in tribulationibus gloriari dicit. Hanc autem viam Dei filius tota vita ſua nõ verbis ſolùm, ſed clariſſimis etiam exemplis docuit, quem virum dolorum, & ſcientem infirmitatem Eſaias appellauit. Ideoque Sponſa in Cant. illum faſciculum myrrhæ vocat, quòd tota eius vita atque doctrina vix aliud quàm cõgeries quædam & faſciculus amaritudinum, dolorum, lactymarum a que laborum fuerit. Quo fit, vt ille ſit fœlicior atque beatior, qui perfectiſſimo huic probitatis & ſanctitatis ſpeculo fuerit ſimilior. Huic autem beatitudini Dominus nõ vt in præcedentibus, futurum, ſed præſens promittit præmium, cùm ait: *ipſorum enim eſt regnum cælorum.* Iam enim guſtarunt bonum Dei verbum, virtutisque ſeculi venturi, qui non modò ſecundis fortunæ rebus, ſed aduerſis etiã ſuperiores facti ſunt, quas pro nihilo ducunt, dummodo interna quidem in præſenti, & æterna in futura vita fœlicitate potiantur.

*Rom. 5.*

*Eſaiæ 53. Cant. 1.*

*Hebr. 6.*

III.

Hę ſunt, fratres, certiſſimę vię quibus ad hanc duplicem beatitudinem peruenitur. Sed quoniam altera ſolùm inchoata, altera verò plena & perfecta eſſe dicitur, quid hęc poſterior ſit (quo vos alacriores ad has vias ingrediẽdas efficiam) paucis indicabo. Hæc igitur ſiue beatitudo, ſiue diuina merces (vt quàm breuiſſimè definiam) infinitum, ſummum pleniſſimum, & (vt ita dicã) vniuerſale bonum eſt. In eo namq; omnes omniũ rerum perfectiones & laudes, omnis dignitas, omnis honeſtas, omnis iucũditas, omnis decor & pulchritudo, ac denique bonorum omniũ ſumma cõtinetur. Deus enim qui rebus omnibus ſuã cuiq; perfectionem & decorem dedit, expers eius perfectionis & lau-

Bernard. dis esse nullo modo potest, quam aliis dedit. Hinc D. Bernard⁹ Miraris, ait, in Sole splendorem, in flore pulchritudinem, in pane saporem, in terra fœcūditatem, à Deo hæc vniuersa donata sunt. Nec dubiū quin multo amplius reseruauerit sibi quæ dederit creaturis. Quēadmodum enim stellarum omnium lumen à Solis lumine deriuatur (quarū tamen omniū splendorē vnus Sol nō modo continet, sed etiam multo auxiorē & ampliorem continet) ita creaturarum omnium siue terrestrium siue cœlestiū, siue corporeatum siue incorporeatū decor & pulchritudo à summo illo conditore profecta est: quarum tamen ipse pulchritudinem & perfectionem infinitis partibus ampliorem sibi reseruauit. Quid ergo miramur creaturas à creatore longè superari, cùm videamus creaturas à creatura, hoc est, sidera à Sole, splendoris magnitudine vinci? Quisquis igitur hoc summo & vniuersali bono in cœlis fruitur, omniū simul bonorū amplificata suauitate, omni decore & pulchritudine omni gloria & dignitate, omnique iucunditate & deliciis pleniſſimè fruitur. Quod quidē adeò verum est, vt si vel perfidū modò Iudā omnipotēs Dominus ab inferis euocaret, & vel vnius horæ spatio huius tantæ fœlicitatis cōpotem faceret: nullo modo posset hoc tēporis spatio non summa iucunditate perfrui, summoq; amore præsentem dominum diligere Sicut enim aperti oculi præsentē lucē, aut attētæ aures sonū vocis nō possunt non sentire, ita volūtas oblata summi boni specie nō potest toto nisu in illud non ferri. quæ cùm ita sint, vbi, quæ so, stulta mortalium auaritia est, quę huius tanti boni desiderio nō flagrat? Si enim videmus frequenter homines alicuius egregiæ pulchritudinis amore ita capi vt insanire quodammodo videantur quid isti facerent, si infinitam illam pulcritudinem, oculis vsurparent, ea quæ non ad horam, sed sempiternis seculorum ætatibus se fruituros esse crederent? Si enim vel vna corporeæ pulchritudinis guttula sic eos inebriat, quid facerent, si immensum illud diuinæ pulchritudinis pelagus ingrederentur?

Simile.

Simile.

Simile.

His etiam addendum est, huius boni fruitionem non ad vnū aliquem sensum, sed ad omnes corporis sensus, & animę vires permanare. Quod huius vitæ bonis nullo modo conuenire potest. Horum enim quędam aures melodia, quædam oculos venustate, quædam nares odoris fragrantia, quædā gustandi sensum saporis suauitate, quædā verò mētem dignitatis suæ specie demulcent, at hoc summum bonum, vt omnigenam in se pulchritudinem & decorem continet, ita quāuis intellectu po-

tissimum

pissimũ apprehendatur,sic tamen in omnes animi vires & sensus corporis exũdat,vt nihil in tota hominis regione sit quod nõ aliqua fœlicitatis huius communione potiatur.Ita fit vt in homine ad hunc modũ glorificato absorbeatur id quod mortale est à vita, & ipse homo hausta tot sensibus diuinitatis gloria in diuinam quodammodo naturam transeat.

Est ne aliquid quod huic tantæ fœlicitati addi possit? Est planè. Diximus enim paulò antè,his tantis bonis omnes sensus ac vires nostras eodem temporis momẽto frui.Quod in hac vita, vel ipso Aristotele teste,minimè contingit,qui vehementẽ alicuius sensus voluptatem aliorum sensuum voluptates,cum illa valde percipitur,impedire ait:Vt si quis, inquit,citharæ modulationi vehementer intentus, ea maximè delectetur dicentem oratorem,quãuis facundũ,aut non intelliget, aut minimã ex eius oratione capiet voluptatem. At summa illa& æterna fœlicitas sic omnes hominis vires afficit atque permulcet,vt nulli⁹ suauitas alterius suauitatem impediat,aut intercipiat: sed omnes simul suo quæque modo omnigena illa&multiplici iucunditate fruantur. Aristo.

Nunc iam,fratres,quasi è cœlo descendentes ad nos ipsos redeamus.Num igitur hæc omnia quæ diximus vera esse creditis?Nihil certè verius quàm quod veritas ipsa testata est.Num dignum esse arbitramini,vt omni studio ad hanc tantam fœlicitatem properemus,& hanc omnium curarum nostrarum primam esse ducamus,& aliquid etiam( cum ita opus fuerit)propter hoc tam ingẽs bonum patiamur?Non dubium quin illud etiam concessuri sitis.Concessisset certè D. Augustin. cuius hæc verba sunt,Tanta est pulchritudo iustitiæ,tãta iucunditas lucis æternæ,hoc est,incommutabilis veritatis atque sapientiæ, vt etiam si nõ liceret in ea amplius viuere quàm vnius diei mora propter hoc solùm innumerabiles,anni hui⁹ vitæ,pleni delitiis & circumfluentia temporalium bonorum ,rectè meritoq; contemnerentur.Quoniam melior est dies vna in atriis tuis super millia.Hactenus Augustin.Ex cuius verbis ita licebit argumentari:Si innumerabiles anni opibus atque deliciis huius mundi referti,propter vnius diei gloriam meritò contemnendi essent, quid quæso, propter sempiternam gloriam nullo vnquam die terminãdam,nos facere par est?Sia hæc igitur ita se habent,fratres,an æquum erit vt cum Propheta quæramus,Domine,quis habitabit in tabernaculo tuo?aut quis requiescet in monte sancto tuo?aut illud,Quis ascendet in montem Domini?aut quis stabit in loco sancto eius?Quis,inquam,adeò fœlix & fortuna- Augustin. Psal.83. Psal.14. Psal.23.

tus erit,qui ex hac ęrumnoſa lacrymarũ valle in ſuperas illas oras euadat,&beatarũ mentẽ choris adiunctus,conditoris ſui faciem lætus aſpiciat?

*Fœlix cæli quæ præſentem regem cernit anima,*
*Et ſub ſe deſpectat altam orbis volui machinam,*
*Solem, Lunam,& globoſa cum planetis ſidera.*

*Ex hymno Petri Damian.*

Si quis igitur huc pernenire deſiderat,habet in ſacra præſentis Euangelij lectione ſtratas ad cœlum vias, quibus eò peruenire queat. Quarum prima quidem eſt paupertas, qua immoderatam terrenorum bonorum cupiditatem à nobis abdicamus. Alia eſt lenitatis & manſuetudinis,qua illatas ſiue iniurias ſiue contumelias patienter & leniter propter Deum ferimus. Alia eſt lacrymarum & luctus,quo & ſclera noſtra,& aliorum etiã pio affectu plangimus,& pro vtriſque miſericordiã Domini deprecamur. Alia eſt ſanctorum deſideriorum,quibus ad virtutis&pietatis ſtudium incitamur,ſuppliciter à Domino petentes,vt nos deſideriorum noſtrorum cõpotes efficiat. Alia eſt miſericordię, qua (ſi nihil aliud præſtare poſſumus)affectu tamen commiſerationis, miſerorum vicem doleamus. Alia eſt cordis puritas atque mundities,qua omnem impuram cogitationem à corde noſtro ſummo ſtudio & celeritate excutimus,ne cęleſtis ſpõſi lectulum labe vlla inficiamus. Alia eſt charitatis & pacis,quam,ſi fieri poteſt(quod in nobis ſaltem eſt)cum omnibus hominibus retinere debemus. Poſtrema verò eſt,vt ſi propter hæc iuſtitiæ &pietatis officia præſtanda,aut rerum noſtrarum iacturam,aut dedecus ſubire neceſſe ſit,tunc ſe riò gaudeamus,&exultemus, quòd merces noſtra copioſa ſit in cœlis. Quò nos perducere dignetur, qui viam nobis ad gloriam ſalutaribus his monitis patefacere dignatus eſt. Cui eſt gloria & imperium per infinita ſecula ſeculorum,Amen.

## In eodem feſto omnium ſanctorum concio ſecunda, in qua lectio Euangelica explanatur.

THE. *Beati pauperes ſpiritu,quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.*

*Simile.*

QVod medici facere ſolent, cùm æger magno ciborum faſtidio laborat, hoc Eccleſia in hac ſacratiſſima Sanctorum omnium ſollemnitate agere videtur. Illi namque varia ciborum genera offerri languenti præcipuunt, fore videlicet ſperantes, vt in tanta ciborum varietate aliquid tandem inueniat,

niat, quod iacentem atque proſtratum edendi appetitum excitare valeat. Ad hunc ergo modum Eccleſia ægris multorum mentibus,& ſpiritualium rerum faſtidio laborantibus, ſplendidiſſimum hodie conuiuium inſtruit, omnigena dapium cœleſtium varietate apparatum, vt inter tam multa diuini ſpiritus fercula aliquid tandem inueniri queat, cuius auiditate & deſiderio mens noſtra capiatur. Proponuntur enim nobis hodie ſanctorum Patriarcharum,Prophetarum, Apoſtolorum,Martyrum, Confeſſorum & Virginum exempla, qui variis virtutum generibus ornati,ad eũdem ſempiternæ fœlicitatis portum peruenerunt. Si igitur tota nobis hodie ante oculos cœleſtis curia ponitur, ecquis noſtrum tanto diuinarum rerum faſtidio laborabit,vt non in hoc ſollemni epulo aliquid inueniat, cuius aſpectu delectetur?cuius pulchritudine capiatur? cuius guſtu & ſuauitate paſcatur?Neque verò à præſenti ſollemnitate Euangelica lectio diſſentit,quæ tam variis virtutum præceptis referta eſt, vt vix alia in tota Euangelicæ doctrinæ ſerie inueniatur, quæ tam breui verborum compendio tam multa ac varia Chriſtianæ vitæ documenta contineat. Ea verò eſt exordium ſermonis eius quem Saluator noſter cùm primùm cœleſtem doctrinam in mũdo diſſeminare cœpit, ad diſcipulos habuit.Cuius doctrinæ dignitatem ſanctus Euangeliſta initio ſtatim ſacræ huius lectionis non obſcuris indiciis deſignauit. Ait enim primò Dominum turbis quæ illum ſequebantur,in valle relictis, cum diſcipulis in montem aſcendiſſe. Quo argumento facilè oſtendit, ſe nihil in præſenti ſermone populare, nihil humile, & rudis vulgi auribus accommodatum, vel Phariſæorum & ſcribarum doctrinæ ſimile voluiſſe docere. Locus enim editus, mons à terra eleuatus,& cœlo propior, declarat, non terrena & humilia, ſed cœleſtia dogmata eſſe quæ in eo loco tradenda erant. Iam verò quòd ſermonem nunc ad ſolos diſcipulos,quos in ſalem & lucem mundi elegerat,habuerit,eius dignitatem,& doctrinæ altitudinem facilè demonſtrat.Quid verò illud quod ſanctus Euangeliſta ſubdit,E*t aperiens os ſuum docebat eos,dicens, Beati pauperes, &c.* Quorſum ait, *Aperiens os ſuum?* An quiſquam niſi aperto ore loquitur? An verò diuinæ hiſtoriæ ſcriptor verbis non neceſſariis luxuriari voluit? Nullo modo. Sed his tamen verbis docuit,alium eſſe qui videbatur, alium qui loquebatur:videbatur quidem homo, loquebatur latens in humanitate Deus. Homo quidem aperiebat os, ſed illud tamen implebat Deus, homo linguam in verba formabat, ſed plenitudo diuinitatis, & increata ſapientia Patris arcana cæleſtia humanis auribus inſpirabat. Hoc eſt autem quod

Hebr.1. tem quod Apostolus initio statim eius Epistolæ quam ad Hebræos scripsit, magnificis verbis amplificat, cum ait: Multifariè multisque modis olim Deus loquēs patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & secula. Opportunè autem hæc sacra lectio nobis hodie ab Ecclesia proponitur, vt varias virtutum formas variasque in cœlum eundi vias, quibus Sancti omnes quorum hodie memoriā colimus, ingressi sunt, agnoscere mus: quo per eas nobis aditum in cœlum paremus. Alioqui vehementer absurdum esset eos nos nolle sequi, quotum gloriam & fœlicitatem consequi desideramus. Vt igitur hanc sacram lectionem pio studio interpretari & audire valeamus, cœlestem opem, beatissimæ Virginis interuentu, supplices imploremus.

AVE MARIA.

Quia non sufficit vni cōcioni destinatū tempus vt has omnes beatitudines longa oratione explanare possim⁹, ideo breuiter pro ratione temporis earum vim & naturam explicare curabimus. Ad hoc tamen illud primo loco obseruandū est, omnes has beatitudines, arq; adeò omnes diuinas leges huc præcipuè tendere, huc spectare, vt nō modò externa virtutum opera: sed multò magis internam animi puritatem & chariratem constituant: quòd in ea præcipuè omnis mentis nostræ ornatus positus sit: quemadmodum regius Propheta de Ecclesia sub filiæ regis nomine testatur, cùm ait Omnis gloria eius filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus: hoc est, omnis hæc filiæ cœlestis regis gloria & ornatus quem prædicamus, non in bonis externis, quæ carnis oculos oblectant, sed intus in animo, qui diuinis oculis conspicuus est consistit, in quo pij hominis mens splendenti charitatis auro, variisque virtutū gemmis, atque diuinis opibus mirificè fulget. Hanc autem internā animę pulchritudinē magno affectu Apostolus ad Ephes. scribens postulabat, cùm diceret: Flecto genua mea ad Patrem Dñi nostri Ieu Christi à quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur (hoc est, ex quo & beatę mētes quę in cœlo sūt & homines qui in terra degunt originē trahūt) vt det vobis secundū diuitias gloriæ suæ (id est, gratiæ suæ, quæ eius maximè gloriā declarat) virtute corroborari per spiritum eius in interiori homine, Christum habitare per fidem in cordibus vestris in charitate radicati & fundati. Videtis hic omnia Pauli verba ad interni hominis puritatem & charitatem potissimùm dirigi. Quo fit, vt omnes sacræ cærimoniæ, cæteráque externa virtu-

Psal.44.

Ephes.3.

tum

tum opera (quæ nó minima pars Christianæ perfectionis sunt) hoc præcipuè nomine commendentur, quòd nos ad hunc internũ animæ decorem & elegantiam, hoc est, ad plenioré diuinitatis cognitionem, ad spem, ad amorem, ad timorem & venerationem diuinæ maiestatis plurimùm adiuuent. Sic olim Dñs cùm Paschalis agni sacrificium instituit, non hoc ea mẽte fecit, quòd animalium cruore delectaretur, sed vt eo sacrificij genere populũ suum ad veterum beneficiorum memoriam excitaret, quæ in eorum mẽtibus & diuinæ legis studium & diuini amoris ignem accenderet. Quod apertè idẽ Dominus significauit, cùm post huius sacrificij institutionem subdit, Et erit quasi signum in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos, vt lex Domini sit semper in ore tuo. In manu enim forti eduxit te Dominus ab Aegypto. Iam verò quid sibi vult, quòd tanta cura cauit, ne altare sibi ex lapidibus perpolitis atque dolatis, sed vel ex terra, vel rudibus lapidibus ædificaretur? Si enim, inquit, leuaueris cultrum super eo polluetur. Quid hoc ad cultum Dei, & religionis sanctitatem? Quid enim pollutionis: aut indignitatis, in lapidibus quadratis & perpolitis est? Sæpè fateor, hanc Domini legem demiratus sum, cùm ea verò nequaquã temerè lata sit, quid aliud in ea philosophari possumus, nisi quòd hac ratione Dominus animi simplicitatem ab omni calliditate & artificio alienam & internum animi cultum voluerit commendare? Perinde enim est, ac si diceret, Nollem vos, qui rudi & hebeti ingenio estis, existimare, me solo externarum rerum cultu & nitore oblectari, ideoque nullum à vobis apparatum & splendorem in altari meo requiro, non quòd templi mei ornatum non probem, sed quo faciliùs intelligatis, vestræ mẽtis puritatem, pietatem, nitorem, simplicitatem & cultum me à vobis potissimùm exigere, vt cùm nihil in altari meo magnificum, & maiestate mea dignum perspiciatis, interiori cultu & religione suppleatis, quod minus foris splendet ac fulget. Liquet igitur ex his, præcipuum Christiani hominis studium in hoc interioris hominis cultu ponendum esse. Vnde consequens est, vt omnes curas & cogitationes nostras huc præcipuè dirigere debeamus, vt omnes noxios animæ affectus & cupiditates à nostra euellamus, quæ nos ad terrena deprimunt, quæ intellectus aciem ad cælestia contuenda obtundunt, quæ tanto nos magis à diuino amore auocãt, quanto terrenorum bonorum amore incendunt. His enim, quantum fieri poterit, velut sentibus & tribulis à terra cordis nostri repurgatis, protinus vera charitas, humilitas, timor Domini, cæteraq; virtutum semina (in

Exod. 12.

Exod. 13.

Exod. 20.

quibus vera animæ puritas & ſanctitas conſtituta eſt) germinabunt. Hic igitur Chriſtianę vitę ſcopus eſt, hoc illa præcipuè intuetur, hoc omnes ſcripturarum paginæ ſemper inculcãt, huc deniq; ipſa Domini lex tendit, quæ vnico dilectionis præcepto continetur. Ex hoc autem fonte externa opera noſtra manere debent: quæ tanto erunt diuinæ menti gratiora, quanto magis & ad hunc charitatis finem tendunt, & ab eodem proficiſcuntur, vt idem videlicet earum & finis & initiũ ſit. Hoc ipſum autem hodierna ſancti Euangelij lectio maximè confirmat, cuius omnis ferè doctrina ad hunc internum animi cultum & ornatum præcipuè refertur.

Habet autem & aliam non vulgarem commoditatem hęc ſacra lectio, quod metum ac trepidationem illis adimit, qui virtutis viam, vt aſperam atque difficilem, ingredi detrectant. Hanc enim trepidationem, propoſitum vnicuique virtuti præmium, ſuaque beatitudo magno ex parte adimit. Hac enim ratione fit vt quod eſt difficultatis ac laboris in virtute propoſitũ, adiũcti prędmij ſolatio leniatur. Diuina enim ſapientia, quæ quibuſdam voluptatis illecebris animantia cuncta, ad ea quæ naturæ ſuæ conueniunt, trahit & inuitat, ſuas quoque virtutibus cunctis delicias & iucunditates appoſuit, vt earum dulcedine homines ineſcati, ad earundem amorem accędantur. Hoc autem facilè erit in præſenti lectione perſpicere, ſi harum beatitudinum naturam, & adiuncta ſingulis præmia excutiamus. Tunc enim intelligemus, nequaquam illas temerè beatitudines eſſe appellatas, ſed præter perfectam & pleniſſimam illam beatitudinem quæ illis in futura vita conſtituta eſt, aliam quoque, licet imperfectam & inchoatam, in hac eſſe propoſitam, quod iam nunc explicare incipiemus.

I.

Earum igitur prima eſt, paupertas ſpiritus, hoc eſt, volũtaria terrenarum rerum contemptio, quæ in ſumma etiam rerum copia eſſe poteſt, vt in Abraham, Dauide, & beato Gregorio Pontifice, qui in magna terrenarum opum abundantia conſtitutus minus eas diligebat quàm ſanctus quidã eremita catellam quã apud ſe nutrierat. Quod ſi roges: quænam ſit huius paupertatis beatitudo? Primum illa eſt, quòd ab immoderato diuitiarum amore & cupiditate liberat. Ab hac autem cupiditate liberari, id verò eſt omnium ferè peccatorum, quæ ab ea deriuantur, radicem abſcindere. Apoſtolo teſtante, qui ait, Radix omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & inſe ruerunt ſe doloribus multis. Hinc Eccleſiaſtic. Nihil eſt, in

*1. Tim 6.*
*Eccle. 10.*
*Ibidem.*

quit, iniquius

quit,iniquius quàm amare pecuniam.idémq; alibi,Auaro nihil est ſceleſtius.An parua igitur vobis hæc beatitudo eſſe videtur vno ictu peccatorum omnium radicem(in quibus vera animæ miſeria eſt)amputaſſe?Sed non modo peccatorum, ſed curarum etiam innumerabilium& moleſtiarum radicem abſcindit, cùm immodicum diuitiarum amorẽ ab anima pellit. Vbi enim vehemens alicuius rei amor eſt,ibi& amittendi metus,&parta tuendi cura,&plus habendi ſitis,& ira atq; triſtitia,cũ id quod ita diligimus,vel ab aliis impetitur,vel è manibus extorquetur vel caſu aliquo intercidit, & periclitatur. Sed vt nihil horum eſſet,omnis immoderata cuiuſque rei cupiditas tantũ in ſe pœnarum & cruciatuum habet,vt multi,quod ea conſequi nõ potuerint quæ ardentiſſimè deſiderabant, ſibi ipſis necem intulerint. Hoc autem quotidianis fermè exemplis animaduertimus. Pontanus Adoleſcentẽ quendã memorat, quòd ſpecioſa quadam virgine, quam perditè amabat,potiri deſperaſſet,in feneſtra,quæ contra virginis domum poſita erat,laqueo ſibi vitam eripuiſſe. Idémque refert, adoleſcentulam quandam ſe in puteum coniecciſſe,quòd ab adoleſcẽte,cuius ambiebat coniugiũ deſpecta fuiſſet. Quæ ideò retuli, vt his exemplis intelligatis, quantus ſit eorum hominum cruciatus,qui multa ſitienter appetunt,quibus potiri nequeũt. Quo etiã argumento intelligere licebit,eam eſſe fœlicitatem illius qui ſua ſorte contentus nihil extra ſe quærit,vt Seneca dicere non dubitauerit, Qui deſiderium clauſit,cum ipſo Ioue de fœlicitate cõtendat. Itaq; huius tanti Philoſophi iudicio ille fœlix habendus eſt qui nihil cupit hoc eſt,qui ſua ſorte cõtentus nihil aliud deſiderat,quàm quod habet. Cùm enim vir ſapiens intelligeret,beatitudinem eſſe deſiderij quietẽ, nihil mirum ſi eum fœlicem appellauerit:qui eo peruenit vt deſideriis ſuis finem impoſuerit. Hinc idem argutiſſimè veras diuitias deſideriorum paupertatem eſſe definiuit, illúmq; verè diuitẽ & beatum pronunciauit,non qui plurimum haberet,ſed qui minimũ cuperet. quod hoc argumẽto perſpici facilè poteſt. Si quis eger inexplebili fame laboraret,& multis dapibus abſumptis:eadẽ adhuc fame vrgeretur,alius verò qui ſano eſſet corpore,vno tãtũ ferculo cõtẽtus famẽ ſedaſſet,annõ hic meliori cõditione eſſet,minimo cibo cõtentus:quã ille qui tot abſumptis ferculis eadem fame cruciatur? Non ego ingens opum multitudo,ſed cupiditatis abdicatio quietem animis affert. Vnde idem Philoſophus ſapienter&eleganter ait,nihil intereſſe an habeas,an non concupiſcas. Cùm enim(vt antè diximus)beatitudo ſit quies deſiderij,multò ſanè fœlicior eſt, qui

*Pontanus lib. de Fortitud.*

*Idem.*

*Seneca in Epiſt.*

*Idem.*

*Similis*

*Seneca*

cùm nihil habeat, nihil cupit, quàm qui cùm plura habeat plurima cupiat. Meritò ergo inter has beatitudines paupertas voluntaria numeratur, quæ nos à tot corporis & animæ malis eripit, & infœliciſſimæ quietis & tranquilitatis portu conſtituit. Hoc autem mihi Dominus innuiſſe videtur, cùm primæ huius beatitudinis præmium præſentis temporis verbo ſignificauit, cùm in cæteris (poſtrema tantùm excepta) futuri temporis verba ſubiiciat, quod videlicet in hac vita incipiat eſſe beatus, quia ad hunc terrenarum rerum contemptum potuit peruenire. Verè enim fœlicitatis æternæ, cæleſtiq; ſtatus velut prælibatio quædã eſt, hæc mentis tranquillitas, & deſideriorum quies. Ad hanc autem
*Pſal. 65.* beatitudinem vos ego hodie inuito fratres, immo regius Propheta inuitat, cùmait, Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. Non putauit ſe facilè à nobis impetrare poſſe, vt cùm diuitiarũ cupiditate diuitias ſimul abiiceremus, ideoq; quod facilius infirmis eſſe videbatur ſuadet, ne diuitiis amore immodico iungeremur, hac enim ratione fieri poſſe, vt hanc ſpiritus paupertatem conſequi poſſemus, quæ non rerum abdicatione, ſed cupiditatis amputatione conſtat. Hoc autem quod ego à vobis, fratres, Chriſtianus à Chriſtianis exigo, gentilis Seneca ſe præſtitiſſe fatetur, qui ad Lucilium ſcribens, Romanorum alacritatem commemorat, qua ad naues ab Alexandri venientes properabant, quo rerum ſuarum ſtatum & rationem agnoſcerent. In qua
*Seneca* tanta omnium feſtinatione de negligentia ſua ſibi Seneca gratulatur, quamuis ad ipſum quoque ea res plurimùm pertineret, quòniam perinde atque Prophetæ noſtri vocem audiuiſſet, in magna diuitiarum affluentia cor ipſe diuitiis non admouebat. Itaque ait, magnam ſe ex hac negligentia ſua lætitiam percepiſſe, quòd ea res animum ſuum à diuitiarum ſeruitute & cupiditate liberum eſſe declarabat. Quod ergo gentili homini ratio & philoſophia præſtitit, cur nobis Euangelium, fides & futurorum bonorum expectatio, & Seruatoris noſtri imitatio, & doctrina & promiſſa non præſtabunt?

Secunda verò beatitudo, manſuetudinis eſt, de qua Dominus, *Beati*, inquit, *mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Sicut autem paupertas ſpiritus nos primùm ab ingenti cupiditatis tyranno eripit, ita lenitas & manſuetudo ab alio quoque truculentiori, nempè furore & iracundia liberat. Quæ enim inter omnes animi perturbationes efferatior, truculentior & immanior quàm iracundia eſt, quæ tot in mundo contentiones, tot rixas, tot diſſidia, tot homicidia, tot ſanguinolenta bella, tot denique ſtrages paſſim edit? Quæ perturbatio vehementius excæcat animum,

& à re

& à rectitudinis suæ statu deturbat atque deducit? Quid verò eius deformitatem referam? Ea namque irati hominis perturbatio & furor est, vt in ipso etiam corpore non obscura eius signa patefiant. Micant enim oculi, pallet vultus, cõcurrunt labra, tremunt genua, dentes quatiuntur, terra pedibus calcatur, & anhelus & concitatus spiritus internam animi tempestatem declarat. Ab hoc igitur immani tyranno mansuetudo hominem liberat. Quid tum postea? Primum quidem hominem Deo mira charitate conglutinat. Scitis enim similitudinem inter præcipuas amoris causas nũmerari, vir autem mitis Deo quàm similimus est. Hanc enim illi virtutem potissimum tribuit Propheta, cùm ait, Quoniã tu Domine suauis & mitis, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te. Iam verò quid aliud illa Domini Saluatoris verba prædicant, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde? Qua de causa idem Dñs frequentissimè in literis sanctis agnus appellatur. Vnde cõsequens est, vt agnus agnos, mitis mites, & mãsuetus mansuetos, tanquã sui similes, per amorem sibi applicet atq; coniungat. Nec solũ Deo, sed hominibus etiã miro modo grata amabilis mansuetudo est. Quod quidem Eccles. testatur his verbis, Fili, in mansuetudine opera tua perfice, & super gloriã hominum diligeris. Contrà verò de iracundo homine ait: Spiritũ verò ad irascẽdũ facilẽ quis poterit sustinere? Cuius rei vel illud argumento esse potest, quod Plutarchus ait, nempè seruos venditioni expositos, de dominis, quorum seruitio mancipandi sunt, quærere solitos, non quidem an superstitiosi, superbi, violenti, sed an iracundi, morosi & intractibiles sint. Hoc est enim quod omnes homines, ac præcipuè serui maximè horrent atque formidant. Sunt igitur mansueti Deo atque hominibus amabiles atque iucundi, sed multo magis erga se ipsos benefici, grati atque iucundi sunt. Vt enim idem Plutarchus rectissimè ait: Quamuis cæteris hominibus suauis & grata mansuetudinis virtus sit, nulli tamen quàm eam possidenti gratior atque iucundior est.

*Psal. 85.*

*Matt. 11.*

*Esa. 53.*

*Ioan. 1.*

*Apoc. 7.*

*Eccle. 3.*

*Prou. 18.*

*Plutarc.*

*Idem.*

Sed quid sibi vult, quòd beatitudinis huius præmiũ Dñs esse statuit, possidere terrã? Certè cõstat Dominũ nequaquam de hac terra, quã pedibus calcamus (quam mites non possident) sed de terra viuentium fuisse locutum, quam antea communi & proprio nomine regnũ cœlorum appellauerat. Cur ergo modò noua hac voce vtitur? Hoc planè mihi inuuisse videtur, quòd cùm nemo lenitatis & mansuetudinis virtutem diu retinere possit, nisi qui omnibus in rebus quæ in controuersiam contentionemque vertuntur, iuri suo cedat, magisque vel honoris, vel rerum suarum,

rum,quàm virtutis huius iacturam facere paratus sit : iustum profectò est vt ab æquissimo iudice rerum omniumdominium ac possessionem accipiat,qui propter eius gloriam extorquenti tunicam dimittit & pallium,& percutienti vnam maxillam,præ
*Matt. 5.* bet alteram,ne lenitatis & mansuetudinis virtutẽ amittat.Sicut ergo Dominus relinquenti propter se omnia centuplum simul cum vita æterna promisit:ita amittenti propter illum sua rerũ
*Matt.19.* omnium possessionem tribuit:vt multo videlicet maiora recipiat,qui propter illum parua contempsit.

II.

Sequitur deinde,*Beati qui lugent,quoniam ipsi consolabuntur.*Hic dicet aliquis, Qui fieri potest,vt qui lugent;beati sint? Duplex est luctus,sicut duplex etiam tristitia est,quemadmodum in superiori concione diximus.Hoc autem in loco non de luctu siue tristitia seculi,sed de pio luctu lacrymisq; sermo est. Est autem multiplex huiusmodi luctus , qui nunquam lætitiæ & beatitudinis cuiusdam prorsus expers est. Sunt enim lacrymæ,quas
*Esai.38.* peccati dolor:sunt quas exprimit Christi amor:& vtręque sanè dulces sunt.Lugent enim verè pœnitentes,dum recogitant omnes annos suos in amaritudine animæ suæ.Hi autem lugent,&
*August.* dolent,sed tamen,vt D.August.ait,de ipso suo dolore gaudent.
*Simile.* Sicut enim sanitatis signum est vulnerum dolor,ita spiritualis salutis & gratiæ vehemens peccatorum dolor existit.Lugent etiã qui Dei amore ardent,ad patriam suam peruenire cupientes,& videndi cælestis sponsi desiderio flagrantes,quo modo lugebat
*Psal.41.* ille qui dicebat;Fuerunt mihi lacrymę meæ panes die ac nocte dum dicitur mihi per singulos dies,Vbi est Deus tuus?Et in his quoque lacrymis mira suauitas est;ideoque panes suos appellat eas Propheta ; quòd quemadmodum corpus panibus , ita pia mens huiusmodi lacrymis reficitur,pascitur,& mirificè delectatur.Vtrasque autem has lacrymas Diuus August.à Domino po-
*August. in medit.* stulabat,cùm ab eo irriguum superius,& irriguum inferius peteret. Vtriusque enim meus eius reficiebatur,siue cùm peccata deflereț,siue cum patriæ cælestis desiderio æstuaret. Sunt etiam suauissimæ illæ lacrymæ,quæ ex diuinarum rerum contemplatione oriuntur:quales eiusdem beati viri erant de quibus Ecclesia canit; Flebat autem vberrimè in hymnis & canticis,suauè sonantis Ecclesiæ vocibus vehementer affectus. Voces enim
*2.Cor.12.* illæ influebant auribus eius,&eliquebatut veritas in corde eius & fluebant lacrymæ,& benè illi erat cum eis. Postremò sunt & aliæ compassionis lacrymæ,quibus secundas,ad Corinth. literas Apostolus lacrymis interlitas se mittere ait,subdit enim;

Vt lugeam

Vt lugeam multos ex his qui peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper iniquitate & immunditia quam geſſerunt. Quæ ſit autem huiuſmodi lacrymarum beatitudo, qui ſcire volet, octauum & nonum Ezechielis caput legat: in quo Dominus ſex armatis viris Ieroſolymorum vaſtationẽ committit: & ne ſenibus quidem, aut infantibus, aut mulieribus, aut vlli ſexui, & ætati parcant, edicit. Inter hos autem armatos homines aderat vnus, non armis, ſed lineis veſtibus indutus: cui Dominus præcepit, vt tranſiens per mediã ciuitatem ſignaret Tau ſuper caput virorum gementium & dolentiũ ſuper cunctis abominationibus quæ fiebant in medio eorum. Hæc igitur à communi clade & vaſtatione liberatio, an non pars quædam beatitudinis & fœlicitatis eſt, vt aliis pereuntibus tu incolumis maneas, aliis turbida tempeſtate iactatis, tu in portu nauiges, abſcondatque te Dominus in tabernaculo ſuo in die malorum. Hoc eſt. n. quod regius Propheta deſignauit cũ ait; Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus, vt liberentur electi tui. Videtis ergo fratres, quàm multiplex ſit eorum qui lugent, beatitudo & conſolatio. Sequitur deinde.

*Ezech.*

*Pſal. 59.*

*Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabantur.* Iuſtitiæ proprium munus eſt, vnicuique quod debitum eſt, fideliter reddere. Quid autem (vt D. Aug. ait) magis debitum & iuſtum eſt, quàm vt benigniſſimo conditori noſtro pareamus? clementiſſimum redemptorem diligamus? rectiſſimæque voluntati eius voluntatem noſtram ſubiiciamus? Ex quo ſatis liquet, totius iuſtitiæ ſummam obedientia & charitate in Deum contineri. Vnde D. Aug. de charitate agens. Charitas, inquit, inchoata, inchoata inſtitia eſt (charitas prouecta; prouecta iuſtitia eſt, charitas magna, magna iuſtitia eſt; charitas perfecta, perfecta iuſtitia. De obedientia verò Saluator ipſe ad Patrem ait; Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi; hoc eſt, eas promptas atque perfectas ad obediendum tibi reddidiſti. Quem etiam ſenſum illa Apoſtoli interpretatio facit; Corpus autem aptaſti mihi: hoc eſt, aptum ad tibi in rebus omnibus obtemperandum effeciſti. Itaque cæteris veteris legis ſacrificiis & cærimoniis antiquatis, hanc vnam obedientiam (quæ diuinorum præceptorum obſeruatione continetur) à nobis tanquam perfectam iuſtitiam requirit. Huius autem ſpiritualis famis & ſitis, qua hanc iuſtitiam deſideramus, præmium Dominus ſubiicit, cum ait, Quoniam ipſi ſaturabuntur. Huiuſmodi enim deſideria implere ſolet ille de quo ſcriptum eſt, Nõ affliget Dominus fame animam iuſti. & Deſiderium pauperum

*Aug. 29. de Ciui.*

*Auguſt. natura & gratia*

*Pſal. 30.*

*Heb. 10.*

rum exaudiuit Dominus. Nec enim pius Dominus sancta desideria in suorum cordibus accendit, vt eos miserè desiderando torqueat, sed vt ea misericorditer impleat. Qua in re ingés inter spiritualia & carnalia desideria discrimen annotare licet. Spiritualia namque desideria suauitatem: carnalia verò sitim atque cruciatum afferunt. Illis enim omnipotens Deus animi quietem promittit: hæc verò (cum vacua & inania bona appetant) præbere nequeunt quod non habent. Quomodo enim quod breue & momentaneum, quod egenum, fallax & lubricum est, mentem hominis Dei pacem, implere poterit? Vnde eleganter Gregor. Nyss. cor carnalibus desideriis æstuans, pertuso vasculo comparat: quod vbi primum liquorẽ percipit, eoque paululum superficies eius madescit, à se protinus effundit. Si enim non effunderet, impleretur, si verò impleretur, nihil amplius cuperet, cupit autem: vnde consequens est, nequaquã eo impletum fuisse quod perceperit. Qua ex re liquet, è terrenis bonis nihil improbos amplius quam spem inanem, ac desiderium habere: desiderium, quo crucientur: & spem inanem, qua frustrentur. Quo argumento Henricus Susonius colligit, carnales homines hisce desideriis æstuantes, damnatis in gehenna hominibus esse persimiles. Improbi namque homines nec spiritualibus deliciis, ob vitia sua, fruuntur, neque item carnalibus; quoniam protinus velut è vase pertuso elabuntur & effluunt. Qui quamuis modo tenebris obcæcati dementiam suam non agnoscant, vbi tamen reddendæ rationis tempus aduenerit, apertè cernent, quanta dementia fuerit, oblata à Deo bona repudiare vt iis bonis potiantur quæ illis mundus concedere noluit. Vtroque enim nomine se miseros esse intelligent: & quòd vera & solida bona cõtempserint: & quod falsa & inania assecuti non fuerint. Cæterum spiritualia bona, cum vera & perfecta bona sint, & autorem Deum secum afferant, miris modis mentes hominum replent, sanant atque reficiunt.

*Gregor. Nyss.*

Sitientibus iustitiam additur quinta beatitudo, præstantium misericordiam. *Beati*, inquit, *misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Hos Grego. Nyss, ait verè beatos appellari, quòd Dei munus & officium inter homines exerceant; cuius est misereri semper & parcere. Quo nomine non tam beati, quàm Dij quodãmodo, vel filij Dei appellandi sunt: quando sic ad viuum eius imaginem miserando referunt. Qui (vt D. Basil. eius frater ait) hoc nomine misericordiam suam vel maximè declarat, quòd eam præcipuè misericordibus impendit, Iacobo Apostolo testante, qui ait Iudicium sine misericordia ei qui non fecerit mi-

*Gregor. Nyss.* *Basil.* *Iacob. 2.*

rit misericordiam. Contrà verò Dominus, *Beati*, inquit, *misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Talem enim erga se Deum inuenient, quales ipsi se hominibus exhibuerunt. Vnde eleganter idem Grego. Deum purissimo cuidam speculo compa rat, quod perfectè eam imaginem refert quam ante illud propo nis, siue lætã, siue tristem, siue formosam, siue deformem. Quæ quidem varietas non ab ipso speculo, sed ab imaginum varietate, quæ illi obiiciũtur, emanat. Pro comperto igitur habeatis, fratres, hoc eodem modo, cum extremus ille dies adierit, iudicis faciem aut placabilem aut implacabilem, aut hilarem aut tristem vos esse visuros, qualem vos fratribus in hac vita exhibuistis. Quam rem Propheta significauit, cum Deum cum sancto sanctum, cum electo electum, cum innocente innocentem, & cum peruerso peruersum, hoc est, seueriſſimum vindicem fore prædixit. *Gregor. Nyss.* *Psal. 17.*

Quàm sit verò rara & præposterа multorũ hominum misericordia, vel hoc argumento prospicitur: quod cum misericordia iuxta D. Bernardi sententiã, duas præcipuè partes cõplectatur, quarum altera in sceleribus hominũ prohibendis, altera in eorũ miseriis subleuandis versatur; adeo præposterè se multi in hac parte gerunt, vt proximorum flagitia non solũ non prohibeant, verũ se etiam socios ad ea perpetranda adiungant, laborantium verò miserias ne obolo quidem impenso subleuare velint: vtpote qui animarũ suarum prodigi, pecuniarũ verò auidissimi dispẽsatores sint. Hos autẽ idem D. Bernar. legitimos Adæ filios: eius mores ad viuũ exprimentes, esse ait, qui facilè se vxori peccanti sociũ præbuit, peccati verò pœnam sustinere noluit, sed in sceleris consortem retulit. Ad hunc ergo modũ isti facilè peccatis aliorũ patrociniũ præstant, nullum tamen siue laborem, siue rerũ suarũ damnum propter illos perpeti volunt. Tales igitur futuræ vindictæ consortes habebunt, quibus se crudeli misericordia criminum socios exhibuerunt. III. *Bernard.* *dem.*

Sequitur deinde, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Magna certè beatitudo, cui tam ingens præmium proponitur. Quid enim maius quàm diuinam speciem & pulchritudinem puris oculis intueri? Qui igitur ad hanc fœlicitatem peruenire desiderat, puritati cordis studeat, eamque (vt Ioannes Cassianus docet) vitæ suæ scopum statuat. Cæterum quia puritas hæc non solum à peccatis, sed ab ipsis etiam terrenarum rerum desideriis, earundem que imaginibus mentem puram illibatamque conseruat: rerum autem imagines aditum sibi in animam *Cassia.*

mam noſtram per corporis ſenſus patefaciunt: ideò qui huic puritati ſtudet, ſenſus etiam ſuos, quantum fieri poteſt, ſtudet
*Simile.* ne per res varias diffluentes, variis tum cupiditatibus, tum imaginibus puritatem mētis inficiant. Qua in re venatorum ſollertiam imitari videntur, qui accipitrum, quos in manu geſtant, oculos iniecto tegumento operiunt, ne facilè circumuolantium auium, aut aliarum rerum ſpecie exagitentur. Hac enim arte omnes eorum inanes volatus impetusque coercent & quietis illis menſuetisque vtuntur. Quod quo commodiùs multi ſanctiſſimorum virorum facerent, turbis vrbium derelictis inuias ſolitudines petiuerunt, ne quid eſſet quod oculis, & auribus vſurpare poſſent, quo eorum mentes à iugi diuinarum rerum commentatione auocarent. Sed quis hac in re eorum curam & prouidētiam pro dignitate explicare queat? Rem dicturus ſum incredibilem, ſed non minus certè veram. Sanctus Antonius,
*Athana.* Athanaſio referente, viginti continuis annis in quadam domūcula ſiue ſpecu recluſus, ſic ab omni rerum humanarum commercio ſemotus vixit, vt cùm ſemel in anno familiaris quidam ei panes afferret, quibus ſolis veſcebatur, ne vnum quidem verbum cum commeatus illius delatore loqueretur. Quid hoc ſi-
*Theod.* lentio mirabilius? Theodoretus verò in hiſtoria religioſa aliud non minus mirabile refert, nempe ſanctum quendam ex priſcis illis Anachoritis, in cuiuſdam montis latere habitantē quoniā incautè aliquando oculos in ſubiectam vallem demiſiſſet, vt arantes agricolas cerneret, catena ferrea collum ita ligauiſſe atq; depreſſiſſe, vt nunquam poſtea quicquam aliud niſi ſubiecta m pedibus terram videre poſſet. Abbas verò Siluanus cùm hortulum foderet, ſic cuculla oculos tegebat, vt nihil aliud niſi terrā, quam ſubigebat, cerneret. Quàm multa erant hoc loco dicenda, quàm multa miranda, quantóque plura vobiſcum expoſtulanda? Sed hæc tamen omnia fratres, quoniam ad finem properat oratio, vobis expendenda, & cum ætatis noſtræ moribus conferenda relinquo.

Sequitur deinde ſeptima beatitudo: *Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur.* Triplicem quidem pacem ſancti Patres eſſe ſtatuunt: aliam, qua pacem cum Deo: aliam, qua cum hominibus: tertiam, quam nos ipſi intra nos habemus, quando videlicet affectus noſtri, & inferiores animæ vires aduerſus rationis imperium minimè reluctantur, ſed eius præceptis & moderationi obtemperant. Quia verò triplicis huius pacis beatitudinem atque delicias, quibus in hac etiam vita pij fruuntur, breuis oratio complecti non poteſt, poſtremam beatitudinem ſubiiciamus.

Beat

*Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Hic forsan dicet aliquis: Fateor, beati isti erunt, quibus cælestis regni præmium constitutum est: quomodo autem in præsenti vita beati appellãdi sunt, qui persecutionibus & maledictis hominum conscinduntur? Ostendam qua ratione hi quoque modo beati sint. An vlla maior beatitudo, quàm Dei amicum esse, & gratiam apud illum inuenisse? Certè nulla. At constat planè ex communi sanctorum Patrum sententia nullum esse diuinæ gratię signum certius, quàm libenter, & æquo animo varias propter Deum persecutiones perpeti, vel ipso Apostolo testãte, qui hoc nomine se in tribulationibus gloriari ait, quòd tribulatio patientiam operetur, patientia verò probationem, hoc est, quòd tanquam aurum igne exploratum, ita hominem Deo tribulationis igne excoctum & probatum reddat. Quis autem hoc tãtæ salutis signo non etiam in mediis persecutionibus gaudeat? Si enim auarus ille diues apud Poëtam populi conuicia irridebat, dicens, *Rom.5.*

*Populus me sibilat, at mihi plaudo.*
*Ipse domi simul ac nummos contemplor in arca:* Horat.1. sermon. sat.1.

quomodo non persecutiones, & maledicta hominum contemnet, qui intra conscientiam suam hoc tam magnificum gestat testimonium, quòd omnipotentem Deum amicum & parentem habeat, quòd illi gratus & dilectus filius, regnique eius hęres institutus sit? Quis enim hac tam magna veræ fœlicitatis coniectura non in hac etiam vita incipiat esse beatus? Gloria enim (inquit Apostolus) nostra est testimonium conscientię nostrę. 1.Cor.1.

Hęc sunt, fratres, itinera quibus ad sempiternę salutis portum peruenitur, hę virtutes, quibus ingens ea merces proposita est, de qua Saluator in præsenti lectione ait, *Gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in cælis.* Sed quis tamen pro dignitate mercedis huius magnitudinem explicare queat? Vt enim D. Augustt. ait. Quod Deus pręparauit diligentibus se, fide non capitur, sed non attingitur, charitate non comprehẽditur, desideria & vota transgreditur, acquiri potest, æstimari non potest, Hac autem tanta mercede proposita quid arduum ac difficilè homini Christiano offerri potest, quod non libenter & alacriter amplectatur? Cùm D. Catharina Martyr Maxentij tyranni iussu in carcere custodiretur, & Porphyrius militiæ princeps clam noctu ad eam veniẽs, quę sibi à Christo merces esset proposita, si in illum crederet, interrogasset, illáque cælestis ei præmij magnitudinem exposuisset, sic illum in fide & pietate con

 firmauit,

firmauit, vt martyrium pro ea libenter subierit. Ego verò vos fratres, non ad martyrium hodie, sed diuinorum mandatorum leuissimam sarcinam ferendam eodem proposito præmio hortor & inuito. Quòd si mercedis dignitatem scire cupitis, mercesipsa, Deus est: quemadmodum ipse olim Abrahæ significauit, dicens, Noli timere Abraham, ego protector tuus, & merces tua magna nimis. In Euangelio quoque idem Dominus fideli seruo ait, Euge serue bone & fidelis, &c. intra in gaudium Domini tui. Videtis ergo idem gaudium & domino & seruo commune esse.

*Genes. 15.*

*Mat. 25.*

Sed ipsius Domini gaudium & fœlicitatē expendamus. Fœlicitas eius est, immensam atque infinitam pulchritudinē suam pleniſſimè videre, illamque infinito amore complecti, eademq; sine intermissione frui, qua quidem is in se ipso perpetuo fruitur. Quæ fœlicitas tāta est, vt nec huius mūdi pulcherrimo opere, nec si innumerabiles ab eo rursum conderentur (quod is planè vnico momento faceret) vlla ei accessio fieri posset, non magis quàm si Oceano mari vnius guttæ aquam adieceris. Hęc igitur plena & summa Dei fœlicitas est, seipsum videre, & immēsa imaginis suæ, hoc est, verbi sui pulchritudine frui, in qua nihil est quod non videat, nihil quod non inelligat, nullumq; bonum est quo non fruatur. Quæ quidem fœlicitas tanta est, vt ea sola vastissimus ille atque immensus diuinæ mētis sinus perfectè impleatur, nullāque ei prorsus accessio fieri possit.

Cùm igitur à me quærebatis, quænam esset futura hominis merces & beatitudo? Hanc eandem esse denūtio, quam vnius Dei propriam esse dixi. Sicut enim is reuelata facie infinitam pulchritudinem & decorem suum videt, & infinito amore diligit: ita nos quoque illum videbimus, amabimus, eoq; fruemur; quamuis illius infinitæ pulchritudinis immensitatem comprehendere minimè valeamus. Hinc Ioan. ait, Filioli, nūc filij Dei sumus: sed nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus. Quonā modo? Nimirum, quia videbimus eum sicuti est. Hæc enim est eius gloria & fœlicitas. Quid ergo maius omnia mortalium vota in vnum collata optare potuisseut? Quis enim in nubibus æquabitur Domino? similis erit Deo in filiis Dei? Si ergo neminē Propheta inter filios Dei, hoc est, inter Angelos (si eorum tātùm naturam spectes) similem Deo esse ait: quale, quæso erit, homuncionem ex limo terrę concretum, non ad Angelorum modò, sed ad Dei similitudinem eleuari, & eius glorię consortem fieri? Non igitur ita se Dominus maiestatis cū electis suis, atque reges terrę cum

*1. Ioan. 3.*

*Psal. 88.*

*Dissimil.*

cum famulis gerunt. Alio enim serui cultu, alia mensa, aliis dapibus & apparatu vti solent. At summus ille cœlitum imperator & Dominus eadem nos tunica immortalitatis vestiet, eadé nos mensa, eodémq; cibo alet, quando eiusdem nos fœlicitatis particeps efficiet. Sic enim vnigenitus eius Filius ait, Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mẽsam meam in regno meo. Idem autem ipse qui hoc promittit, sanguinis sui pretio nobis hoc tantũ munus mercatus est. Per illum enim cœlestis Pater (vt Petrus Apostolus ait) maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt videlicet diuinę efficiamur consortes naturę. Quamuis autem hęc tanta fœlicitas omnem humanæ intelligentiæ vim longè superet, idem tamen qui eam nobis promeruit, credibilem etiã fecit. Verè enim maius est, Deum humanitatis nostræ assumptione hominem fieri, quam hominem diuinitatis participatione diuinam imaginem induere. Si ergo immensa diuinæ bonitatis largitas, quod maius est, contulit, quod minus est, vtique donabit. Hac ergo tam fœlici spe atque mercede proposita, fratres, omnem torporem & somnum ab oculis excutere studeamus, per has beatitudinis semitas, quas vobis hodie Saluator exposuit gradiamur, vigilemus, oremus, Sanctorum omnium, quorum solemnia celebramus, opem imploremus, illos nobis patronos, illos vitæ duces illos virtutum nobis exempla proponamus: vt ipsorum precibus: & clarissimis exemplis adiuti, ad eorum tandem societatem peruenire mereamur.

Luc. 22.

2. Pet. 4.

## In eodem festo omnium Sanctorum concio tertia; in qua de vera beatitudine, deq; itineribus quibus ad eam peruenitur, ac de multiplici Sãctorum varietate (quæ miram diuinæ gratiæ & sapientiæ vim declarat) paulò fusius disseritur.

THEMA. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Matth. 5.

DVo sunt in primis, fratres charissimi, scitu necessaria iis qui aliquo proficisci parãt: alterum locus ipse quo tendunt: alterum, via qua ad illum tendere debeant. Nos autem, fratres quamdiu in hoc mortali corpore degimus, in itinere constituti sumus. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futurã inquirimus. Aduenæ siquidem in hac regione & peregrini sumus

Hebr. 13.

mus: ſicut omnes patres noſtri qui ex ea tãquam peregrini alio commigrarunt: velut & nos quoq; ſuo tẽpore commigrabim⁹. Quocirca neceſſe eſt, vt quo tendimus, & qua via tendendum nobis ſit, ante omnia cognoſcamus. Vtrumque autem ſine vllo errore nos præſens ſancti Euangelij lectio docet. Cùm enim in fine Dominus ait, *Gaudete & exultate, quia merces veſtra copioſa eſt in cœlis*: apertè quo tendamus, declarat: nẽpe, ad cœleſte regnum, in quo hæc merces copioſa percipienda eſt. Cùm verò octo clariſſimarum virtutum genera (quas beatitudines appellat) enumerat, itinera oſtendit quibus ad hoc beatitudinis regnum peruenitur. His námque itineribus Sancti omnes (quorum hodie feſtum ſollemni deuotione recolimus) ingreſſi ſunt. Omnes enim per varios labores atque certamina has virtutes coluerũt, & per eas tanquam per gradus quoſdã aditũ ſibi ad hoc regnũ parauerunt: vt in præſenti concione latius demõſtrabimus. Hac enim ratione, his exemplis vos ad eorum imitationem incitare tentabimus, vt qui deſideratis patriã, viam qua ad illam itur, minimè refugiatis. Vt autem ad hoc nos pia mater Eccleſia (quæ in noſtras ſemper vtilitates intenta eſt) acriùs incitaret, omnium hodie Sanctorum feſtum ſollemni deuotione celebrandum inſtituit: non ſolùm vt infirmitatem noſtram multiplicatis eorũ ſuffragiis adiuuaret, ſed etiam vt torporem atque deſidiam noſtram tot propoſitis exemplis ad eorum imitationem accenderet. *Simile.* Vt enim rerum conditor Deus poſt vniuerſam huius mundi fabricam hominem condidit, qui rerum omnium inſtar eſt (ideóque minor mundus appellatur) ita nunc Eccleſia, quæ ſigillatim cæteris voluentis anni diebus Sanctorum feſta celebrat, hoc vno die in fine prope labentis anni, vnum hunc diem ſacrauit in quo omnia ſimul eorum feſta meritis laudibus celebraret, vt hoc argumento intelligatis, fratres, qualis eſſe debeat noſtra deuotio, ſi huic tantæ ſollemnitati reſpondere debeat. Vt hoc autem præſtare commodè valeamus, cæleſtem opem, ſacratiſſimæ Virginis interuentu, ſuppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Quoniam beatitudinis nomẽ toties in lectione ſancti Euãgelij hodie inculcatur, quid ea ſit primo loco explicandũ nobis eſt. Ea verò eſt (vt quàm breuiſſimè dicam) ſtatus optimus atq; perfectiſſimus, vltiſſimáq; perfectio, ad quam humana natura partim diuina gratia, partim induſtria & labore ſuo adiuta peruenire poteſt. Vt autẽ hoc aperti⁹ intelligatis ſtatuendũ eſt quod quamuis omnia quæ Deus in hac tanta rerum vniuerſitate cõdidit, in ſuo quæque genere perfecta ſint (Vidit enim Deus cũ- *Genes.1.*

cta quæ

cta quæ fecerat,& erant valdè bona)nihil tamen in prima illa sua conditione(cœlos & sidera omitto) adeò numeris omnib⁹ absolutum & perfectũ fuit,vt non vel arte,vel natura, vel gratia perfectius reddi posset,atque ita ad perfectissimũ naturę suę statum peruenire. Vtque ab infimo rerum omnium incipiam, metalla,gemmæ,atquælapilli,quæ rudia & inculta è terræ visceribus eruuntur arte,purgantur,& expoliantur,& nouum quendam nitorem capiunt. Arbores cultu nutriuntur & à paruis initiis ad iustam magnitudinem excrescunt. Quod etiam cunctis animantibus contingit,Supernæ verò illæ mentes, quæ perfectissimæ à Deo cõditæ sunt in quibus nobilissima natura variis gratiarum muneribus exculta & ornata fuit,posteaquam se in Deum erexerunt,& præclaris donorum gratiarúmque muneribus in laudem conditoris retulerunt,non solũ in gratia confirmatæ,sed æterna etiam fœlitate donatæ sunt. Quid verò inter hæc naturam humanã cõmemorem?quę inter corporeas & incorporeas creaturas,veluti quidam mundi nodus,media constituta est.quæ.n.inter creaturas omnes aut altius ascendere,aut inferius deprimi potest?Cùm enim homo inter Angelos&animantia cætera medium quendam locum obtineat, cosequens est,vt intellectu,& mentis acumine,quandoque Angelicæ naturæ sit proprior,quãdoque verò tarditate ingenij vix vno gradu distet à brutis.Vnde videre est quosdam homines pecudib⁹ similes quosdam verò paulo Angelis inferiores. Quid enim Æthiopum quorundam stupiditate rudius? Quid verò Aristotelis & Platonis mentis acumine sublimius? Et vtrique tamẽ eiusdẽ humanæ naturæ consortes existunt. quòd si ad supernaturalia dona trãseas,videbis,homines diuinæ gratiæ muneribus sic ornatos & exultos,vt(quẽadmodum Dyonysius Carthusiait)nõ solùm inter infimos,sed inter supremos etiam Angelorũ ordines meritò collacandi sint. Quidni? Si enim Angeli nullo suo labore, sed simplici quadam in Deum conuersione ad tantum gloriæ culmen euecti sunt,cur homines,qui quamuis fragili natura & carne circundati sint,cælestem tamen vitam in terris tot annos meditati sunt,non eiusdem gloriæ dignitatem adipiscãtur? Quam enim coronam beatus Hilarion Abbas post incredibilem carnis macerationem non promereatur, qui morti tam proximus,auctore Hieronymo,qui eius vitam conscripsit:animosam illã vocẽ protulit:Egredere anima, quid times?septuaginta annis Christo seruiuisti,&adhuc mortẽ times?Quid Paulum memorẽ?de quo idem auctor ait, quòd cùm post solitariã vitã tot annos in eremo actam cum beato Antonio ad refectio

*Dionys. Carth.*

*Hieron.*

*Idem.*

nem consediſset, & coruus integrum panem in medium proiecisset, Septuaginta, inquit, anni sunt, quibus à Christo dimidiatum panem accipio, nũc ad aduentum tuum militibus suis Christus duplicauit annonam. Iam verò quid hic Ignatium, Laurentium, atque Vincentium commemorem, qui tam multa, & immania propter Christi gloriã pertulerunt tormenta? An non hi inter supremos etiam Angelorum ordines sedem accipiẽt, quam tam horrendis cruciatibus meruerunt? Nec viri modò, sed insignes etiam fœminæ sedes easdem promeritæ sunt. Vt enim aliarum fœminarum agones & stupenda certamina prætereamus, tres matres legimus, vnam quidem in veteri, duas verò in nouo
2. Mac. 7. testamento, quarum quæque septem filios vnius diei spatio ante oculos suos propter Dei gloriam excarnificari, & atrocissimis tormentis mactari passa est. Hoc enim in veteri testamento septem fratrum Machabæorum mater, hoc in nouo Symphorosa
Gregor. & Fœlicitas cum septem quæq; filiis pertulerunt: quarum Fœlicitatem D. Gregor. meritò octies martyrem appellat. Passa est enim septies in corporibus filiorum, at demum in corpore proprio. An non igitur hæ dignæ sunt vt à Domino inter Principes Angelorum numerentur? Quid verò beatissima Virgo? An non ipsa cùm & fœmina, & naturæ nostræ consors esset, super omnes Angelorum choros exaltata est? Videtis ergo quò humana natura, quæ in rationalium creaturarum ordine infima, ac veluti materia prima esse dicitur, ascendere possit? Constat igitur ex his, creaturas omnes, quamuis à perfectissimo creatore perfectæ in suo quæque genere conditæ sint, superesse tamen adhuc perfectissimum quendam naturæ suæ statum, quò cultu & labore peruenire possint. Inter has tamen homo præcipuè numeratur: qui ea conditione est, vt vel imis, si se ipsum deiiciat: vel summis, si diligentius se gesserit, annumerari possit.

Hunc autem perfectissimum naturæ statum, beatitudinem, & fœlicitatem appellamus: qua adepta, appetitui & cupiditati nostræ requies datur, & inexplebilis illa cupiditatis nostræ sitis extinguitur, ac perennis illa desideriorum nostrorum rota conquiescit, cùm eo tandem peruenit, vbi nihil amplius desiderare aliquet, quàm quod habet. Quæretis autem, qui fieri possit, vt adeò fragilis natura hominis, totque tum corporis, tum animæ morbis obnoxia, ad eum statum peruenire valeat, in quo bonorum omnium cõpos effecta, nihil habeat quod in præsens tempus cupiat, nihil quod in futurũ pertimesca? Certè in hac vita, quæ tot vndique curis & angoribus assiduè vexatur, ad hunc fœliciſſimum statũ prouehi, nemini concessum est. Quod quidem firmissima

firmissima ratione comprobatur, Fœlicitatem enim hic hominis, non pecudis quærimus. Hominis autẽ intellectus & voluntas, proprię & peculiares vires sunt, quibus à cæteris animantibus distat. Quocirca tunc is verè fœlix & beatus erit, cùm hæ duę rationalis animę vires ad perfectionis suæ apicem peruenerint. Intellectus quidem perfectio in sapientia cõstituta est, voluntatis autem in summi boni fruitione consistit. Quomodo autem intellectus eò in hac vita perueniet, vt omnia sciat, nihilque amplius scire desiderer? quomodo verò voluntas tot bonis fruetur, vt nihil amplius cupiat? Si enim aut scienda, aut fruenda superarint, illa vtiq; & intellectus cognoscere, & voluntas naturali cupiditate eisdem frui concupiscet. Non igitur quiescet, cùm hoc nouo sciendi & fruendi desiderio extimulabitur: Quomodo ergo hæc vtraque vis animæ nostræ plenè conquiescet? Res ipsa sẽ prodit, Nimirum cùm ad aliud summum & infinitum bonũ peruenerit, in quo vno omnis veritas & bonitas, omniśque perfectio reperitur: quo vno sitis animæ nostræ pleniſſimè ſedabitur: extra quod ſemper anxia & ſitibũda erit. His etiã adde quòd cùm ſcire ſit rerũ cauſas cognoſcere: prima autẽ & ſumma omnium cauſa, & aliarum origo, Deus ſit: hãc ſemper intellectus noſter naturali auiditate cognoſcere deſiderabit: & quò magis illum cognouerit, eò magis ad pleniorem & clariorem eius cognitionem, mira ipſius pulchritudine incitatus, aſpirabit. Naturalis enim motus eò velocior eſt, quò fini ſuo propinquior exiſtit. Tunc ergo naturalis hæc cupiditas perfectè ſedabitur, cùm retecta facie immenſam illam diuinæ pulchritudinis ſpeciem contemplabitur, nec aliud vltra ſcire concupiſcet, cùm in vno illo pulcherrimo diuinitatis ſpeculo omnia videat, omnia ſciat, & bonis omnibus pro ſuæ fœlicitatis modo perfruatur. Hoc autem elegãtiſſima metaphora breuiter D. Aug. expreſſit, qui cum Deo loquens, vbi variis illum nominibus collaudaſſet, hoc etiam addidit: Virtus maritans mentem meam, & replens ſinum cogitationum eius. Sic enim mens humana Deum deſiderat, quòd is planè tanquàm vir animæ noſtræ ſit, qui eam perficit, implet, ſummis deliciis afficit, & ſinus eius omnes qui ad vnum Deum fruendum conditi ſunt, bonorum omniũ abundantia oblectat, & replet. Vt enim vxor viro, & vir vxori, ita Deus animæ, & anima noſtra Deo deſt nata eſt. Quocirca meritò D. Auguſt. Deum appellat virtutem, quę hominis mentem maritet, & omnes ſinus eius repleat: quoniam ſolo eo pleniſſimè ſatiatur. Ex qua quidem ſupputatione apertè colligitur, neminẽ in hac vita eſſe poſſe beatũ: cũ in ea nemo

*Ariſtot. 1. Meta.*

*Auguſt.*

hanc desiderio rum quietẽ assequi possit.

Adstipulatur autem huic rationi ipsa rerũ humanarũ conditio. Si enim res gestas omniũ temporum & seculorum euoluamus, nullum (neque inter Reges, qui rerum omnium potiebantur) inueniemus, qui nõ plura cuperet, plura etiã scire desideraret. Vastissimus quippe humanę mẽtis sinus hac in re Dei imaginem (ad quam condita est) refert, quãdoquidem nisi immenso & summo bono satiari non potest. Cuius rei locupletissimum extat vel vnius Salomonis exemplum, qui inter omnes Reges opulentissimus: inter sapientes excellentissimus extitit. qui vbi tam multis ac variis opibus & deliciis abũdasset, tam multáque ingenio & sapientia diuinitus infusa cognouisset, illam tamen, post omnem hanc fœlicitatem, veritatis indicem vocem protulit: Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, vanitas vanitatum
Eccle. 1. & omnia vanitas, Quid enim amplius habet homo de labore suo, quo laborat sub Sole? Addam etiam hoc in loco Xerxis potentissimi Persarum regis exemplum, de quo ita scribit Hero-
Herodot. dotus: Xerxi incessit cupido omnem exercitũ oculis subiiciẽdi. Nam prominens quædam exedra in hoc ei priùs ex candido lapide in loco edito extructa erat. Et cùm inde tueretur omnem Hellesepõtũ nauibus obductũ, omnia littora & Abydenorum plana hominibus referta, ibi se beatũ iactauit: & post hæc lacrymas fudit. Quod Artabanus, eius paruus, animaduertens, qui liberè dissuaserat bellũ Græciæ inferendũ, ita ex eo percunctari cœpit: Quàm diuersa, Rex, inter se nunc facis, ac dudum dixisti: qui enim antè beatum te esse dixeras nũc lacrymas fundis? Et ille, Reputantem me, inquit, quàm breuis est omnis humana vita, subiit horum miseratio, quorum cùm tot sint, nemo ad centesimum annum superterit. Excipiens Artabanus, Atqui, inquit, est & aliud non minus deflendum, quod viuendo miserabiliora patimur. In tam breui enim vita nullus hominũ, adeò fœlix extitit, neque horum, neque aliorum, cui non crebrò, nedum semel, subeat animo moriendi voluntas potius quàm viuendi. Nam incidentes calamitates & morbi vitam perturbant, efficiuntque, vt cùm breuis sit, tamen perlonga videatur, quid igitur supereſt? Nempe quòd tũc solùm homo fœlix, & omniũ bonorum compos erit, cùm ad summum illud & infinitum bo
Apoc. 7 num peruenerit, in quo vno omnia reperiet, Hæc igitur vera & plena fœlicitas est, quam Ioannes in Apocalypsi describit, cùm de beatis martyribus loquens, ait, Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos Sol, aut vllus æstus: quoniam agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitę fontes

fontes aquarum,& absterget omnem lacrymam ab oculis eorum.In quibus verbis,quod maximè propriũ fœlicitatis huius est,describit,cùm ait:Non esurient, neque sitient amplius:quia videlicet naturalis hæc cordis nostri sitis & esuries plenissimè satiabitur:haustoque poculo ex illo fonte vitæ, & pabulo fœlicitatis æternæ , non vltrà esuriet,aut sitiet, sed ingrediens & egrediens pascua vbique lætissima inuenier.

Quod si deinde quæratis fratres,quibus gradibus ad hanc tantam beatitudinem perueniatur ? hoc Dominus breuiter in hodierna sancti Euangelij lectione declarat,cùm ait,*Beati pauperes spiritu,quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites,quoniam ipsi possidebunt terram Beati qui lugent:quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt,& sitiunt iustitiam:quoniam ipsi saturabuntur, &c.* quæ sequuntur. Videtis,fratres , quàm diuersa sit hæc via ab ea qua seculi homines gradiuntur,vt fœlicitatem inueniant.Hi námque opes exquirunt, honores ambiunt, delicias concupiscunt, magistratibus & dignitatibus inhiant labores lachrymas, persecutiones,&omnes corporis molestias velis remisque fugiunt nihilque aliud quàm terrena sapiunt. At nos contrà Dominus ad voluntariam spiritus paupertatem , ad labores,ad lacrymas, ad sui denique imitationem inuitat.Ipse enim ante alios hausit calicem passionis,cuius reliquias discipulis nobisque omnibus tradidit exhauriendas,dicens:Accipite,& diuidite inter vos.Inter quos Paulus partem quæ illi obtigerat , se ebibisse testatur, cùm ait: Adimpleo quæ desunt passionum Christi in carne mea , pro corpore eius , quod est Ecclesia . Sed addit is tamen patiendi solatium,dicens:Si compatimur & conregnabimus:si commortui fuerimus,& conuiuemus : si fuerimus socij passionum,erimus & consolationum.

*Luc. 22.*
*Col.1.*
*2. Tim.2.*
*2.Cor.1.*

Hac ergo de causa hodierna nobis sancti huius Euãgelij lectio proponitur,vt Sanctorum varias virtutes,& varia item eorum certamina aguoscamus:per quæ in cœlestem patriam contenderunt,& viam nobis , qua illos sequeremur, ostenderunt. Hæc enim via regia est,hac itur ad cœlum.Quis(inquit ad Eustochium Hieronymus)sine certamine coronatus est? Abel iustus occiditur: abraham vxorem periclitatur amittere:&ne in immensum volumen extendam:quære , & inuenies singulos aduersa esse perpessos. Solus Salomon in deliciis fuit & ideò fortasse corruit.Hactenus ille.

*Hieron.*
*Gene. 4.*
*Gene. 12.*

SECVNDA PARS.

Quæret autem fortasse aliquis: Cur amator omnium Deus tot laboribus beatitudinem patari voluerit?Si enim omnia propter

pter ſemetipſum,hoc eſt,ad declarandam gloriam ſuam opera-
Prouer. 16. tus eſt Dominus maior bonitatis gloria in gratuitis, quàm in labore partis beneficiis eſſe videbatur. Aliud enim liberaliſſimi Principis, aliud mercimonium exercẽtis proprium eſſe videtur. Quòd ſi dixeris,laboris huius cauſam non Dei voluntatem,ſed voluntariam hominis culpam extitiſſe,qui ſe peccato nõ modò maculauit,ſed gratuitis etiã Dei donis ſpoliauit,quibus ad beatitudinem peruenire ſine labore potuiſſet : Contra hoc rurſum inſtare aliquis poterit:Cur ipſe Dominus,qui ruinam hominis impedire potuiſſet, hoc facere diſtulit? Si id enim feciſſet, ô
Rom.11. quàm multorum malorum, quàm multarum lacrymarum & calamitatum materiam ſuſtuliſſet! Quis igitur cognoſcere ſenſum Domini, & iudicia illius atque conſilia penetrare valeat? Si Apoſtolus Paulus poſt ſecreta cæleſtia & arcana illa verba, quæ non licet homini loqui, elinguis factus eſt, nec aliud
2.Cor.12. dicere potuit,quàm, O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, &c.quid,quæſo, nos facere par eſt, qui humi repimus,
Rom.11. & vix ante oculos & in proſpectu poſita cognoſcimus? Sed quoniam communis Sanctorum ſentẽtia eſt, nunquàm à ſummo illo mundi moderatore permitti mala, niſi vt ex iis eliciat bona (quod non ex natura mali, ſed ex diuinæ bonitatis abundantia prouenit) inquirere eodem Domino iuuãte ſtudeamus,quænam bona ex hoc tanto malo conſecuta ſint. Ac primùm quidem ſtatuendum eſt, electorum numerum, qui ab æterno fuerit à Deo prę finitus & prędeſtinatus, integrum illibatúmque permanſiſſe. Siue enim cadente homine, ſiue ſtante, non minor fortaſſè prędeſtinatorum numerus fuiſſet:quem ſolus ille nouit,qui numerat multitudinem ſtellarum,& omnibus eis nomina vocat.

Pſal. 146. Hoc ita conſtituto expendere incipiamus,non quidem bona omnia(hoc enim eſſet operis infiniti,& ab hodiernæ ſollemnitatis inſtituto alienum)ſed aliqua tamen, quibus hæc humani generis ruina occaſionem præbuit. Primùm igitur(vt à præſtãtiſſimo diuinæ bonitatis opere initiũ capiamus) hinc Dominicæ incarnationis & paſſionis myſterium occaſionẽ ſumpſit. Si enim homo non peccaſſet,filius Dei(vt plerique ſanctorum Patrum tenent)minimè humanam naturam inexplicabili ratione ſibi copulaſſet, certè nullo modo crucis ſupplicium pertuliſſet.
Auguſt. Tolle,inquit Auguſt,morbos,tolle vulnera, nulla erit medico veniendi cauſa.Hoc autem opus,ſiue Dominicæ paſſionis,ſiue incarnationis,tale ac tãtum extitit,vt nec per diuinam quidem potentiam maius aliquod effici potuerit.Denique ſi mille mũ

dos,

dos, imò si infinitos mũdos ad hanc sacratissimam Christi humanitatem conferas, nihil erunt: nec omnes isti (quamuis multi ac mirabiles essent) tantum immensam Dei bonitatem, misericordiam, iustitiam, & prouidentiam declararent, quantum hoc opere perfectum est. Quin etiam mundus ipse per incarnationem Christi tantam dignitatem obtinuit, vt conditor ipse, adiuncta sibi natura humana, hac ex parte mundi pars esse voluerit. Præterea, si homo non peccasset, sicut neque humanitas Christi, ita neque beata Virgo (quamuis fortasse extitisset) Christi mater futura fuisset: atque ita defuisset mundo hęc summa dignitas, & margarita pretiosa, quę cunctas illustrat Ecclesias, quæ supernorum ciuium gaudia cumulat, quæque diuinæ bonitatis & omnipotẽtis gratiæ virtutem, puritatis & innocentiæ suæ nitore maximè declarat. Quid enim mirabilius ea puritate ac sanctitate, quam in sexu adeò fragili diuina gratia operata est? Hæc igitur duo clarissima mundi luminaria, lumi *Gene.1.*
nare videlicet maius ac minus, hoc est, Christi humanitas, & eius mater sanctissima in cælo defuissent, si humanum genus minimè corruisset. Qua de causa Ecclesia & fœlicem culpam, & necessarium prædicat Adę peccatum, quòd tantis mysteriis occasionem dederit.

Adde etiam mirabilem Sanctorum varietatem, quę non modò præsentem, sed futuram etiam Ecclesiam maxima donorũ gratiarumque varietate honestat & ornat. Perfectum enim corpus ex diuersis membris constituitur, perfectaque Resp. ex dissimilibus partibus constat: melodia verò ex dissimili vocum varietate resultat. Quę enim in corpore species esset, si membrorum varietate careret? Quę Reip. facies, si vnus ciuium ordo in ea existeret? Qualis verò esset vocum concentus, si eundem voces omnes tenorem retinerent, nullaque varietatis gratia aures mulceret? Si igitur homo lapsus non fuisset, vnus tantùm coniugatorum religiosè Deum colentium, filiósque sine libidinis furore generãtiũ in mundo ordo esset? At lapsus ille, quamuis & dolendus & miserandus, diuinę tamen prouidentię beneficio variis in Ecclesia Sanctorum ordinibus occasionem dedit. Si nullum enim peccatum extitisset, vbi tunc Prophetę? vbi Patriarchæ? vbi Apostoli & Euangelistæ? vbi triumphalis innumerabilium Martyrum victor exercitus? vbi glorioſus Confessorum numerus? vbi sancti Pontifices? vbi diuinæ legis Doctores? vbi monachi & eremitæ? vbi virginum & continentium chorus extitisset? Defuisset igitur hęc tam miranda Ecclesię varietas, quę eius maximè pulchritudinem illustrat, diuinéque

gratię

*Psal.44.* gratiæ virtutem mirificè declarat. Hinc vates regius, Astitit, inquit, regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Qua, inquam, varietate? Certè ex multiplici Sãctorum ordine, & omnis generis gratiarum atque virtutum abundantia. *Gen.37.* Quam quidem varietatem vestis illa Ioseph (qui figuram Domini Saluatoris gessit) expressisse videtur, quæ polymita, hoc est, diuersorum colorum fuisse dicitur: quibus mirabilem hanc Ecclesiæ varietatem repræsentabat. Hæc autem Sanctorum diuersitas dictu mirum est quantoperè diuinam sapientiam, prouidentiam, bonitatem, ac cælestis gratiæ potentiam declaret. Ex qua quidem gratia, tam stupenda Sanctorum opera, labores, certamina, virtutesque promanarunt, vt ipsos etiam beatarum mentium ordines in admirationem inducere potuerint: sicut *2.Cor.4.* Apostolus de laborum magnitudine, quos in Euangelij prædicatione sustinebat, ait, Spectaculum facti sumus mundo, Angelis & hominibus. Quæ quidem res & diuinæ gratiæ virtutem maximè conspicuam facit, & piis ad virtutis studium tot præclarissimis exemplis ante oculos positis, stimulos addit, & improbis omnem negligentiæ excusationem adimit. Quis enim carnis fragilitatem, & naturæ imbecilitatem in excusationis suæ velamen obtendere poterit, qui videat tam multa Sanctorum milia, qui eadem carnis fragilitate pressi, eadem communis peccati labe infecti, in eodemque mundo degentes, & ab eisdem hostibus impugnati, tamen diuinæ gratiæ ope (quæ omnibus in promptu posita est) adiuti, tam mira opera designarunt, tam immanes labores & cruciatus pertulerunt, tam acerbum & dirum bellum corpori suo & cupiditatibus eius intulerunt? Qua fronte ego diuinæ legis onus & obedientiæ laborem causabor: cùm tot videam naturæ meæ consortes præter diuinorum præceptorum obedientiam tam ingentes labores sponte subiisse?

Quæ vis autem orationis singulorum ordinum virtutes, labores, contentiones, & singularem cœlestium donorum pulchritudinem, cum summa varietate coniunctam explicare valeat? Quid hic Prophetas memorem Apostolorum patres, qui terrenum nihil in hoc mundo quærentes, tanto diuinæ gloriæ studio incensi fuerunt, vt nuda corpora gladiis & lapidibus furentis populi obijcientes pro gloria Domini contra eius peccata dimicarent? *3.Reg.19.* Omnium enim illa vox erat, Zelo zelatus sum pro Domino exercituum: quia dereliquerũt pactum tuum filij Israël. De- *Hebr.11.* nique hi sunt de quibus Apostolus ait, Alij ludibria & verbera experti, insuper & vincula, & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, circuierunt in melotis, &

tis,& in pellibus caprinis,egentes,anguſtiati,afflicti,quibus dignus non erat mundus.

Apoſtolorum verò ſanctitatem,charitatem , diuinæ gloriæ ſtudium,abundantiam gratiæ,ingentem illam ad patranda miracula facultatem quis pro dignitate queat explicare?quorũ non modo ſudariis & ſemicinctiis,ſed etiam vmbris inuiolabiles naturæ leges cedebant.Horum verò propter fidei dilatandæ,& Ecclesiæ conſtituendæ amorem,quales fuere labores!De ipſis nãque omnibus Paulus ait; Vſque ad hanc horam eſurimus,& ſitimus,& nudi ſumus,& colaphis cędimur,& inſtabiles ſumus (ſiue,vt alij verterunt,incertis vagamur ſedibus ) &laboramus operantes manibus noſtris maledicimur,& benedicimus : perſecutionem patimur,& ſuſtinemus:blaſphemamur,&obſecramus, tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus,omnium peripſema vſq; adhuc.Sed hæc ſummatim in priori ad Corinth.Epiſt. At in poſteriori,dum ſuos numerat labores , coapoſtolorum etiam ſuorum agones commemorat , qui ſimili ſtudio in ſimili cauſa aduerſus mundum decertantes, ſimiles labores pertulerunt:quos ſtatim enumerat his verbis?In laboribus plurimis,in carceribus abundantius,in plagis ſupra modum . in mortibus frequenter,&c.quę ſequuntur.Videte quæſo,quam multis incommodis Apoſtolica profeſſio exercitata fuerit atq; probata?

Quibus verò vos prædicem laudibus(vt verbis vtar Cypriani martyris)fortiſſimi milites Chriſti?robur pectoris veſtri & perſeuerantiam fidei quo præconio vocis exornem?Toleraſtis vſq; ad conſummationem glorię duriſſimam quæſtionem,nec ceſſiſtis ſuppliciis,ſed vobis potius ſupplicia ceſſerũt.Inſuperabilem fidem ſuperare non potuit frequens plaga diu repetita; quãuis rupta compage viſcerum torquerentur in ſeruis Dei non iam membra,ſed vulnera.Denique ait; Finem doloribus quem tormenta non dabant,coronæ dederunt.Et quidem in hoc exercitu glorioſo multa ſunt admiratione digniſſima. Primum enim tam eſt exercitus hic numeroſus,vt aſtra cęli ſuperare videatur, cum aliquando ſex mille martyres interfecti, aliquando decem mille patibulis affixi , aliquando vndecim mille ſimul virgines trucidatæ:quandoque verò integræ ciuitates ferro & flammis abſumptæ fuerint,Cùm enim Romanorum Imperatores . qui naſcentem.Chriſti Eccleſiam funditus euertere nitebantur,totiꝰ penèorbis ditionem tenerent,atq;eorũ iuſſu perſequutionis procella crudeliter vbique ſæuiret,nulla erat mundi regio,nulla ciuitas,nulla inſula,nullus penè angulus,qui non martyrum ſanguine

Acto. 19.
Acto.5.
1.Cor. 4.
2.Cor.11.
Cyprian.

guine tingeretur. Itaque totus Oriens & Occidens, Asia, Africa & Europa (quæ tres orbis præcipuæ partes numerantur) glorioso Martyrum cruore consecratæ sunt; nullaque mundi regio est, quæ suos non extollat Martyres, eorumque triumphis glorietur. Nec minor personarũ quam locorũ varietas extitit. Nõ solũ enim viri, sed etiam fœminæ, nõ modo senes; sed & iuniores ac teneræ virgines: nec solum ignobiles, & infimæ conditionis homines, sed nobiles etiã: qualis Catharina fuit, Costi Principis filia, quæ rotarum tormenta superauit. Nec tantùm illiterati & rudes homines, sed viri sapientes, & in omni genere doctrinarum excellentes: Denique omnis ætas, omnis sexus, & omnis ordo ad necem & supplicia quærebatur. Nec minus mirabilis tormentorum numerus, & varietas. Quot enim martyres, tot ferè tormentorum genera excogitabantur, & (vt Diuus Cy-
*Cyprian.* prianus ait) ad hominis corpus vnum supplicia plura quàm membra erant. Quæ cum ita sint, qualis quæso, cælestis illa curia erit tot Sanctorum meritis, torque innumerabilium Martyrum illustrata triumphis? Verè non tam cælum sideribus, quãm superna illa ciuitas tot martyrum coronis redimita splendescit.

Quid verò sanctissima Confessorum agmina commemorẽ? quorũ alij Ecclesiæ doctores & magistri fuerunt, qui sanctarũ,
*Psal. 1.* scripturarum studiis addicti, atque in lege Domini meditantes die ac nocte, fauos nobis diuinorum eloquiorum propinarũt. Alij verò Ecclesiæ duces, defensores fidei, morum doctores, fideique aduersus hæreticos acerrimi propugnatores extitere. Quos verò labores non pertulerunt, dum inuiolatam Ecclesiæ fidem, castumque ipsius pudorem conseruare niterentur? Quod odium? quam inuidiam? quas infestationes Basilius, Chrysostomus, Ambrosius, Hilarius, cæterique Patres propter fidei atque iustitiæ defensionem non sustinuerunt? Quas non mundi oras peragrauit Athanasius, cum ab Imperatore Ariano ad necem quæreretur. Denique sex annos continuos in cisterna sicca sine Solis aspectu latuit, amico quodem clam ei necessaria ministrante. Quod, quæso, martirij genus cum his tenebris & hoc carcere valeat comparari? Alia verò exorta tempestate compulsus est quatuor menses in paterno sepulchro inter mortuorum cadauera latitare. Quis tale vnquam martyrij genus aut vidit, aut legit.

Iam verò Anachoritas illos in vasta solitudine cõmorantes solisque herbarum radicibus victitantes, diuinarumque rerum contemplationi perpetuo vacantes, quantum puritatis & innocentiæ

centiæ ſuæ candore ſupernam illam ciuitatem exornant! Quis Paulum eremitam, Arſenium, Hilarionẽ, Macharium, Simeonem Stilitem pro meritis commẽdare queat? E quibus ſanctus Hilariõ (auctore Hieronymo) quindecim annos natus eremum petiit, cellaque paulo plus quã pro magnitudine corpuſculi extructa, ſuper nudam humum iunci s dumtaxat ſtratam tota vita decubuit; quindecim tantum carycis poſt Solis occaſum vi ctitans, tempus omne in rerum diuinarum contemplatione inſumebat. Quid hic ad vitã Angelicam deſideres amplius? Tolle hinc corporis commercium, tolle quindecim carycarum alimoniam, & penè Angelum in homine videbis, qui diuina ſemper atque cæleſtia in corpore verſans, Angelorũ officium exercebat in terris. Quibus ergo virtutum gemmis illam cæleſtem aulam tot ſanctorum Anachoritarum & Monachorum turmæ illuſtrabunt, qui cœtus hominum deſerẽtes, Angelorum in terris vitam meditati ſunt? *Hieron.*

Quis autem Virginum gloriam ſilentio prętcrire poſſit, quæ in carne, non ſecundum carnem viuentes, virgineam puritatem ad exrremum vſque vitæ diem intemerato pudore conſeruarunt? Iactent quantum volent Gentiles Lucretiam ſuam, quę honoris magis quàm pudoris rationem habuit: quæ adulterij atqüe pollutionis ſuæ vindex effecta, duorum ſe criminum ream fecit. Nos pro vna Lucretia innumerabiles virginum choros, quæ potius ferrum & ignem, atque omnia pœnarum genera perperi, quàm integritatis ſuæ iacturam facere maluerunt. Quarum multę oblata Principum & regum connubia reſpuentes, mundíque gloriam & opes eius omnes aſpernentes, candidiſſimum agnum in cælo ſequuntur quocunque ierit, dicentes, Regnum mundi, & omnem ornatum ſeculi contempſi propter amorẽ Domini mei Ieſu Chriſti, &c. Hoc igitur tam multiplici ornatu (vt ad propoſitam quęſtionẽ redeamus) hac tam mirabili & cõſona varietate cæleſte regnum caruiſſet, ſi primum illud peccatum defuiſſet.

Adde etiam mirabilem aliam Dei atque hominum iuſtorum laudem, cui antiquus ille generis humani lapſus occaſionẽ præbuit. Quis enim non videt, quãto ſit mirabilior hominum ſanctitas atque iuſtitia in hoc naturę lapſę ſtatu, quàm in illo fuiſſet? In illo enim, cùm natura hominis originalis iuſtitiæ dono incorrupta & integra eſſet, & ſponte ſua ſine vllo impedimẽto ferretur in bonũ, nihil erat negocij virtutem amplecti, & in ea perſiſtere, nõ magis quàm aut piſcibus natare, aut auibus volare: cæterùm vbi per peccatum originalis iuſtitiæ donum amiſimus

mus,& humana natura peccati veneno infecta ad peccatũ pro cliuis effecta est, ad virtutem pristinam conari, & sanctitatem illam (natura lapsa reluctante)retinere,& lasciuientes atque effrenatos animi impetus & motus, rationis imperio cohibere, adeo mirabile est,vt(quamuis audacter hoc dictum esse videatur) mirabilior mihi in hoc statu vnius martyris,aut confessoris sanctitas appareat,quàm omnium simul electorũ in illo extitisset. Quomodo enim mirabilius est, vnius fluminis aquam, natura obsistẽte, in fontem recurrere (quemadmodũ de Iordane legimus) quàm si omnia flumina prono aluco deorsũ ferantur:ita mirabilior hoc tempore vnius viri sanctitas,quàm tũc omnium hominum sanctitas apparet: cùm illud perinde esset,ac si aqua naturæ suæ impetu deorsum flueret.hoc verò perinde sit, ac si sursum versus natura refragãte reflectetur. Vt enim quis ad finem vsque vitæ virtutem & pietatem inter tot tam varios huius mundi turbines ac procellas retineat, quot labores,quot pericula, quot certamina subire necesse est? Quot precib.quot vigiliis, quot ieiuniis, quot lachrymis à Domino sæpè auxiliũ aduersus imminentia pericula efflagitandum est? Quàm verò specioſa est,(vt Ecclesiastici verbis vtar) misericordia & prouidentia Dei in tempore calamitoso? Tota autem hæc tã multiplex & varia humanarum mentium pulchritudo in admirationem & cõmendationem cedit diuinę virtutis & gratię: quę ex lapidibus efficit Abrahæ filios,& eos qui de immundo semine concepti sunt, Angelorum facit in terris vitam meditari. Quæ enim maior diuinę virtutis & bonitatis gloria, quàm quod per eius gratiam ex morte vita,ex carne spiritus, ex terra cęlum,ac demum ex homine quodammodo surgat Angelus?Quo enim operis materia vilior, eò artificis gloria præstantior,dum id facit ex sordido luto,quod nisi ex auro fieri non potuisset.

*Simile.*

*Ioſ.3.*

*Eccle.35*

*Lucæ3.*

## PERORATIO.

Sed iam tẽpus appetit, fratres, vt receptui canamus, & quid ex tam lõga disputatione ad vitæ nostræ institutionem elicere possimus,vobis ante oculos ponamus. Primùm igitur vidistis, quàm multa & pręclara bona diuina sapientia & prouidentia, communis illius peccati occasione, in mundum importauerit, quibus & militantem & triumphantem Ecclesiam mira varietatis & pulchritudinis specie decorauit. Vidistis, quænã sit piis hominibus beatitudo & fœlicitas in cælis proposita: quę non alia est, quàm sempiterna summi & infiniti boni fruitio atque

posſ-

possessio:qua nihil,nec per diuinam quidem potentiam,maius aut esse aut cogitari potest,cùm eadem sit ho minis, & ipsius summi Dei obiectiua(vt appellatur)beatitudo.Vidistis quibus itineribus ad hanc tantã fœlicitatem peruenitur:quę Dominus in hodierna sancti Euanglij lectione percenset. Vidistis etiam, quibus stimulis ac veluti calcaribus eorda nostra ad hæc itinera percurrenda excitentur.Excitat enim primum nos propositę mercedis amplitudo, quam audistis:quæ quidem status fœlicissimus est omnium bonorum aggregatione perfectus.Excitant nos innumera Sanctorum omnis generis exempla, virorum, mulierum,virginum, senum & iuniorum,quibus nec sexus infirmior,nec tenera ætas,nec carnis fragilitas,nec mũdi vanitas nec dæmonum fraudes,nec communis peccati labes impedimento fuit,quo minus glorioſam de peccato, mundo & principe mundi triumphum duxerint.Postremò excitat nos etiam diuinæ gratiæ admiranda vis:quæ facilè in præclarissimis Sanctorum gestis atque virtutibus elucet,& quæ nulli mortalium piè atque suppliciter illam quærenti,intercluſa est. His igitur stimulis vos ego,fratres,non ad carceres &vincula,non ad vngulas & eculeos,non ad verbera & craticulas(quæ sancti Martyres propter eandem quam nos patimur coronam perpessi sunt)sed ad charitatem,ad pacem,ad iustitiam, ad pietatem & religionem,ad castum Domini timorem,ad vitiorum fugam, ad solicitam cordis oríſque custodiam, ad cupiditatum vestrarum intemperantiam rationis imperio comprimendam. Ad quæ omnia vos pium legendi orandíque studium, & frequentior sacramentorum vsus miro modo iuuabunt. His igitur planissimis itineribus gradientes,ad sempiternã tandem Sanctorũ(quorum hodie sollemnia celebramus) societatem & gloriam, aspirante diuina gratia, peruenire licebit.

In festo alicuius Sancti Martyris concio prima; in qua per varios labores ad cœleste regnum, sanctorum Martyrum exemplo, perueniendum esse docetur: deinde laborum causę explicantur: tertio verò loco quibus rebus ad hos labores superandos instrui & armari possimus, declaratur.

THEMA. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Matth. 16.

INter omnia quæ humani ingenij vis studiosè & laudabiliter quærere & indagare potest, nihil est quod vel honestius vel vtilius quæramus, quàm quænam via sit per quam ad æternæ fœlicitatis gloriam peruenire valeamus. Si enim creaturæ omnes nihil aliud agunt, nihil moliuntur, quàm vt ad fines sibi à conditore constitutos perueniant, in eoq; maximè omnẽ laborem & operam ponunt, quid quæso, nobis aliud quærẽdum, quid faciẽdum est, qui ad hunc finem à Deo ficti & informati sumus. Si hoc vnũ præstamus, pleniſſimè officio nostro functi sum⁹, si verò sine hac vna re cætera omnia adipiscamur, etiam si totius orbis imperium nacti erimus frustra nos conditos, frustra in lucem editos, frustra denique vixisse sciamus. Frustra enim est (vt Philosophi dictitant) quod ad finem sibi pręstitutum non peruenit. Si quis igitur ab hoc tanto malo immunis esse, si quis ad finẽ suum peruenire cupit (hoc est, vnum illud & summum bonum, ad quod fruendum à Deo conditus est, adipisci) habet in paucis his Domini verbis regiam viam ab eo ipso qui via, veritas & vita est, pleniſſimè simul & breuiſſimè descriptã: *Si quis*, ait, *vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suã, & sequatur me.* In quibus verbis primo loco particula annotanda est, *Si quis*, hac enim voce nemini quidẽ vim infert, sed quã sint pauci, qui hoc salutari desiderio flagrent, innuit. Verè enim (vt idem Dominus ait) arcta est via quæ ducit ad vitam & pauci ambulant per eam: ideóque nõ omnes in commune vocat, sed, *Si quis*, inquit, *vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam*, quod perinde est, ac si diceret: Neminem cogo, nulli vim infero, appono vobis aquã & ignem, ad quod quisque voluerit, porrigat manum suam. Hinc idem Dominus in Apoc. *Apoc. vlt.* qui nocet, noceat adhuc, & qui iustus est, iustificetur adhuc, &

qui

qui ſanctus eſt Sanctificetur adhuc,Cæterum,*Si quis vult venire poſt me*:hoc eſt: ſi quis quo ego venturus ſum venire cupit: ſi fœlicitatis meæ particeps eſſe deſiderat:ſi mecum in cæleſti gloria regnare cupit,*Abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam,& ſequatur me.Si quis*,inquit,*vult*. Primo quidem loco ardens à nobis proficiendi deſiderium requirit. Aliter enim fideles ſerui , aliter inertes & languidi Chriſtum ſequi volunt.Illi enim quo ardore ad finem ſuum peruenire cupiunt,eo quoque iſta amplectũtur, quæ ipſos eo ducant:iſti verò eo modo volunt,quem Salomon deſcribit his verbis;Deſideria occidunt pigrum:noluerunt enim quidquam manus eius operari.Et alio in loco:Vult & non vult piger;hoc eſt,vult quidẽ ille,cum ſibi ante oculos proponit præmium non vult autem,cum conſiderat operis laborem:promiſſis quidem inuitatur vt velit;præceptis tamen deterretur vt nolit. Huiuſmodi autem deſideriis plenus eſt mundus; imò verò pleni ſunt inferi. Cæterum quàm pauci ſint qui verè & ex animo Chriſtum ſequi cupiant,idem Dominus,hac loquendi figura deſignare voluit:*Si quis vult venire poſt me , abneget ſemetipſum &c.* Hæc eſt igitur,fratres,regia in cælum via,qua & omnes Sancti, & Sanctorũ omnium Dominus ingreſſus eſt.Omnium enim eſt illa vox,Tranſiuimus per ignem & aquam,& eduxiſti nos in refrigerium.Eccleſiæ quoq; vox eſt:Nigra ſum,ſed formoſa filiæ Hieruſalem,ſicut tabernacula Cedar , & ſicut pelles Salomonis.Hæ namque pelles extra quidem viles apparebant vtpote Solis æſtu ac puluere fuſcatæ ) quæ tamen intus miro decore & ornatu nitebant.Hoc autem ſanctiſſimis viris maximè conuenit,qui frequenter in oculis hominum deſpecti & viles apparent,quorum tamen decor & pulchritudo intus latet. vbi mira virtutum atque donorum cæleſtium varietate & ornatu micant.Cauſam verò huius externi coloris atque habitus,Solem eſſe dicit:quia Sol,inquit,me decolorauit;hoc eſt,Sponſi mei, qui eſt verus ſanctitatis & iuſtitiæ ſol,charitas(qui me ad mortem vſque dilexit)me quoque impulit vt ob eius amorem nullum laborem,nullas ærumnas,nullas prauorum hominum perſecutiones,nullum denique ſupplicium recuſarem,vt ſic tãdem quatenus fieri poſſet,amori eius amorem,& paſſionibus vicem redderem.Vehementer enim indignum putaui,cum ille tã multa pro ſalute mea,ego nihil pro illius gloria perferrem,cum præſertim ob hoc ille paſſus ſit,vt clariſſimum nobis patientiæ exemplum relinqueret. Quiſquis igitur Chriſto nomen dedit , quiſquis ſub hoc capite & imperatore militat,hoc ſibi laborum & patientiæ ſingulare exemplum propoſitum eſſe ad imitandum

*Prou.* 21.
*Ibid.* 13.
*Pſal.* 65.
*Cant.* 1.
*Ibidem.*

1. *Thes.3.* sciat. Hinc Apostolus, nemo inquit,in tribulatione moueatur: ipsi enimscimus,quòd in hoc positi simus, quod perinde est,ac si diceret:hæc professio nostra,hoc munus nostrũ est, hæc officij nostri ratio , vt quemadmodũ scopuli in medio mari prominentes,ita nos procellis & fluctibus, hoc est,variis tum dæmonum,tum priuatorum hominum tẽtationibus quatiamur. Hinc *Cant.3.* in Cantic. Sponsa , cùm lectulum Salomonis auro & argento ornatum esse dixisset , ascensum in illum tradit esse purpureum. Quo genere coloris Martyrum sanguinem, cæterósque Sanctorum labores designasse videtur, per quos illis ad sempiternæ fœlicitatis requiem ascensus patuit. Quo exemplo monemur, fratres , eadem via nobis esse ingrediendum, vt eos videlicet sequamur, quorum gloriam consequi desideramus. Hoc *Apoc.6.* enim in Apocalyps. responsum sanctis Martyribus , vindictam hostium suorum flagitantibus , datum est , vt expectarent modicum , donec impleretur numerus conseruorum suorum , qui similiter occidendi erant, sicut & illi. Quod quidem supplicij *Galat.5.* genus Apostolus exposuit, cum ait , Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Hoc enim spiritualis cuiusdam martyrij genus est.

I.

Cęterùm quoniam ( vt Philosophi tradunt) scire , est rem ex causis cognoscere, si pręter sanctarum scripturarum testimonia ( quę pleniſſimam huius veritatis fidem faciunt ) causam scire cupitis, cur variis laboribus ęterna fœlicitas paranda sit: Causa est, virtutis ratio atque natura, quę vnica ad beatitudinẽ via est. *August. Psal.118.* sic enim D. Augustinus illum Dauidis versiculum, Beati immaculati in via,enarrat : O homo, scio quid quæris. Quæris beatitudinẽ.Si ergo vis esse beatus,esto immaculatus.Vita ergo immaculata,quę virtutum officiis constat,vnica ad beatitudinem via est. Virtutem autẽ circa difficilia & ardua opera versari,nemo est qui ambigat.Vbi enim labor nullus,nullaq; operis difficultas intercedit,nullus etiã virtuti locus est. Hinc Philosophi ad ea quę sola per se natura pręstare potest,non ita multùm virtutes esse necessarias crediderũt.Vt enim homines ad vsum vitę necessaria quęrant, vt parẽtes liberos suos diligãt,vt seipsos, vitam , corpúsque tueantur, nulla virtus necessaria est, cùm ad *Seneca.* hoc natura sufficiat. Hinc Seneca,Nulla,inquit,lex amare parẽtes,indulgere liberis iubet: superuacuum est enim in quod natura imus,impelli.Nemo in amorem sui cohortãdus est, quem cùm nascitur,trahit. Vbi verò natura deficit,hoc est,vbi ad aliquod bonum opus natura,cõmunis peccati morbo infecta,imbecillis

becillis & infirma est,atque interdum etiam virtuti obsistit atq; repugnat,ibi cura, & arte aduersantis naturæ vis superanda est. Quæ quidem virtus tum diuinę gratię auxilio,tum labore, studio atq; assiduitate nostra paratur.Strenuos igitur operatios,virtus quærit, segnes autem & dormitãtes procul à se abiicit.Non enim sine causa Ecclesiasticus ait, Vigilia honestatis tabefacit carnes,& cogitatus illius aufert somnum.Hoc enim perpeti solent, qui se totos ad virtutis studium omni mente atque animo contulerunt. Hinc illa à Philosophis laudata sentẽtia,Virtus odit itineres,& Nunquam virtutis molle documentum est.Quocirca meritò D.Bernardus spõsam ridet in lectulo suo, hoc est, in deliciis & otio sponsum quęren em,ideoque de illa subditur: Quæsiui illum,& non inueni. Neque enim is(vt in lib.Iob scriptum est)inuenitur in terra suauiter viuentium. At vbi sponsa multo illum labore per plateas quęsisset,& multa in hac pia inquisitione perpessa fuisset, illum tandem inuenit. Non igitur segnes & inertes,sed strenuè laborantes Christum Dominũ inueniunt.Hinc Salomon,Manus,inquit,fortium, dominabitur: quę autem remissa est,tributis seruiet. Seruiet enim affectibus, variisque cupiditatibus, quæ nisi in manu forti non superantur: seruiet impuræ carni suæ, quam nemo nisi virili & constanti animo subiecit: seruiet postremò seculo, cuius vim & impetum multorum viribus incitatum infirma mens superare nõ poterit. Non seruiet autem virtuti, quam nemo nisi per laborum tolerantiam atque patientiam rdeptus est.

*Eccle.31.*

*Bernard.*

*Cant.3.*

*Iob.28.*

*Prou.11.*

Sed instabit aliquis,Cùm virtus sit animi habitus,rationi consentaneus qui fieri potest,vt ea homini,rationis compoti,grata & iucunda non sit, cùm cognatio & similitudo rerum non pugnam& litem, sed suauissimam coniunctionem & amorem pariat? Ad hoc autẽ respondemus,hanc pugnam & cõtentionem non ex rationalis animæ natura, sed ex carnis conditione, cui mens hæret,proficisci. Cùm enim(vt Philosophi tradũt)vnumquodque recipiatur ad modum recipientis, cõsequẽs est,vt res ipsę quę alicubi recipiuntur, naturam quodammodo suam exuant,& illam induant in qua recipiuntur. Sic igitur quamuis rationalis anima spiritualis substantia sit, infirmę tamen carni adiuncta,hanc ab ea infirmitatẽ trahit.Quo fit,vt suæ quodammodo nobilitatis oblita,& carnis suæ amore incẽsa,illa sitienter apperat,quæ eius amica caro concupiscit. qualis autem carnis natura peccati labe infecta sit,Apostolus expressit cùm ait:Scio quòd nõ habitat in me,hoc est,in carne mea, bonũ.Cui affine est & illud ex Genesi:Sensus enim & cogitatio humani cordis in

*Rom.7.*

*Gene.8.*

malum prona sunt ab adolescentia sua. Quanta ergo vi aduersus hos lapsæ naturæ motus atque impetus pugnandum est. Aliud enim est cymbam prono flumine, ventisque secundis ferri, aliud verò contra impetũ fluminis, & ventorum aduersantium flatus remorum impulsu conari: hic enim validis incumbere remis, magnoq; nisi aduersus hæc impedimenta pugnare oportet. Si enim vel ad momentum cesses, aut segniter agas, protinus tę vis ventorum & aquarum impetus ad inferiora tendentium secum trahet & impellet. O si nunc, fratres, spirituales oculos haberemus, quàm liquido deprehẽderemus, simile nobis certamen similéque nauigationis discrimẽ esse propositum. Si enim adeò difficile est contra vim ventorum & fluctus maris nauigatiõis cursum dirigere, quanto, quæso, difficilius erit aduersus torrentẽ mundi, & immundorum flatus spirituum, & aduersus carnem, peccati labe infectam immo aduersus naturam ipsam pertinaci contensione dimicare? O quanto nobis studio, quãto labore, qua industria, quibus vigiliis & precibus opus est, vt tricipitem hũc Cerberum expugnare valeamus! Nam & omnibus his armis aduersus illum D. Hieron. decertanit, qui tamen in deserto agẽs, scorpionum socius & ferarum, sæpè, vt ipse ait, choris intererat puellarum. Quis hostium conflictus adeo pertinax & cõtentiosus fuit, vt non saltem occidente Sole diremptus fuerit? At hic idem vir sanctus ait, Memini me clamantem diem crebro iunxisse cum nocte, nec prius à pectoris cessasse verberibus, quàm rediret, Domino imperante, tranquillitas.

*Hieron.*

Adde his etiam, quòd Spiritus noster, qui à cælis originẽ ducit in hoc mundo velut aduena & peregrinus est: caro verò in ipso taquam in patria & genitali solo instar ciuis est. Quo fit, vt eius cupiditas à cognata patria, in qua vitam ducit, non parum æquatur. Quod sapientissimi viri olim significare volentes, Anteum quendam terræ filium esse finxerunt, qui aduersus Herculem congressus, vbi victus in terram corruisset, ab amica & parente terra adiutus, fortior surgebat quam cecidisset. Quæ res carni nostræ maximè conuenit, quæ ab hoc mundo, in quo degit nouas ad expugnandum spiritum (qui aliunde ad nos venit) vires capit. Terrena quippe bona eius oculis obiecta: quorũ quædã voluptati quædã vtilitati, quædã necessitati, quædam indulgentiæ seruiunt, eius ad se cupiditatem partim præsentia sua partim vtilitatis ratione vehemẽter incendunt: cum tamen animi bona, quamuis sint longè præstantiora, nec oculis vsurpari, nec manibus contrectari valeant. Quo fit, vt quod minus videtur, minus etiam diligatur. Huc accedit, quod suos etiam caro

satelli-

ſatellites habet,qui ſimili modo terrenis bonis capiuntur.Oculi enim pulchra videre,aures iuc unda audire,nares ſuauia odorari,guſtatus dulcia & palato grata deguſtare,corpus mollibus regi concupiſcit.Quæ omnia aduerſus ſpiritum,qui ſolis ſpiritualibus rebus paſcitur acriter pugnant. Quo nomine, ſpiritus idē ab ipſa carne & ſatellitibus eius obſeſſus,cœleſtem opē aduerſus hoſtem tot copiis armatā poſtulat his verbis: Miſerere mei Deus quoniam conculcauit me homo tota die,impugnās tribulauit me. Conculcauerunt me inimici mei totā die:quoniam multi bellantes aduerſum me.His igitur rationibus caro germanum ſpiritum impugnat.

Cùm autem verum ſit quod ab Apoſtolo dictum eſt: Nemo vnquam carnem ſuā odio habuit,ſed nutrit ac fouet eam,quid difficilius quàm aduerſus carnem ſuā,hoc eſt,aduerſus amicā & naturæ fœdere ſibi coniunctiſſimam decertare?moleſtia quā diligas,afficere?cupiditates eius elidere?rebelles motus compri mere?impetus frenare?eiuſque laſciuiam & inſolentiam aſperitate vitæ coercere. *Epheſ. 5.*

Liquet igitur non modò ſanctarum ſcripturarum teſtimonio,ſed aperta etiam ratione per varios labores atq; certamina nobis ad ſempiternæ fœlicitatis portū eſſe veniendum. Vnde quiſquis omnem laborum moleſtiam detractat:ſe ipſum in ſempiternam miſeriam atque mortem præcipitat.

Quòd ſi à me quæratis,quibus in rebus nobis elaborandum ſit, facilè quidem hoc ex his quæ hactenus de virtutis natura (quæ circa difficilia & ardua opera verſatur)dicta ſūt,intelligere poteritis,Sed quoniam hoc vniuerſè dictū eſt,idē etiā ſingillatim explicare tentabo.Olim Rebeccę vterum geſtanti,& Dominum de futuro partu conſulenti,dictum eſt:Duę gentes ſūt in vtero tuo,& duo populi ex vētre tuo diuidentur.Idem igitur ſibi quiſque fideliū quadam ſimilitudine dictum putet. Duos enim quiſque noſtrum variarum cupiditatum exercitus in pectore ſuo geſtat,qui aduerſus virtutis & rationis imperiū continenter bellum gerunt, Aliæ enim opes,honores & carnis delicias ſitienter appetunt,alię verò ſi quis nobis impedimēto ſit quo minus hęc ipſa,quæ ardenter cupimus aſſequamur, ita,odio,vindictę cupiditate atque liuore,variiſq; perturbationibus nos à virtute, & tranquillo mentis ſtatu deiicere conantur.In his igitur vtriſque affectibus, cæteriſque turbidis animi motibus frenādis,tota vita laborandum eſt:ne videlicet huiuſmodi affectionum impetus nos tranſuerſos agant,& à virtutis trāmite abducāt.Hoc eſt igitur ſtadiū in quo pietatis cultoribus

*Vis concupiſcibilis.*

*Vis irāſcibilis.*

tota vita decertandum est si cum triumphali palma cælos penetrare desiderant. Sunt etiam varia improborum hominum maledicta & malefacta, quæ charitatis virtutem acriter impugnant: quæ etiam forti & generoso animo superãda sunt, ne ab hac virtute (in qua Christianæ iustitiæ summa constituta est) excidamus. Ita enim fiet, vt virtutis huius tuẽdæ gratia spiritualis martyrij coronam percipere mereamur. Alij enim propter tuendam fidem, alij propter charitatem conseruandam martyres sunt. Quisquis enim persecutionem patitur propter iustitiam, si non in litera, certè in spiritu martyr est. Habetis igitur in his rebus, fratres, exercendæ virtutis propositam materiam.

II.

Sed insurget hic fortasse aliquis. Quid, inquiens, pater agis? Officij tui est nos ad virtutis studium & amorem traducere, ad quod ei⁹ magis delicias, quàm labores ob oculos ponere debuisses; quo nos hac suauitatis illecebra inescares, tu contrà diuersa
*Simile.* ratione eius nobis labores & asperitatem obiicis. Non temerè hoc facio, fratres, necesse enim est, vt quemadmodum aduersus hostes dimicaturi, eorum vires nosse diligenter studeant, quò similes copias & parem animi magnitudinem aduersus illorum impetus comparent: ita in virtutis stadio certaturi, qui sint ipsis labores exantlandi, quæ certamina subeũda, prius animo cõprehendere debent, ne si languidi & imperiti in hoc certamen descenderint, in primo congressu improuisi laboris magnitudine deterriti frangantur. Ne quis tamen hac occasione animum despondeat, is primùm animaduertere debet, plurima esse in vita multis laboribus & sudoribus implicita, quæ tamen homines cùm aliqua subest aut necessitatis, aut vtilitatis ratio, adeò nõ refugiunt, vt libenter etiam amplectantur. Quid enim aliud agunt omnes qui labore manuum suarum die ac noctu victum sibi suisque comparant? Quid faber ferrarius, qui noctem tanquam
*Eccl. 38.* diem transigit? vt enim Ecclesiasticus ait, Vapor ignis exurit carnes eius, & in calore fornacis concertatur. Quid verò prolis auidæ matres? Num hæ aut intollerãdos partus dolores, aut educationis filiorum diurnos nocturnosque labores & molestias pertimescunt? Non ergo in labores solùm, sed in laborum fructum, & alia multa quæ laborum acerbitatẽ leniunt, oculos coniicere debemus, ne prima virtutis specie territi ab ea resiliamus.

Et quidẽ si in scelerata vita minus esset difficultatis ac laboris, non mirũ esset ad illam à virtutis & honestatis tramite deficere: sed longè tamen secus euenit. Quid enim improborũ hominum

vita

vita laborioſius? Quid acerbius? An nõ ipſi in lib. Sapientię hoc ipſum confitentur? Laſſati, inquiunt, ſumus in via iniquitatis & perditionis: ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Fateor in vtraque vita labores nõ deeſſe. At lõgè improborum quã piorum vita lãborioſior eſt. Senecam audiamus. Sanabilibus, inquit, ægrotamus malis, ipſaq; nos in rectũ genitos natura, ſi emendari velimus iuuat. Nec vt quibuſdam viſum eſt, arduum in virtutes & aſperum iter eſt: plano adeuntur. Non vanę vobis auctor re: venio. Facilis eſt ad beatã vitam via: inite modo bonis auſpiciis, ipſiſque Diis benè iuuantibus: Multò difficilius eſt facere iſta quæ facitis. Quid enim quiete animi otioſius? quid ira laborioſius? quid clementia remiſſius? quid crudelitate negotioſius? Vacat pudicitia, libido occupatiſſima eſt. Omnium denique virtutum tutela facilior eſt: vitia magno coluntur. Hactenus ille, Si hoc igitur Philoſophus ſentiebat, qui gratiæ virtutem ignorabat, quid nos ſentire par eſt, qui eius præpotentem ac ſingularem vim confitemur? Sed afferam tamen huius rei locupletiſſimum teſtimonium ab ipſa voluptatis officina profectum: quod nulli homines, quamlibet voluptatum amãtes, reiicere poſſint. Epicurus enim voluptatis aſſertor, in qua humanæ vitæ fœlicitatem collocabat, eodem Seneca referente, virtutem ideò ſequendam eſſe dicebat, quòd magnam ſectatoribus ſuis voluptatem afferret: vitia verò fugienda, quòd innumeras ſecum moleſtias ex metu & malorum conſcientia & cupiditatum intemperantia menti ingenerarent. Qua in re non admodum à dogmatibus noſtris abhorret etiam Epicurus, cùm alibi quidem de viro iuſto ſcriptum ſit, Gaudium eſt iuſto facere iuſtitiam, alibi verò de via impiorum Propheta dicar: Contritio & infœlicitatis, in viis eorum, & viã pacis non cognouerunt. Veriſſimè etiam à D. Auguſtino dictũ eſt: Iuſtifiſti Domine, & verè ſic eſt, vt pœna ſibi ipſi ſit animus inordinatus.

*Sap. 5.*

*Seneca.*

*Pſal. 13.*

*Auguſt.*

Sed quibus virtus cõdimentis, quam habet amaritudinẽ vel temperet, vel prorſus adimat, expendamus. Primum certè (vt ita dixerim) condimentum eius eſt, meriti magnitudo. Laboribus enim cumulus, qui ex ipſo virtutis opere naſcitur (dũmodo charitas adſit) meriti etiam cumulum ita auget, vt vbi maior fuerit laboris moleſtia maius ſit etiam boni operis meritum. Diligenter quidem illa Raphaelis Angeli verba ad Tobiam annotanda, & imo pectore condenda ſunt: Quando, inquit, orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos: & relinquebas prandium tuũ ego obtuli orationem tuam Domino. Præclarum quidem opus erat, & orare, & mortuos tradere ſepulturæ, ſed lacrymas

*Tob. 9.*

precibus adiungere, & prandium relinquere, & cum mortis etiam periculo mortuos humare, hoc ita gratum Deo fuit, vt tã noua & insolita ratione afflictis Tobiæ rebus Dominus consuluerit, cùm Raphaëlem Angelum, humanam speciem referentem, è cælo demiserit, qui tot diebus iuniorem Tobiam comitaretur, vnà cum illo iter ageret, vnà cibum & potum cum illo capere simularet, atque tam multis & patrem & filium beneficiis afficeret. Vnde hoc? Certè ex lacrymis, & vitæ periculis atque laboribus, quos vir sanctus propter Dei gloriã suscipiebat. Vnde Dominus Paulum Apostolum laudaturus, prætermissis aliis eius virtutibus, singularibusque priuilegiis, hanc in eo laborum tolerantiam præcipuè commendat. Sic enim ad Ananiam discipulum ait, Vade Anania: quoniam vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum, &c. Ego enim ostendam ei quanta oporteat eum pro nomine meo pati. *Actor. 9.*

His etiam adde mirabiles paracleti Spiritus consolationes, & spiritualia gaudia, quibus pios homines visitate, consolari atq; reficere solet, & occulto illo manna pascere, cuius suauitatem nemo scit, nisi qui accipit. Hinc vates regius, Quam magna, inquit, multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te? Quæ quidem dulcedo tanta est, vt ipsa etiam cęlestes virtutes in admirationem rapiat, quę in Cantic. dicunt: Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens? Quomodo, quæso, in vnũ coëunt, è deserto ascẽdere, & deliciis affluere; cùm in deserto nihil nisi squalor, solitudo, atque sterilitas omnium deliciarum sit? Imò verò hæc inter se maximè cohærẽt. Eos namque qui in hac terrenarum deliciarum sterilitate tanquã in deserto viuunt, spiritualibus gaudiis atque deliciis oblectare Dominus solet, vt veris gaudiis vana gaudia, solidis bonis inania bona, spiritualibusq; deliciis carnales delicias repudiare facilè queant. Hac ergo spiritualis iucunditatis illicebra fidelium mentes mira modo ad se Dominus trahit. Quod quidem Prophera significasse videtur, cùm aii: Mãducarunt, & adorauerunt eum omnes pingues terrę, in conspectu eius cadent omnes qui descendunt in terram, quem locum interpres quidã sic explanat. Manducauerunt, & cum gustassent spiritualia Domini dona, supplices facti sunt potẽtissimi quique eorum qui terram inhabitant, & in venerationem illius genua flectẽt. Gustata enim spirituali suauitate, facile est omnia alia mũdi oblectamenta fastidire, & Christi crucẽ amplecti, & supplicẽ illi fieri. *Cant. 8.* *Psal. 30.* *Psal. 21.*

Adde his etiam mercedem, quæ strenuè laborãtibus in cælo repo-

repoſita eſt. Hac enim Apoſtolus Corinthios ad ſtrenuè laborandũ hortatur, cùm expoſita reſurrectionis & immortalitatis gloria tandem ait: Itaque fratres, mei ſtabiles eſtote, abundãtes in omni opere Domini: ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino. Dei enim ineffabilis & immenſa bonitas, quæ ſuauiter omnia diſponit, in hoc breuis æui curriculo certamina & labores eſſe voluit: in altero verò, quod ſempiternũ eſt, præmia ſunt & coronæ meritorũ. Hic militamus, illic coronamur, hic per labores præparamur ad regnũ; illic verò defuncti laboribus vocamur ad requiem. Cuius rei imaginem ſtructura templi Salomonis commodiſſimã exhibet. In eius námque fabrica (quemadmodum in Regum lib. legimus) malleus, & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita cùm ea domus ædificaretur. Adeò enim perfectè lapides & ligna in mõte Libano dolata erãt, vt in ſuo quodque loco ſine ſecuris aut mallei officio aptiſſimè collocaretur. Quod igitur in illius terreni tẽpli fabrica contigit, idem etiã in cæleſtis templi ſtructura eueniet: quæ ab origine mundi cœpta, in fine tandẽ, non ex mortuis, ſed ex viuis lapidibus conſummanda eſt. Hic enim lapides viui dolantur: illic verò ſine vllius ferramenti miniſterio in ſuis ſedibus collocantur. Sed quonammodo dolãtur? Eccleſia appoſitiſſimè id in hymno declarat his verbis: Tunſionibus, preſſuris expoliti lapides ſuis coaptantur locis, per manum artificis diſponuntur permanſuri ſacris ædificiis. Hac ergo ſpe ſe pij homines conſolantur, cum variis in vita laboribus præmuntur, quòd intelligant, ſe tũc nõ premi, ſed poliri, nõ à Deo deſeri, ſed dolari, non lacerari, ſed ornari, quo in illa cæleſti fabrica tanto præſtantiorem locum obtineant, quanto maioribus hic laboribus preſſi & attriti fuerint. Niſi enim hac bona ſpe ſuſtentarentur, quomodo inter tot mundi turbines atque procellas ſubſiſtere poſſent? Hinc pro eo, quod nos legimus: Credo videre bona Domini in terra viuentium, alij verterunt, Niſi credidiſſem me viſurum bona Domini in terra viuentium. Eſt autem oratio Hebrææ linguæ more præciſa, quę hunc ſenſum propoſito noſtro accommodatũ reddit, Cùm aduerſum me tot iniqui teſtes inſurrexiſſent, in eas anguſtias coniectus ſum, vt niſi firmiſſimè credidiſſem, & veluti perſuaſum habuiſſem, viſurum me aliquando inſignem Domini benignitatem & clementiam in terra, in qua ſemper viuunt, qui nunquam ſunt morituri, tunc animum deſpondiſſem. Hæc igitur piorum firmiſſima ſpes mirum modo ipſorum animos ad ferendos labores munit & roborat.

1. Cor. 15

3. Reg. 6.

Pſa. 26.

Iam

III.

Iam verò Sanctorum omnium varij labores atque certamina
Gregor. pro iustitia & pietate susceptа, quantum nos ad laborum tolerãtiam excitare debent? Facta, inquit D. Gregor. præcedentiũ pensemus, & grauia non sunt quæ toleramus. Sed intra hos tamen, sanctorum Martyrum agones singulariter eminent. Hoc enim rabida Tyrannorum feritas, Satanæ furiis exagitata, captabat, vt aliquid morte atrocius inueniret, si qua fieri posset, vt Dei famulos de gradu virtutis & constantiæ depelleret, & inuictam eorũ fidem labefactaret. Vnde alij bestiis immanibus laniãdi obiiciebantur: alij persaxa & tribulos ad caudas indomitorũ equorum alligati raptabantur, alij membratim dissecabãtur: alij frequentibus sagitis configebantur : alij nouo genere supplicij bruma li tempore borealiq́ue regione vinctis pedibus frigore enecãdi reponebantur. Quid verò illos memorem, qui in sartagine feruẽti oleo atque adipe frigebantur? Quid, qui in craticula prunis suppositis, furcisq; ferreis cõpressi torrebantur? Quid, qui in eculeo suspensi, ferreis pectinibus, altè impressis excarnificabantur. atque ita sulcatis visceribus super acutas testulas & tribulos lacerandi iactabanrur? Quid, qui diuersis flagellorum generibus, virgis, scorpionibus & plumbatis cædebantur? Quid, qui fame, & squalore, ac tenebris carceris longo supplicij genere conficiebantur? Quamuis autem mirum sit, tam varia & immania tormenta vnum corpus adeo fragile sustinere potuisse, longè tamẽ mirabilius est, videre, qua animi constantia & alacritate ad hæc supplicia fideles proficiscebantur, adeo vt multi etiam non quæsiti vltrò se ad exoptatissimam mortem offerrent, magna voce clamantes, Christianus sum, Christianus sum. In his igitur qui se ad mortem vltro offerebant, martyrij ardor; in aliis, qui deprehensi ad mortem ducebantur, deuotio, & animi prõptitudo præcipuè commendatur. Quod cum in aliis, tum in beatissimo martyre Cypriano animaduertere licet: qui cum ad Galerium Præsidẽ adductus esset, Galeriusq́ue dixisset; Tu es Cyprianus? vir sanctus incunctanter respondit; Ego. Tum Galerius. Tu es ille quem Christiani Papam suum nominãt? Sanctus Dei respondit: Ego. Proconsul dixit: Iusserunt tibi Principes adorate Deos. Sanctus Dei respondit: Non faciam. Proconsul dixit: Melius faceres si saluti tuæ consuleres: Sanctus respondit, Salus mea Christus est. Denique contra illum Deos negantẽ & blasphemãtem sententia ex tabella recitata est: Statius Cæcilius Cyprianus gladio feriatur. Sanctus Dei respondit, Amen. O amen! ô dulce verbum! ô fœlix vitæ clausula! ò ingens mortis desiderium hac vna

voce

voce declaratum, quo Sanctus Dei vitam conditori suo atque redemptori impẽdere cupiebat! Atque hac nouissima voce prolata, ceruicem obtulit gladio, proque tanto beneficio carnifici viginti aureos dari iussit: & cùm vitam alij redimant auro, iste mortem mercatus est auro.

Denique non rarò infideles ipsi, qui tormentis aderant, insuperabilem hanc animi magnitudinem & constantiam demirati aliquid ibi supra humanę naturæ conditionem sublimius intelligebant. Qua de re sic idem Cyprianus in epistola ad quosdã sanctos Martyres, vidit, inquit, admirata pręsentium multitudo cœleste certamen: certamen Dei, prælium Christi, stetisse seruos eius voce libera, mente incorrupta, virtute diuina telis quidem secularibus nudos, sed armis fidei credentis armatos Steterunt torti torquẽtibus fortiores, & pulsantes ac laniantes vngulas pulsata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem superare non potuit sæuiens plaga diu repetita, quamuis rupta compage viscerum torquerentur in seruis Dei non iam membra, sed vulnera. Horum autem exemplorum quanta sit in Ecclesia multitudo, declarat Sponsa in Cantic. cùm ait: Sicut turris Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex illa, omnis armatura fortium. Inter quæ spiritualis vitæ munimenta non postremum locum sanctorum Martyrum exempla tenent. Quid? quòd non solùm Martyres, sed sancti etiam Confessores iam multos labores, & perditorum hominum infestationes passi sunt? Sanctissimo Papæ Gregorio, præter barbarorum incursiones, & grauissimos corporis morbos quos in vita pertulit, ne mortuo quidem mundus pepercit. Post eius namque mortem quædam eius clarissima scripta à perditis hominibus, eius gloriæ inuidentibus, igni tradita sunt. Alter verò Gregorius Nazianzenus Constantinopolitanus antistes, cathedram suam ob æmulorum inuidiam deserere coactus est. D. Basilius grauissimas ab Imperatore Valente Arriano persecutiones passus est. D. Chyrsostomus innocens & sanctus exilio mulctatus, atque in eo magnis exantlatis laboribus propter Ecclesiam & morum correptionem, vitam finiuit D. Hieronymus ob maleuolorum inuidiam Romam deseruit, & in Palæstinam profectus, adeò graues canum suorum morsus pertulit, vt nonnulli eum hæreseos insimularent. Ambrosius item accerbissimum odium à Iustina Arriana, Valentiniani Imperatoris matre, sustinuit. Quid verò Athanasius? cui vix vllus in toto terrarum orbe tutus locus ad latẽdũ fuit: qui (quod pẽnè incredibile esse videtur sex annos

*Cypriam.*

*Cant. 4.*

*Gregor.*

*Gre. Na.*

*Basil.*

*Chrysost.*

*Hieron.*

*Ambros.*

*Athan.*

continuos

continuos in ſicca ciſterna ſiue Solis aſpectu latuit.

Nunc ad vos, fratres, Si ea diuinæ gratiæ & charitatis virtus eſt, vt non modò diuinæ legis onera, ſed immania etiam Tyrannorum tormenta alacri & inuicto animo perferre valeat, quam, quæſo, nos ante ſuperni iudicis tribunal excuſationem obtendere poterimus, cùm apertè videamus eiuſdem naturæ conſortes tanto maiora onera diuinæ gratiæ ope adiutos pertuliſſe, quàm quæ à nobis exiguuntur? Hæc igitur à nobis hodie in beato N. virtutis & conſtantiæ exempla proponuntur, quæ vt improbis omnem excuſationis anſam adimunt, ità piis acres ad virtutem & pietatem ſtimulos addunt. Itaque, fratres, non ſolam diuinæ legis aſperitatem animaduertere debebis, ſed vlterius progreſſi, conſiderate, perditorum hominum vitam longè maioribus curis & moleſtiis eſſe implicitam: piorum autem, præter quàm quòd minus moleſta eſt, hæc etiam adiumenta, quæ ſunt à nobis propoſita, habere. Adiuuat enim nos primùm meriti magnitudo, quòd ſtrenuè laborãtibus propoſitum eſt. Adiuuat corona cęleſtis, quæ iuſtitiæ & integritati in cælo propoſita eſt. Adiuuat paracletꝰ Spiritus, qui fidelium corda, ne laboribus fracti deficiant in via, miris reficit gaudiis atq; deliciis. Adiuuat poſtremò inſuperabilis diuinæ gratiæ virtus, quæ ita Apoſtolorũ & Martyrum mentes muniuit, vt eorum omniũ ſit illa vox, Quis nos ſeperabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculũ, an perſecutio, an gladius? His igitur adiumentis confirmati, fratres, animũ reſumamus, & ad diuinorũ præceptũ obedientiã alacriter accingamur. Nulla nos mundi aduerſitas, nulla carnis voluptas, nulla terreni lucri cupiditas, nulla popularis aurę vanitas, nulla prauorũ hominum exẽpla, nulla conſilia, nullæ ipſorum ſiue iniuriæ, ſiue cõtumelię, nihil deniq; in vita ſit quod nos à cõtẽto pietatis & iuſtitiæ curſu retardare poſſit, ſed his omnibus impedimẽtis atq; hoſtibus ſuperatis, per ſemitas iuſtitiæ gradiamur, vt ſic tandem ſempiternæ coronã cũ eiſdem Martyribus ab imperatore noſtro promiſſam, percipere mereamur: qui cũ Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

*Rom. 8.*

IN

In festo Sanctorũ Martyrum concio secunda, de fidei veritate : in qua duo clarissima eius testimonia & firmamenta tractantur: alterum, mundi conuersio, quæ sine miraculis esse non potuit: alterum diuinæ gratiæ virtus, quę internæ pacis & trãquilitatis beneficio miro modo eiusdẽ fidei veritatẽ confirmat.

THE. *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.* 1. Ioan. 1.

INter ea quæ ad vitam hominum optimis institutis moderandam adiuuant, tantum rectè viuendi exempla conferunt, vt sempiterni Patris Filius sub imaginis humanæ specie terras lustrare, & inter homines versari dignatus fuerit: non solùm, vt eos redimeret, sed etiam vt seipsum absolutissimum virtutum omnium exemplar exhiberet. Vt enim Lactantius ait, Homines ma- *Lactan.*
lunt exempla quàm verba, quia loqui facile, præstare difficile. Hac igitur de causa Ecclesia de communi semper omnium salute solicita: quæ nullum non mouet lapidem, quo nos ad virtutis & pietatis studium impellat, tam multa & varia Sanctorum festa singulis penè diebus celebranda proponit, non solùm vt eorũ precibus & intercessione infirmitas nostra iuuetur, sed etiam vt clarissimis virtutum eorum exemplis languor & tepiditas nostra accendatur. Quamuis autem Spiritus ille cœlestis (qui totius sanctitatis & iustitiæ architectus & magister est) Sanctos omnes, quasi vas auri solidum, cunctis virtutum gemmis ornauerit, in aliis tamen alias atque alias virtutum laudes magis extulit, & amplificauit. Sic commendamus in sanctis Patriarchis obedientiam, in Prophetis rerum diuinarum scientiam, in Apostolis charitatem, in Martyribus fidem, in Confessoribus deuotionem, in sanctis monachis & anachoritis mirabilem abstinentiam & diuinarum rerum contemplationem, in virginibus illibatum virginei pudoris florem, & in sanctis viduis sobrietatem & continentiam. Cùm his igitur diuinis coloribus summus ille artifex polymitam Ecclesiæ vestem distinxerit, prudentissimè no biscum eadem agit Ecclesia, quæ tot Sanctorum festis propositis, vestem suam deauratam, mira virtutũ varietate contextam, nobis quotidie spectandam proponit: quò inter tot pretiosa virtutum monilia aliquid vitæ nostræ instituendæ commodum & salutare inueniamus. Cùm igitur hodie beatissimi N. Martyris festum diem celebremus, in sanctis autem Martyribus inconcussam

cussam fidei firmitatem præcipuè commendemus, de hac hodie dicturi, cęlestem opem, sacratissimę Virginis interceſſione, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Erunt fortaſſè qui hoc argumẽti genus, quo de fidei veritate tractare decernimus, minimè neceſſarium firmiter iam credentibus dicant. At cùm multos paſſim, proh dolor, reperire liceat, qui ita credunt, quaſi non crederent, qui videlicet ita viuunt, ac ſi nullam prouidentiam, nullumque apud Deum bonorum malorumque diſcrimen eſſe arbitrentur, de fidei veritate atque dignitate apud hos ſępè dicere neceſſe eſt, his præſertim infeliciſſimis temporibus, in quibus tam multa fidei naufragia lamentamur. Hos igitur, tãquam infirmos in fide, neceſſe eſt vt iuxta Apoſtoli prȩceptum aſſumamus, & non modò ipſius fidei auctoritate, ſed etiam apertiſſimis diuinorum operum argumentis cõuincamus: ſi fortè apud quos fidei auctoritas min⁹ valet, rationis vis & efficacia valere poſſit. Nec ad hos modo, ſed ad eos etiam qui piè in Chriſto viuunt, huius argumenti tractatio perquam vtilis eſt. Cum enim fides (vt Apoſtolus docet) totius ſpiritualis vitæ radix & fundamentum ſit, ea vtique nobis aſſidua cura, & vigilanti ſtudio colenda & roborand a eſt Sic enim videmus hortorum cultores omnem operam ſuã in excolẽda arborum radice ponere: hanc enim frequẽtibus aquis irrigant, ſimo iniecto fouent, terrã, cui innixa eſt, molliunt, quo ad imas radices peruius ſit ſolis, pluuiæ, aëris & cęlorum influxus. Hoc enim diligẽter prouiſo, beneficium in vnam radicem collatum in omnes arboris ramos fructusque redundat. Cùm ego fides non modò iuſtificationis noſtræ, ſed totius quoque ſpiritualis vitæ, cæterarumq; virtutum radix & fundamentum ſit, omnem operam noſtram in hac virtute excolenda, fouenda, roboranda & diuinorum operum miraculis confirmanda collocare debemus, quo radice ſolidata, maximos in cæteris virtutib⁹, velut in ramis ab hac radice prodeũtibus, proceſſus faciamus. Hac enim ratione Apoſtolus Chriſtiani hominis profectum atque iuſtitiam ex fide in fidem eſſe teſtatur: quia videlicet ad profectum vigentis & inflammatæ fidei, cęterę quoque virtutes aſſidua capiunt incrementa.

Similis.

Quamuis autẽ fidei noſtræ veritas à diuini Spiritus lumine magis quàm ab humanę rationis argumẽtis pẽdeat, ſunt tamẽ adeò multa & magna argumenta quæ illam cõfirmant, vt meritò Propheta dixerit, Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis. non enim ſolum fidei lumen, ſed humanę quoque rationis

lumen

lumen miro modo huic veritati adſtipulatur. Vnde non immeritò illa Richardi ſententia cõmendatur, Vtinam attẽdere vellent Iudæi & Gentiles. Verè enim tam multa & magna ſunt quę nos ad credendum impellunt, vt dicere Domino poſſimus Domine ſi decepti ſumus, à te decepti ſumus. *Richard.*

Sed cùm tam multa ſint quę fidei noſtræ veritatem confirment, duo tamẽ ſunt eius prȩcipua teſtimonia, quorum altero exterius, altero interius eius veritatẽ hominibus Dominus in mundum inuexit. Exterius enim per clariſſima miracula, interius verò per magnificẽtiſſima diuinę gratię opera, quę in piorum mentibus operatus eſt, eius veritatem confirmauit. De his igitur duobus fidei noſtrę teſtimoniis mihi hodie, aſpirante diuina gratia, diſſerendum eſt.

PARS PRIOR. I.

Et quidem miracula (vt D. Th. ait) Catholicę fidei veritatem pleniſſimè confirmant, vtpote diuinæ potentię opera in teſtimonium catholicę veritatis edita, quę nec fallere quenquã, nec ipſa falli poteſt. Non defuiſſe autem miracula in fidei prędicatione, prȩter ſacrarum literarum teſtimonia, ex eo ſancti Patres colligũt: quòd nullo modo homines induci potuiſſent, vt verum hominem, humili & paupere matre natũ, ignominioſoq; cum facinoroſis hominibus ſupplicio crucis affectum, verum Deum eſſe crederẽt, niſi clariſſimis miraculorum operibus ad hoc credendum impellerentur. Adde non ſolùm matris, ſed etiam patris, cuius illi filium eſſe putabant, humilitatem. Ait enim Lucas, ipſum cõmuni hominum iudicio Ioſephi, hoc eſt, fabri filium creditum vulgò fuiſſe. Quid enim aliud crẽderent, qui Dominicæ incarnationis ſacramentum, ipſis etiam cœleſtibus virtutibus admirandum, prorſus ignorabant? Qua ergo ratione (niſi apertiſſima miraculorum teſtimonia interceſſiſſent) fabri filium, qui ſecuri & ſerra victum ſibi parabat, Deum omnipotentem, & rerum omnium cęleſtium atque terreſtrium cõditorem & moderatorem eſſe homines crederent? Hac enim ratione (vt Nicephorus ſcribit) Varanes Perſarum Rex atrociſſimè Chriſtianos inſectabatur, inſanire illos aſſerens, quòd fabri filium omniporentem Deum eſſe crederent. Inter alios verò nobiliſſimum quendam virum, Achemenidem nomine, damnauit, quem opibus atque omni dignitate priuatum, nudum, & ſubligari tantùm præcinctum, aulici comitatus camelos ducere iuſſit. Perpauci interceſſere dies, cùm Rex ex ſuperiore porticu proſpectans, præclarum illum virum, æſtu ſolis aduſtum, & puluere obſitum vidit: & patris eius gloriam in mentem reuocans, *Niceph. lib. 14. cap. 30.*

cum reduxit,& linea tunica veſtiuit,Et cum labore & ærumna illum confectum faciliorem iam & propenſiorem ad gratiam à ſe ineundam fore putaret.Vel nunc tandē,inquit,erroru prio re repulſo,fabri filium ex animo tuo eiice.Atque ille exardeſcēs,tunicam illam couſciſſam abiecit,& voce magna,Si huiꝰ, inquit, gratia religionem longè optimam mutaturum putas en munus tuum tibi,vnà cum impietate habe. Quæ cum ita ſint,quid,quæſo,mirabilius,quàm verum hominem,mortalitatis & naturæ noſtræ conſortem,fabri creditum filium, & cum facinoroſis hominibus ad crucem damnatum, verum Deum mundi opificem,& rerum omnium dominum atqne gubernatorem eſſe credere? Qui ergo fieri potuit,vt rem tantam homines ſine miraculorum atteſtatione crederent? &(quod eſt mirabilius)tanta firmitate & conſtantia crederēt,vt nō vincula,non carceres,non exilia,non rotæ,non proſcriptiones bonorum,nō ſcorpionum verbera,non diſcerptiones membrorum,non dentes beſtiarum,non vngula fodiens,non ignis vrēs,non lebetes adipe atque oleo feruentes,non denique omnia tormentorum genera,quæ vel immanitas hominum,vel furor Dęmonum excogitare potuit,poſtremò non omnis aduerſus eos orbis dimicans,ab hac fidei firmitate & confeſſione dimouere potuerint Aſtiterunt enim Reges terræ,& principes conuenerunt in vnū aduerſus Dominum,& aduerſus Chriſtum eius.Omnes enim Reges tertæ,omnes mundi imperatores, omnia regna terrarum,ombes omnium ordinum homines,Iudæi & Gentes,philoſophi & ſeculi potentes,ac poſtremò vniuerſus orbis ad hāc fidem expugnandam omnibus machinis atque tormentorum generibus vna mente vnóque conſilio conuenerunt,Quorum rabiem atque furorem idem Vates,fremitus nomine deſignauit,cùm ait:Quare fremuerunt Gentes,&c.Nihil tamē horum ſanctorum Martyrum fidem vlla in re aut labefactare,autimmi nuere potuit.

Addā hic aliud impugnationis genus,quod ſanctos Martyres multo magis(vt ego quidem ſentio)quàm omnia tormēto rū genera(niſi illis diuina virtus affuiſſet)conturbare potuiſſet. Quod vt intelligatis,ſciendum eſt,hunc eſſe eorū hominū qui terrenorum bonorū ſpe Deum colunt,ſenſum atqne iudicium vt ſucceſſu rerum religionis & fidei veritatem metiantur. Hoc apertè liquet exemplo eorum qui in li.Machab.ſeipſos his verbis cohortati ſunt,Eamus & diſponamus teſtamentū cum Gentibus quia ex quo receſſimus ab eis,inuenerunt nos mala multa Et bonus viſus eſt ſermo in conſpectu eorum,&c.Sic eciam

mulieres

mulieres Ieremiæ,ipsas ab idolorum cultu reuocāti,respondérunt,Sermonem quem es locutus ad nos in nomine Domini non audiemus ex te,sed facientes faciemus omne verbū quod egredietur de ore nostro,vt sacraficemus reginæ cœli, & libemus ei libamina,sicut fecimus nos, & patres nostri:& satutari sumus panib⁹,&benè nobis erat malūq; nō vidimus Ex eo autem tēpore quo cessauimus sacrificare reginæ cœli,& libare ei libamina,indiguimus omnibus,& gladio,& fame consumpti sumus.Similíque ratione Gentiles, cùm res Romanorū variis calamitatibus propter barbarorum incursiones premerentur, hoc argumento fidei Christianæ veritatem impugnabāt,quod florentissimum aliàs Romanorū imperium : vbi religio nostra prædicari cœpta est,tot malis vrgeretur. Aduersus quem perfidorum hominum errorem D. Cyprianus contra Demetrianū, saluianus contra Gentes,& D. Augustin. in lib. de ciuitate Dei diligentissimè scripserunt.

Vt autem perditi homines ob res aduersas & incommodas religioni detrahunt,ita contrà prosperis successibus eam amplectuntur, & probant.Quam rem apertè in lib.Esther cernere licet. Gentiles quippe admirandam illamrerum commutationē animaduertētes, qua Iudæi ad mortem,ob Aman crudelitatē, destinati , ad tantā gloriam sub Mardochęi principatu subito euecti fuissent,relicto idolorum cultu,ad Iudæorum religionē transibant,præstātiam videlicet ac dignitatem religionis hoc tam fœlici successu metientes.Qua de re extat in historia Tripartita memorabile exemplum,dignissimum planè quod hoc in loco referatur.Ait enim in eo lib.Socrates:Quædam gens vltra Rhenum fluuium est Burgundiorum. Isti vitam quietam agunt,& penè omnes fabri lignorum sunt,ex qua mercede pascuntur,quorum regionem Hunni crebra inuasione vastabant & plurimos occidebāt.At illi,licet anxiērate constricti,ad nullum se tamen hominem contulerunt,sed alicui Deo se cōmittere cogitabant.Tum audientes quòd Romanorum Deus fortiter adiuuaret se timentes,omnes communi cōsilio ad credulitatem Christi confugiunt.Qui sumpta fiducia contra Tyrānos alacriter festinabant,& spe sua frustrati nō sunt.Hactenus Socrates.Cùm igitur hæc fuerit ferè semper vulgariū hominū ac præcipuè Gentilium sententia,dicere vtique illi eo tempore nostris poterant:Si Christus,quē vos cōfitemini,verus De⁹ & cœli ac terrę Dominus est,si in eius manu sunt omnium potestates,& omnium iura regnorum:vos autem, tanta illum fide, obedientia & religionè colitis , vt prius omnia tormentorum

*Lib.12. cap.4.*

genera perpeti,quàm ab illius fide & cultu discedere malitis: quomodo is pro eo ac vestra fides meretur,non magnificentissimis vos præmiis afficit,cõtráq;, quomodo non atrocissimos nominis sui hostes,ac religionis suæ euersores exquisitis supplicijs mactat & perdit? Tantũ verò abest vt hoc faciat,vt iuratissimi eius hostes opibus,imperio,& rerum omnium abundãtia floreant,vos verò innumeris laboribus & ærumnis cõfecti acerbissimam vitam in luctu & squalore semper agatis,& omnibus hominibus inuisi,nullum satis tutum ad latendum locũ inuenire valeatis;ac postremò atrocissimis&inauditis ex hominum memoria suppliciis miserrimã vitam finiatis, sic vt calamitosa vita morte multo acerbiore finiatur. Quis enim terrenorum Regum homines fidei suæ commissos,& ob eius fidẽ variis calamitatibus à finitimis hostibus oppressos deserat,ac nõ potius arma moueat,& ferro ac flamma seruorum ciuiumque suorum iniurias vlciscatur? Quomodo igitur Deus vester neque vobis spem aliquam salutis ostendit,& religionis suę euersores non modo impunitos relinquit, sed omnium rerum abũdantia cumulat? Et quidem si hæc Dei vestri obliuio & negligentia per decem solùm,aut viginti,aut etiam triginta annorum spatium protenderetur,nõ adeò mirum esset,vicinæ enim salutis spe sustẽtaremini,sed cùm iã trecenti penè anni exacti fuerint in quibus hæc tam dira clades perseuerat,quæ & vitas, & fortunas vestras sine vlla intermissione deuastat, quid aliud consequentibus annis sperare poteritis,quàm quòd tam lõgo spatio hactenus experti estis? Hæc planè Gentiles dicere poterant, quibus fidem nostram labefactari posse credebant. Quomodo igitur hi duo potentissimi arietes,quibus humanum pectus quatiebatur(cum ex altera parte tam immania tormentorum genera Sanctorum vitam peterent,ex altera hæc Gentilium ratiocinatio,& tam longa tot annorum persecutio eorum fidẽ atque constantiam lacesseret)quomodo,inquam,hæc ipsa Sanctorum fidem non euerterent,nisi innumera quotidie miracula cernerent,quibus non modo aliàs,sed in ipsis etiam suis agonibus & certaminibus ab imperatore suo Christo mirificè cõfirmarentur? Quoties enim feras aduersus illos incitatas mansuefecit? quoties ignis vim atque violentiam extinxit? quoties tortorum manus& brachia stupefecit? quoties feruentem adipem atque oleum in frigidum rorẽ commutauit, Denique pulcherrimum ac verè mirandum certamen inter sanctos Martyres & Martyrum Dominum video intercessisse. Illi enim,ne Domini sui fidem violarent vitæ suæ non percebant,fidelis autem Dominus

minus miris eos auxiliis atque, fauoribus tum internis tũ exter nis in ipsis suis agonibus cõfirmabat. Cuius rei cùm innumera- penè in Ecclesiasticis historiis exempla extent, vnum ex tam multis, quod Eusebius Cæsariensis octauo Ecclesiasticæ histo- riæ lib. cap. 3. se non ab aliis accepisse, sed vidisse ait, pius con- cionator referre poterit, in quo apertè & Martyrum fidem erga Dominum, & Domini rursus erga illos fidem & paternam pro uidentiam cernere licebit. *Euseb. Cæsar.*

Ex his ergo quæ hactenus diximus, cùm alia multa, tũ illud animaduertere poteritis, fratres, quanta aduersus Dei seruos mundi tempestas excitata fuerit, quantaque diuinæ protectio- nis gratia erga illos effulserit, qua Ecclesiæ fidẽ stabiltuit. Vtrũ- que autem regius Propheta in spiritu præuidisse se ostendit, cùm ait, Eleuauerunt flumina Domine eleuauerunt flumina vocem suam, eleuauerunt flumina fluctus suos à vocibus aqua rum multarum mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Do minus. His porrò methaphoris vates sanctus horribilem mũdi procellam aduersus Ecclesiam concitatã describit: de hac enim se loqui ostendit, cùm protinus subdit: Testimonia tua credibi lia facta sunt nimis. Quamuis enim mundus infidelitatis spiri tu ebrius, omnibus machinis Christi nomen extinguere, & fi- dem in eum funditus euertere conaretur, nihilominus tamen idem mundus, Dei virtute, & Martyrum constantia superatus. sic eius fidem amplexus est, vt qui antea propter idola Christũ persequebantur, idola deinde propter Christum euerterent & conculcarent. Cætetùm quanta fuerit illa quæ præcessit tempe stas, aquarum & fluctuum appellatione designauit. Aquarum enim nomine varias calamitates significari, exillo eiusdem Pro phetæ versiculo colligimus; Saluum me fac Deus, quoniam in- trauerunt aquæ vsque ad animam meam. Cùm ergo vir sanctus & flumina, & fluctus, & voces aquarum multarum & mirabi- les maris elationes cõmemorat, atrocissimam mundi persecu- tionem aduersus Ecclesiam excitatam designat. Sed quamuis mirabiles magni maris huius elationes atque fluctus extite- rint mirabilior tamen fuit in altis Dominus, qui statuit procellã eius in auram, & siluerunt fluctus eius, & ita factum est, vt ei testimonia nimis credibilia facta fuerint Ipse enim imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.

## PARS POSTERIOR.

### II.

Hoc igitur primum argumentũ est, fratres, quo fidei nostræ

veritas confirmatur. Quod enim Dominus hanc tantam mũdi rabiem atque tempestatem sedauerit, quòd mundus paternam auitámque religionem à toto penè terrarũ orbe receptam atq; defensam repudiauerit,& pro ea verum hominem,fabri filium existimatum,& crucis supplicio affectum, verum atque omnipotentem Deum, cæli ac terrę conditorem & moderatorẽ esse crediderit,hoc planè nullo modo sine clarissimis miraculorum operibus fieri potuit. Verùm non solùm hoc firmissimo argumento,sed alio etiam, huic non admodũ dissimili,quod intra se pij homines passim experiuntur,eadem veritas confirmatur: nempe alterius intestinę tẽpestatis mirabili sedatione.Est enim duplex in hoc seculo mare, alterum quidem externũ,quod hactenus descripsimus, alterum internum, quod intra nos ipsos gestamus.In vtroque autem grauissimæ sæpè tẽpestates & procellę excitantur, quę nisi diuinę virtutis auxilio sedari possunt. Quo fit,vt vtriusq; tẽpestatis sedatio,clarissima fidei nostrę cõfirmatio fit.Est enim intra nos(vt dixi)aliud quoq; mare,angustius quidẽ illud,sed non minus procellosum:vtpote à quo superior illa aduersus Christi fidẽ tẽpestas orta est. Ille namq; mundi furor & rabies,quę & Domini, saluatoris, & cultorum eius vitam petebat,ab humani cordis procella deriuata est.Vt enim
*Esaiæ 57.* Esaias ait, Cor impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest.Quod enim mare,quod fretum,quem eurypum tot motus,tantas,tam varias habere creditis agitationes, quot habent corda malorum? Tument enim superbia, furiunt iracundia, æstuant auaritia, spumant libidine, fremunt inuidia, agitantur variis cupiditatibus, mutantur assiduè, modò pusillanimitatis spiritu contracti, modò ambitionis fluctibus elati, ac demum tot perturbationum motibus exagitati, quot incommoda rebus us accidunt, quibus per amorem adglutinati sunt. In hoc autem infœlici statu degunt, quicunque Deo, hoc est, tutissimo pacis & tranquillitatis portu relicto, variis mundi curis & cupiditatibus implicantur. Vt enim D. Hieron.ait: Quicunque à Domino recedunt, statim seculi fluctibus quatiuntur. Hinc D.Gregor.Qui, inquit, relicto Deo se sibi sufficere credit, nihil in se nisi tumultum perturbationum inuenit, inuenrumque se fugere quærit, & auctore contempto, quo se ipsum fugere valeat,non habet.

Portrò autem fluctus & flatus quibus hoc mare exagitatur, affectus nostri, & varia desideria sunt, quę cùm vehementiora fuerint, transuersos homines in varios perturbationum scopulos agunt,& sursum atque deorsum miscent.Quot enim mũdi nau-

naufragia, quot generis humani clades ac mortes Alexãdri Magni, Iulij Cęsaris, cæterorũq; mundi Principũ auaritia, ambitio & dominãdi libido pepererũt? Quot quotidie in corde auari, libidinosi, cupidi, elati, & irati æstus & procellæ excituntur? Itaq; tempestates omnes atque turbines mundi, & omnia denique maioris mundi naufragia ex hoc interno mari deriuantur. Si enim cor nostrum in pace & quiete ageret, totus vtique orbis placidam in tranquillitate & otio vitam duceret.

Cæterùm si per aditum veræ pœnitentiæ, & piarum orationum studium Dominus intret in hoc mare, ibique requiescat, & mansionem faciat, hoc est, nos ipsos in se, qui omnium bonorum summa est requiescere atq; dormire faciat, dum eo solo cõtenti, nihil aliud quærimus, tunc mẽs nostra sublatis terrenarum rerum cupiditatibus adeò summo illo bono satiatur, vt eo refecta, nihil vltrà quærat, nihil sitiat, nihil sit cuius cura & solicitudine nimiùm tangatur, atque ita fit, vt in maxima pace & tranquillitate fœliciſſimam vitam ducat. Quid enim vltrà quærat, quæ iam in suo velut cẽtro requieuit? quid vltrà desideret, quæ ad finem suum iam peruenit? quid vltrà cupiat, quæ in hoc summo bono, bonorum omnium plenitudinem complexa est?

Neque enim falso aut prauo affectu dictum est: Timete Dominum omnes sancti eius, quoniã nihil deest timentibus eum. Diuites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum non deficient omni bono. Quem locum sic Cassiodorus interpretatur. Cùm diligimus Deũ, omnia in ipso reperimus. Vnus est qui quæritur, sed in quo omnia continentur. O lucrum mirabile! ô compendium singulare! cur nos per diuersa fatigamus? Ad ipsum vnanimiter festinemus, post quem cuncta bona vltra non quærimus, sed tenemus. Hactenus ille. Cui nõ dissimile est illud Augustini, qui illa Domini verba explanãs, Ego ero illorum Deus, & ipsi erunt populus meus: sic ait, Ego ero vnde satientur, ego ero quæcunque ab hominibus honestè desiderantur, & vita, & salus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona. Sic enim & illud rectè intelligitur, quod ait Apostolus. Vt sit Deus omnia in omnibus. Hactenus ille. Si ergo in hac etiam mortali vita amicis suis Deus omnia est, quid extra illum desiderare queat, qui intra illum est? Vbi autem nihil est quod desideres, nihil est quod vel speres, vel timeas, vel cuius gratia anxius atque solicitus esse debeas. Vbi enim noxia cupiditas sopita est, cæteri quoque affectus, qui velut satellites eius existunt, non habent cur te commouere, aut exagitare possint. Quia enim vis animę irascibilis læsæ concupiscentiæ vindex

*Psal. 32.*

*Cassiod. super Psalm.*

*Augustin.*

*1. Cor. 15.*

esse dicitur,sublata concupiscentia, non habet illa cur fremere & turbari velit. Ad hunc ergo modum vbi prudēs mercator pre-
Matt.13. tiosissimam illam Euangelij margaritam diu & multum quæsitam,per ardentem charitatem inuenit,hoc vno contentus,cætera omnia distrahit, atque diuendit:hoc est,cætera omnia tanquam ludicra & inania bona contemnit:atque ita terrenarum rerum amore sublato,non habet(vt diximus)pars illa animæ irascentis,cur sæuire,atque miscere omnia debeat.Hac igitur ratione in hoc interno cordis mari fit ope Dei tranquillitas ma-
Gregor. gna.Qua de re sic D.Gregor.Quisquis in solo desiderio æternitatis figitur,nec prosperitate attollitur,nec aduersitate quassatur,quia dum nihil habet in mundo quod appetat,nihil est in mundo quod pertimescat.

Hæc autem noua pax atque tranquillitas magnam & iucundam in corde pij hominis diuinæ virtutis & potestatis admirationem excitat. Cum enim is priora vanitatis & cæcitatis suæ tempora ad memoriam reuocat,& fluctus atque procellas cupiditatum,irarum,curarum,atque libidinum veterum recolit, seque modo in tanta animi pace,& tranquillitate agere videt,non potest non vehementer admirari,& cum Propheta aduersus se studens clamare:Quid est tibi mare quod fugisti,& tu Iordanis
Psal.113. quia conuersus es retrorsum?Quod perinde est ac si diceret; O cor meum,quod quasi mare fremebas!ó vos affectus & cupiditates meæ,quæ ingentes fluctus in hoc mari excitabatis, quo abiistis?quo fugistis?quomodo me in pace tam diu esse finitis, qui prorsus viam pacis ignorabam?Verè à facie Domini mota est terra,à facie Dei Iacob;cuius numen & potentiam in hoc opere adoro,veneror,& agnosco: quamuis ne his quidem argumentis ad eius gratiam & amicitiam me peruenisse affirmare audeam.

Auget autem admirationis magnitudinem breuitas temporis quo hæc tanta mutatio singulari diuini Spiritus beneficio aliquando fit.Aiebat enim Plato,fœlices eos esse, quibus vel in se-
Plato. nectute sapientiam assequi datum esset:quæ nulli,nisi in quiete,& animi tranquillitate contingit.Anima enim quiescendo sapiens fieri dicitur.Videte quantum temporis humana philosophia exigebat,quo sapientiam,& sapientiæ comitem, tranquillitatem,homines assequerentur:quàm certè nehoc ipso tam longo spatio(cùm Dei gratia destituti essent)assequi poterant. At frequenter in hoc interno mari vnico. Domini verbo fit tranquillitas magna.Aliter enim operatur Deus,aliter homo, aliter gratia,aliter natura,etiã si cura iuuetur.Non enim frustra Domi-

ni Saluato-

Saluatoris nomen esse dicitur: Velociter spolia detrahere, citò prædari: nisi quia velocissimè in quibusdam virtus gratiæ: dum diui amoris dulcedine illos præuenit: omnia quæ in mundo dulcia sunt, contemnere facit: atque ita sedata concupiscentia fit protinus in mari cordis tranquillitas magna. Sic D. Augustino contigit, qui vbi primùm ad Dominũ conuersus in benedictionibus dulcedinis præuentus est, protinus spem omnem quam habebat in seculo dereliquit, & hanc in corde suo pacem & tranquillitatem reperit. Idem multis aliis quotidie in Ecclesia euenit, qui tota animi contentione ad Dominũ conuertuntur, quorum ipse corda intra breue temporis spatium mirabiliter immutat.

*Simile.*

Est etiã aliud in hoc opere mirabilius. Sicut enim mare tũc potissimùm furit, cùm immitioribus ventis fuerit agitatum, ita etiam hoc internum mare, cùm variis hominum iniuriis & offensionibus tanquam immitioribns ventis infestatur, tunc rabies irarum & odiorum, & flagrans vindictę cupiditas acrius sæuiũt, & turbulentas excitant procellas. Cùm autem Sancti ne hac quidem occasione à statu & tranquillitate mentis suæ depellantur (quin potius sæpè in ipsa calamitate lætentur, & ipsam maris inundationem quasi lac sugant) dici non potest, quanta hac in re diuinæ virtutis admiratione, quantaque animi lætitia afficiantur. Sic enim illis contigit, quos Apostolus ait rapinam bonorũ suorum cum gaudio suscepisse: & iis etiam de quibus ad Corinth. scribit, Notã vobis facio, fratres, gratiã Dei quę data est in Ecclesiis Macedoniæ: quoniã in multo experimento tribulationis, abundãtia gaudij ipsorũ fuit. Hoc est autem quod Propheta iure miratur, cùm ait: Et statuit procellã eius in auram, & siluerũt fluctus eius. Et lætati sunt, quia siluerunt: & deduxit eos in portũ voluntatis eorum. Non contentus enim Dominus procellam sedasse: quod magnum planè beneficium est: quiddam adhuc maius & mirabilius addidit, quòd procellam ipsam in secundam auram commutauit. Quod planè facit, cùm ipsam calamitatis amaritudinem in dulcedinem vertit. Quam rem hoc in loco Apostolus significauit cùm magnam illã Macedonum tribulationem ingentis gaudij materiã illis præstitisse ait. Hoc autem quonam modo fiat, seculi homines ne suspicari quidem possunt. Quis autem non videat, quantum hoc diuinæ virtutis & gratiæ hominis mentem corroborantis argumentum sit. Quam rem Philosophos etiam aliqua ratione præsensisse ostendit Seneca his memorabilibus verbis: Si hominẽ videris interritum periculis, intactũ cupiditatibus,

*Hebr. 10.*

*2. Cor. 8.*

*Psal. 106.*

inter aduersa fœlicem, in mediis tempestatibus placidum, ex superiori loco homines videntem, ex æquo Deos: non subiit te veneratio eius? non dices, ista res maior est altiorque quàm vt credi similis huic, in quo est corpusculo, possit? Vis istuc diuina descendit. Animum exilentem, moderatum, omnia tanquam minora transeuntem, quidquid timemus optamúsque ridentem, cælestis potentia agitat. Hactenus ille.

III.

Hæc igitur quæ intra se pij homines quotidie experiuntur, sic ipsorum fidem confirmant, illuminant & accendunt, vt illis instar miraculorum, fidem confirmantium, immò supra miracula sint. Multi enim plurimis inspectis miraculis in perfidia sua obcæcato animo perstiterunt: at quisquis hanc Dei virtutem in se expertus est, miro modo in fidei veritate solidatur. Hæc autem admiranda opera & beneficia Dei non oscitanter & segniter spectari Propheta volebat, cùm mortales omnes ad hoc
Psal. 45. spectaculum conuocans diceret: Venite, & videte opera Dei, terribilis in consiliis super filios hominũ. Qui conuertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede ibi lætabimur in ipso. An non ergo merito lætentur in Deo, quibus in aquis validis tribulationum terra apparuit arida & in mari rubro via sine impedimento, quando videlicet ipsi eius fluctus tribulationum materiam præbent gaudiorum. Mirabile quidem fuit maris fluctus Deum compressisse, sed non minus mirabile est, humani cordis rabiem & impetum sedasse, & inter calamitatum & persecutionum turbines placida & tranquilla mente constitisse. Quod qui
Psal. 62. dem regius Propheta beneficio Domini sibi contigisse testatur his verbis: In terra deserta, inuia & inaquosa sicut in sancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam. Quem locum interpres quidam sic explanat. Cùm à facie Saul profugus & exul patria domo, in hac vasta & inculta solitudine inopem & vagam vitam persequor, nihilominus tamen ita te Domine coram intueor, ac si in sanctuario tuo essem, atq; præsenti numine tuo hoc in loco tectus & adiutus contemplor admirabilem potentiam, & misericordiam tuam, quam quotidie in me, ab impendentibus malis eripiendo, meumque animum confirmando, quotidie experio! Itaque cùm vir sanctus ait, se perinde quasi in templo esset, contemplari gloriam Dei, & vim eius salutarem, hoc intelligit in primis, quanquam longè absit à solemni cœtu piorum, pulsus ab iniquo rege in desertas & incultas solitudines, non tamen eã rem impedire quo minus suauissima voluptate potiatur, & pietatem suam alat in potentia & misericordia Dei contemplanda

templanda. Quæ duæ res in maximis calamitatibus potissimũ elucent, dum vir pius vndique premitur, sed non opprimitur: cadens robustior surgit: in luctu & mærore, gaudio triumphat: egẽtissimus est, & omnia possidet quotidie in media morte versatur & tamen viget ac floret. Quæ cũ geruntur ille bonitatem Dei & vim eius præpotentem non cogitatione modò complectitur, (sed vt ita dicam) manibus attrectat. atq; ex ea re admirabilis quædam in animo ipsius exardescit, amoris magnitudo erga clementissimum numen: vt non malè sentire videãtur, qui affirmant Deum in rebus aduersis amabiliorem existere, quàm in prosperis. Quod ita esse, Dauid quoq; in maximis periculis versans suo testimonio cõprobat: cũ subiungit, misericordiam Dei vita ipsa optabiliorem esse. Quæ verba ex animo dicere non potest, nisi expertus: experiendum autem est potissimùm in ipsa calamitate.

IIII.

His igitur multisque aliis similibus argumentis, fratres, quibus fidei lumen à Deo profectum, rationis quoq; lumine, quod ab eodem fonte dimanat, Deo cooperante illustratur, & confirmatur, pij homines in fide Catholica roborantur: cuius nos dogmata miro modo ad pietatis & iustitiæ cultum inducunt. Sic enim illi philosophantur. Si fides nostra tantum habet firmitudinis & veritatis, veriſſima ergo & firmissima ea sunt, quibus nos ad timorem Domini, & veram religionem prouocat. Verissimum est, Deum rerum humanarum curam gerere, & bonorum atque malorum habere delectum. Verissimum est, nihil nos agere, nihil moliri, nihil cum animo nostro cogitare quod nõ sit diuinæ sapientię oculis subiectũ, qui intimos etiam animi recessus penetrat. Verissimum est, futurum extremum iudicij diem, in quo totius vitæ nostræ, omniumque actionum, ad verbulum vsque otiosum, reddenda sit ratio. Verissimũ est, piis inęstimabiles in cœlo opes atque delicias esse paratas, horrendaque & in æternum duratura supplicia reprobis in gehenna constituta. Verissimum est, animas non interire cũ corporibus, sed vbi primùm à corpore solutæ fuerint (nisi aliquid purgandum superſit) operum suorum mercedẽ à iusto iudice Deo qui reddit vnicuique iuxta opera sua, esse percepturas. Harum enim rerum fides quo magis viuida & incensa est, magisque roborata, eo fecũdiora virtutum germina profert. Sicut enim stomacho refecto (à quo alimẽtum ad totum corpus deriuatur) cætera quoque membra per illum refecta vigent: ita fide aucta, & nouis splendoribus illustrata, cæteræ quoque virtutes quarũ *Simile.*

ipsa

ipsa fundamentum est, maiora capiunt incrementa. Ab hoc enim fonte omnia illa virtutum opera, quæ Apostolus ad Hebr. longa oratione enumerat, prodierunt. Abraham enim patriam & genitale solum iussus à Deo reliquit, vt iret quò nesciebat. Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, hoc est, immobilem, & æternam in cœlis, cuius artifex & conditor est Deus. *Heb.11.* Et Moyses luxum atque opes Pharaonis contempsit, maiores æstimans diuitias, improperium Christi, thesauro Ægyptiorum, fide enim aspiciebat in remunerationem. Fides itaque promissionum Dei eos ad labores, & ardua quæque virtutum opera *Ephes.5.* vehementer acuebat. Qua de causa eandem nos Apostolus omnibus in rebus tanquam impenetrabile scutum arripere præcipit, in quo possimus omnia tela nequissimi ignea extinguere. Cùm enim ille flatu suo (quo prunas ardere facit) cupiditates nostras per se ad malum accensas vehementius inflammat, & voluptatis huius ardore ad inconcessa rapere nititur, præstò sit fides, quæ inextinguibilis gehennæ flammas, sceleratis hominibus paratas, & ineffabiles cælestis regni delicias, victoribus constituras, & rosea Christi vulnera sanguine manantia, cæteraque eius beneficia ob oculos ponat, quo harum rerum contemplatione voluptatem repudiemus momentaneam, ne fœlicitatem amittamus æternam.

Qua in re salutare consilium omnibus piè in Christo viuere volentibus in medium afferam, quò omnes diaboli fraudes & *Simile.* machinas superare valeatis. Id verò est, vt quemadmodum prudentis iudicis est, nunquam aliquid in causa pronuntiare, nisi vtrumque litigantem audierit, ita nunquam homo aliquid in cordis sui tribuli definiat, nisi vtraque deliberationis parte dili- *Simile.* genter examinata. Si quis enim alteram libræ lancem leui etiam pondere oneret, in altera verò nihil apponat, an non certum est, ea quæ onera sit, deiiciendam, alteram verò in sublime tollendam? Vtraque ergo suis ponderibus libranda est, si iustitiæ mensuram retinere velis. Hac porrò similitudine aduersus omnes diaboli tentationes vti commodissimè poteris. Subiiciamus aliquot huius rei exempla. Si tibi dæmon carnis delicias & voluptates amplificat, tu in altera libræ lance voluptatibus istis con- *Apoc.18.* stituta supplicia appende, quæ Dominus in Apocal. definit, cùm ait: Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum, & illud item: Momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat. Adde his etiam celebrem illam Philosophorum non immeritò à multis laudatam sententiam, Si quid feceris honestum cum labore, labor abit, & honestas

honestas manet:si quid turpe cum voluptate, voluptas abit:turpitudo manet.Rursum,si tibi dæmon,terrena lucra exaggerans ad fraudes & rapidas trahere nititur,illam Apostoli comminationem tibi ante oculos pone.Hoc autem scitote intelligentes, quod omnis fornicator,aut immundus,aut auarus (quod est idolorum seruitus) non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis:propter hoc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.Hanc item fraudem D.Greg. in Epistola quadam detegit;in qua nobilem quendam virum à direptione alienæ facultatis liberare nititur;prudenter illum admonens,pecuniam quidem se in hoc mundo relicturum , crimen verò alienæ rei ablatæ secum in alium mundum delaturum. *Ephes. 5.* *Gregor.*

Ad hæc,si te dæmon,virtutis & penitentiæ labores exaggerans,ab eius studio deterrere,& ad voluptates & carnis delicias adducere tentet,tu contra hanc eiusdem Salomonis sententiam obiice.Propter frigus piger arare noluit: mẽdicabit ergo æstate, & non dabitur ei.Rursum,si te ad perditorum hominum vitam tanquam placidam & iucundam traducere velit,tu eius mendacium illa Eccle.sententia coargue:Via peccantium complanata est lapidibus,& post hæc inferi ,& tenebræ,& pœna.Considera etiam ingentes eius vitę curas & molestias:hoc est,iracundię furorem,inuidiæ rabiem,odij acerbitatem, comessationum temulentiam ambitionis contentionem, cupiditatum inexplebilem sitim , auaritiæ mendicitatem,variosque gulæ & luxuriæ morbos,infamiam,dedecus,cæterasq; improborum hominum curas & cruciatus expende.Verissimè enim à Propheta dictum est;Contritio &infœlicitas in viis eorum,& viam pacis non cognouerunt.Præterea si te ad fastum & superbiam,& immodicos sumptus inducere velit,tu contra illud Hieremiæ respondebis: Audiuimus superbiam Moab,superbus est valdè; superbia eius, & arrogantia eius plus quam fortitudo eius. Et illud eiusdem; Quia plus fecit quam potuit,idcirco perierunt. Quod quidem vitium hac nostra ætate cunctorum ferè nobilium commune est;quo non seipsos modo,sed hæredes etiam suos magno ære alieno oppressos in gehennam præcipitant. His ergo rationibus,fratres,fidei clypeum arripientes, omnia tela inimici ignea illidere poterimus;atque ita demum fidei præsidio muniti dignos fidei,quam profitemur,fructus proferemus. Qui autem secus faciunt,nequam illum seruum imitantur,qui domini sui pecuniam in terra defodiens,frustra illam sine vllo emolumento reliquit;qui verò fidei dogmatibus,diuinisque oraculis hoc modo vtuntur,hi planè talentum sibi creditum domino suo duplicatum *Psal.13.*

plicatum referunt,æternam pro illo mercedem percepturi, & à Domino audituri:Euge serue bone & fidelis,quia super pauca fuisti fidelis,super multa te constituam ; intra in gaudium Domini tui.

## AD LECTOREM.

HOC *in loco pium concionatorem admonitum volui,vtramque concionis huius partem,ac præcipuè posteriorem:in eo quoque Euangelio tractari commodè posse,in quo ascendente Domino in nauiculam,& dormiente,magna illa tempestas excitata est,quam ipse ventis atque mari imperans,diuina virtute sedauit.Maris quippe tempestas,Ecclesiæ persecutionem:tempestatis verò sedatio, mirabilem Christi Domini virtutem atque triumphum designat.*

## In die festo alicuius sancti confessoris concio prima; in qua lectio Euangelica explanatur.

THEMA. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris,& vos similes hominibus expectantibus dominum suum.* Luc.12.

INTER sacra Euangelica quæ in festis sanctorũ Confessorum Ecclesia legi instituit, Euangelium hoc,vnde quæ audistis verba desumpsi,præcipuè commendatur : quod totius penè Christianæ philosophiæ summam paucis comprehendat, vt paulo post indicabimus. Vt igitur hanc cælestem doctrinam piè & vtiliter tradere valeamus,diuinam opem sacratissimę Virginis interuentu,suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Principio sciendum est,moralem philosophiam,atque adeò omnes disciplinas quæ ad finem aliquem destinantur, duabus præcipuè partibus constare,nempe expositione finis, & eorum quæ ad finem consequendum ordinantur:quæ Philosophi media appellare solent. Sic Aristot.in lib. Ethicorum: vbi vitam hominum & mores formare docet,primo lib.de vltimo humanæ vitæ fine,hoc est,de summa hominis perfectione, & optimo atq; fœliciſſimo eius statu differit : deinde de omnis generis virtutibus latè disputat,per quas ad eum finẽ peruenitur. Hoc autem quod ille multis libris vix absoluit,breuissimo compendio Saluator his pauculis verbis,quæ à me cõmemorata sunt,comprehendit

*Aristot. in lib. Eth.*

prehendit. Finem quippe humanæ vitæ longè certius quàm Aristot. constituit, cùm de obsequio domini erga fideles ac vigilantes seruos loquens ait. *Amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere: & transiens ministrabit illis.* Instrumenta autem siue (vt appellant) media quibus ad hunc finem peruenitur, tria solùm præmisit: ad quæ omnia alia referuntur nempe, lumbos præcingere, ardentes lucernas in manibus gestare, & vigilanter domini aduentũ prestolari. De his igitur instrumentis in præsenti concione, dicere instituit: ita fiet, vt totam penè Christianę philosophiæ summam vobis ante oculos ponam. Ait igitur Domnus:

*Sint lumbi vestri præcincti.* Quid est lumbos præcingere? Nimirum (vt D. Greg. hoc in loco ait) omnẽ carnis lasciuiã & intemperantiã pudicitię atq; timoris Dñi cingulo stringere Qua loquendi figura ex præcipua generis parte vniuersũ genus Saluator intelligi vult Nõ enim impudicitia sola, sed omnia lethalia crimina simul profliganda sunt, si aduentum Domini secura mente expectare volumus. Sed quoniam (vt sancti Patres aiũt) impudicitiæ crimen maximè acre & importunũ est (nusquam enim originalis concupiscẽtia vehementius quàm in libidinis affectu desæuit) ideò huius potissimùm mentionem facit, qui enim hunc potentissimum hostem, corruptę naturæ viribus armatum, demouerit, facilè de cęteris vitiis victoriam reportabit. Quoniam qui maiora vincit, consentaneum est, posse illũ quoque minora superare, Si Iacobus Apostolus eum qui linguam frenaret, cæteros quoq; rebelles animi sensus & motus coercere posse confirmat: multò certè magis qui ita timore Domini septus atque munitus est, vt hũc intimum & familiarem hostẽ opprimere possit, cęteros quoque animæ hostes prosternere, & sub iugum mittere poterit.

*Gregor.*

*Iacob. 3.*

Verùm cupiditatis huius tyrannidem atque potentiam vtinam Solomõ tam diligenter cauisset, quàm sapiẽter explicauit sic enim ait: Lustraui vniuersa animo meo, & inueni amariorẽ morte mulierem: quæ laqueus venatorũ est, & sagena cor eius: vincula sunt manus illius. Qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illa. Quibus verbis apertius periculi huius magnitudo potuit explicari? Sed hoc in loco tamẽ perditis hominibus periculum hoc imminere ait. Alibi verò iustissimis etiam viris, qualis tum ipse, tum Dauid pater eius extitere, idem periculum denunciat. De eadem enim muliere loquens, Multos, inquit, vulneratos deiecit, & fortissimi quique interfecta sunt ab illa. Possem hoc multis fortissimorũ virorum

*Eccles. 9.*

*Prou. 7.*

ruinis,

ruinis,quas ætate noſtra vidi,facilè cõprobare,ſed pro his om-
*Auguſt.* nibus ſatis erit mihi D.Auguſtini teſtimonium, timoris & admirationis pleniſſimum, in medium attuliſſe.ſic enim ait, Crede mihi,cedros Libani , & ductores gregis ſub hac ſpecie corruiſſe vidi, de quorũ caſu nõ magis dubitabã, quàm Ambroſij, aut Hieronymi.Quid his verbis formidabilius?Quamobrẽ fide-
*Hieron. ad Nepotianum.* lis quiſque D. Hieronymi (cuius modò mẽtio facta eſt) conſilium ſibi ante oculos ponat, qui ad Nepotianum ſcribẽs, Omnes,inquit,puellas & virgines Chriſti aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne ſub eodem tecto manſites,nec in præterita caſtitate confidas Nec ſanctior Dauid, nec Salomone potes eſſe ſapientior.Memento ſemper quod paradiſi colonũ de poſ-
*Iſidor.* ſeſſione ſua mulier eiecerit.Hęc ille.D.verò Iſidorus,Iuxta ſerpentem, inquit, poſitus , non eris diu illæſus , & prope ignem conſiſtens,ferreus licet ſis, combureris. Scio eſſe in quibuſdam inſigne quoddam caſtitatis donũ,ſingulari Dei priuilegio conceſſum: Sit ita ſanè.Sed neminem tamen,quamdiu in hoc corpore militat,ſecurum iudico,niſi qui omnem labendi occaſionem fugerit. Itaque magnoperè probo cuiuſdam ex beati Frãciſci ſociis cõſilium,qui cùm mirabile caſtitatis donum à Deo percepiſſet , adeò tamen ſolicitè omnia caſtitatis pericula vitabat,ac ſi iuuenili ardore cor eius vreretur.A quo cum confeſſarius,qui puritatis eius conſcius erat, quæreret, cur tanto ſtudio omnia caſtitatis pericula vitaret , cùm tam præclaro caſtitatis dono prædituſ eſſet?Quoniam,inquit,hoc mihi donum à Deo contigit,quia ego maxima cura omnia pudicitię pericula vito, quod ſi non facerem , fortaſſe non ita mihi Dominus præſenti numine ſuo adeſſet.

Hæc ideò à me dicta ſunt,fratres,quo apertè cupiditatis huius vim vobis indicarem,planumque facerem,cur huius potiſſimum vitij Dominus meminerit,cùm in præſenti lectione ait, *Sint lumbi veſtri præcincti.* Quod videlicet intelligeret, hac hydra ſuperata, facilè ad aliarũ victoriam viam muniri.Cæterùm qui hoc cæleſte caſtitatis donũ adeptus eſt, qui corporis ſui vas in honore non in paſsione deſiderij caſtum integrúmque conſeruauit:is ab occultiſsimo & inſidioſo huius virtutis hoſte(nempe ſuperbia)ſibi cauendum curet.Quæ cum omnibus bonis operibus inſidietur,vt pereant, tum maximè ex caſtitatis ſplendore ſuperbiendi occaſionem ſubminiſtrat. Quo tentandi genere dum ex virtutibus,elationis materiam ſuggerit,ſalutis me-
*Fulgen.* dicamenta in venena conuertit. Hinc D. Fulgentius in epiſtola quadam ait,Spirituales Dei famulos atque famulas à dæ-

mone

mone ita expugnari, vt si eos rebus noxiis mortiferisque non vincat, vitalibus remedio occidat. Et paulò post, Publico, ait, certamine dæmon carnales deiicit: spirituales verò, si quos cautos inuenerit, occultiore conflictu prosternit. Verùm cùm nihil sit vinginitate illustrius, nihil continentia magis admirandum, quippe quæ (vt Athanasius inquit) Angelorum magis quàm hominum esse videatur, illius splendore potissimum humani generis hostis vtitur vt mortales, humilitate deserta, sui ipsorum efficiat admiratores. *Idem.* *Athanas.*

Cæterùm non satis est lumbos carnis præcingere, nisi mentis etiam lũbos (vt Petrus Apostolus monet) præcingamus. Quod quidem tunc facimus, cùm solicita & vigilãti cura cor nostrum (in quo sibi diuina sapientia domicilium collocauit) ab omni impura cogitatione purum integrúmque seruamus. Hoc autem præstamus, quando prauam cogitationem, cùm primùm serpere incipiat tanta celeritate à nobis excutimus, quanta ignem fortè in manus incidentem excuteremus. Quam rem designant suptuaginta illi fortes, Salomonis lectulum custodientes, qui omnes ita gladiis armati erant, vt vniuscuiusque ensis supra femur suum positus esset propter timores nocturnos. Hic autem lectulus, in quo verus Salomon requiescit, iusti viri anima est, quæ quauis impura cogitatione polluitur, & sic à verò Salomone deseritur. Viri autem iusti ne in hoc tãtum malum incidant, non contenti gladiis spiritus armari, supra femur etiã gladios gestant, vt nulla mora in illis euaginandis, & prauis cogitationib⁹ abscindendis interueniat. Ille quoq; Cherubin qui a ditum & ostia terrenę paradisi seruat, gladium flammeum atq; versatilem in manu habet ad custodiendam viam ligni vitæ. Paradisus autem deliciarũ, anima quoque iusti est, in qua diuina sapientia deliciis suis fruitur cum filiis hominum. Ad hanc autẽ paradisum custodiẽdam vir iustus flammeum atq; versatilem gladiũ in manu gestat. Versatilem quidem vt quam clerrimè impuros affectus & cogitationes in animo surgẽtes abscindat: flammeum verò, vt diuini amoris igne eos consumat. Vt enim Climacus ait: Pudicus est, qui amorem amore excludit, ignéq; igni spiritus extinguit. Aliter autem hæc paradisus pura & integra conseruari minimè poterit. Quemadmodẽ enim pudica & fidelis vxor non modò adulterum non admittit, sed ad primum eius conspectum terga vertit (adulterij genus existimans impudicis verbis aures præbere) ita casta Christi sponsa nõ modò ab omni impuro opere, sed ab omni etiã praua cogitatione mentem suam diligentissimè custodit. Qui autẽ negli- *Gene. 3.* *Clima.* *Simil.*

2. Reg. 4. genter se in hoc officio gerunt, facilè hostis antiqui ludibrio pa tẽt. Cuius rei imaginem expressit illa puella quę triticũ purgabat, & Isboseth regis dormientis ostium custodiebat: qua dormiẽte, duo latrones ingressi regis caput amputarunt. Hęc enim puella quæ triticum purgabat, discretionis ac prudentiæ imaginem gerit, cuius est, paleas à tritico, hoc est, vanas à sanctis cogitationibus discernere. Hac igitur dormiente, hoc est, officiũ suum oscitanter exequente, prauæ cogitationes tanquam latrones in mentis nostræ domicilium irrumpentes, regi, hoc est, spiritui nostro necem inferunt. Quicunque igitur hanc à se negligentiam & dormitantiam excludunt, hi planè mentis suæ lumbos præcinctos habent. Atque hæc prima piorum hominum cura esse debet: qua corde diligenter custodito, malis omnibus aditum præcludunt.

I.

Verùm quia nõ satis est à malis abstinere, nisi bonum facias, subdit deinde Dominus, vt lucernas ardentes in manibus gestemus. Lucernæ autem nomine, & fidei lumen, & Dei legem

Prou. 6. Psal. 118. significari, omnis scriptura testatur. Mandatum enim (ait Salomon) lucerna est, & lex lux. Et regius vates, Lucerna, inquit, pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Cùm ergo Dominus ardentes lucernas in manibus gestare præcepit, fidẽ & legem suam non solùm corde & ore, sed operibus etiam, quę per manus intelliguntur, nos profiteri atque testari vult. Sunt

Gene. 27. enim qui fidem & legem Dei in solo corde gerunt: sunt qui in

Luc. 6. solo ore, non in manibus gestant: qui vocem quidem habẽt Ia-

Matt. 7. cob, manus autem Esau: de quibus Saluator ait, Vt quid vocatis me Domine, & non facitis quę dico? Et iterum: Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorũ, sed

Mat. 5. qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est. Vult ergo Dominus, vt in manibus magis quàm in ore eius legem circunferamus. Itaque si is pauperes spiritu, lugentes, iustitiam sitientes, misericordes, pacificos & mundos corde pronuntiat beatos

Matt. 19. esse: dãda nobis opera est, vt tales simus, quo beatitudinis huius participes efficiamur. Rursum cùm idem ait, Si vis ad vitã ingredi, serua mandata: demus operam, vt mandata seruemus;

Matth. 5. quò sempiternam vitam percipere mereamur. Cùm veò præcipit vt inimicos diligam⁹, vt eos beneficiis prosequamur, vt pro persequentibus & calumniantibus nos preces Domino offeramus: hæc eius præcepta nõ in ore solùm, sed in manibus gestãda curemus: opere exhibentes quod verbis profitemur. Sic igitur ardẽtes lucernas in manibus habemus: atq; ita hõmines videntes

dentes opera nostra bona glorificant Patrem nostrum qui in cœlis est. Nusquam enim magis cœlestis Patris gloria elucet, quàm in his qui iustitię & sanctitatis cultu, bonitatis eius imaginem referunt. *Matth.5*

Sequitur deinde tertio loco quod Dominus ait: *Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptiis: vt cùm venerit, & pulsauerit confestim aperiant ei.* Venit autem Dominus (vt Gregor. ait) cùm ad iudicium properat: pulsat verò, cùm per ægritudinis molestiam esse mortem vicinam designat. Cui confestim aperimus, si enim cum amore suscipimus. Aperire autem iudici pulsanti non vult, quid exire de corpore trepidat: & videre eum, quem contempsisse se meminit, iudicem formidat. Hęc autem Domini admonitio huc præcipuè tendit, vt tota fidelis hominis vita, quæ per tres vigilias designatur, velut expectatio & præparatio quędam sit, qua singulis momentis venientem iudicem expectemus, vt confestim aditum ei liberum præbeamus. Ad hoc autem scire oportet, hominem à Deo in hunc finem conditum esse, vt ad ęternę fœlicitatis gloriam, hoc breuis ævi curriculo præparetur. Hic enim est finis ad quē is à summo illo opifice conditus est. Quod cùm ita sit, efficitur sanè vt is nihil prius curare, nihil moliri, nihil in vita diligentius agere debeat, quam vt ad hanc horam solicitè se præparet; atque ita demum vita eius (vt sapientes viri docuerunt) continua mortis meditatio, & ad illam præparatio sit. Vt enim fideles serui, qui ad curias Principum alicuius grauis negotij causa mittuntur, id præcipuè agunt, id curant, id noctes diesque cogitant, qua videlicet ratione fideliter id expediant, cuius gratia missi sunt; ita cum fidelis Dei seruus intelligat, se ad hoc in mundum à Deo missum, vt in bonis operibus ad finē vsq; strenuè persistens, cælestem hæreditatem promereamur, dat operā sedulo, vt in hoc pietatis officio mors illum deprehendat. Scit enim extremum hunc diem de tota vita, atque adeo de tota ęternitate sententiam ferre, ex eo quippe momento tota æternitas pendet. Hinc sapientissimus quidam vir pios admonere solitus erat, vt vnusquisque eorum in edito domus suę loco hanc sententiam scriberet: MOMENTVM, VNDE PENDET AETERNITAS. *Simile.*

Hanc eandem curam Dominus sub alia non dissimili metaphora commendauit: cum nos in hoc mundo nō tanquā ciues & indigenas, sed tanquam aduenas & peregrinos versari voluit, vt omnes propheticum illud dicere possemus. Aduena ego sum in terra & peregrinus, sicut omnes patres mei. Peregrini enim *Psal. 38.*

& viatoris est, aliò tendere, nec stabilem in via sedem habere, sed alibi domicilium, alibi genitale solum & patriã habere, & ad eam properare. Id quod in lege olim Dominus miro modo adumbrauit, cùm inter tam varias cærimonias, quibus paschalem agnum manducare præcepit, hanc etiam adiecit, vt homines illic stãtes, & lumbis accinctis, & manibus baculos tenẽtes festinanter comederent. *Exod. 12.* Quid enim horum non ad viatores, pertinet? Nam stare, ac festinanter mãducare, & accinctis lũbis esse, baculosq; manibus tenere, viatorum propria sunt: quicùm aliò tendãt, ibiq; mẽte defixi sint quò properant, vix sibi sedere, & lentè comedere permittũr, vt quàm ocyssimè ad optatũ locum perueniant. Quid autem hoc sollemni ritu Dominus designare voluit, nisi vt quicunque veri agni, immaculati, & incontaminati, hoc est Christi participes, & regni eius hæredes esse volumus, quamdiu in hoc corpore degimus viatoris & peregrini mentem atque animum assumamus? Viator enim toto animo in terminum vię intentus est, & ad illum indefesso studio & labore contendit. Quòd verò ad hospitium declinat, non id agit vt in eo tanquam in domo, sed tanquam in hospitio vires cibo somnoque reficiat, quo celerius ad patrium solũ peruenire queat. Sic igitur qui intelligit se hoc mundo hospitem & peregrinum esse & ad cœlestem patriam bonorum operum gressibus tendere, in qua se & parentes, & amicos, & opes, & bonorum omnium copiam habiturum sperat: & in qua breui huius vitæ curriculo cõsummato se perpetuò mansurũ credit: eò curas & cogitationes suas omniaq; vitæ studia dirigit, illã cogitat, in sola eius cogitatione acquiescit, de illa dies noctesq; *Psal. 136* differit, cum Propheta clamans: Si oblitus fuero tui Ierusalem, obliuioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui. Denique si aliquando ad rem familiarem curandam digreditur, non id agit, vt opes immensas congerat, vt altas in hoc seculo radices iaciat: sed vt itineris necessitati, non infinitæ cupiditati prouideat. At quantum ab hoc propsito & affectu distãt, qui omnes curas & cogitationes suas sic in terra defixas habent, ac si ad hanc vitam solùm fruendam non ad aliam conditi essent! Sic enim terrenis bonis inhiant, sic se totos congerendis opibus in extrema etiam senectute addicunt, quasi perpetuo in ea mansuri essent. Quod certè non leue indicium est, nequaquam illos ad eam sortem pertinere, quæ nunquam illis venit in mentem, nec quicquam eius amore inducti faciunt.

Hæc

Hæc tria ſunt,fratres, quæ à nobis Dominus exigit. Nunc ſecundo loco videamus, quid hæc ipſa præſtantibus viciſſim promittat. Hoc autem explicat,cùm protinus ſubdit, *Beati ſerui illi, quos cùm venerit Dominus inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* His pauculis verbis eximiam ſanctarum animarum gloriã Dominus oſtendit. Quæ enim excogitari maior gloria potuit, quàm vt rerum omnium conditor & Dominus ſe in earum obſequium præcingere & miniſtrare dicatur? Nunquam enim Aman ille ad tam exelſum honoris gradum aſpirare auſus fuit, vt ab Aſſuero rege hũc ſibi honorem exhiberi poſtularet. Hoc autem orationis genere, fratres, nihil humile aut terrenum cogitare debemus. Nec enim in cælo corporeæ menſæ, aut menſarum recubitus,& earum miniſteria ſunt. Quid igitur hoc loquẽdi genere indicare Dominus voluit? Certè ſummũ quendam honoris & dignitatis gradum, multòque maiorem quàm humana mens cõcipere poſſit. Sicut enim ſummus honor eſſet, ſi Rex aliquis maximus ſeruo ſuo ad menſam accũbenti ſeruiret, ita hac loqueni figura ſummum quendam & ineffabilem honorem,quo vigilãtes ſeruos Dominus in regno ſuo ornaturus eſt,voluit deſignare,de quo quidem honore alibi dixerat: Si quis mihi miniſtrauerit,honorificabit eum Pater meus. D. verò Gregor. hoc in loco, tranſitus huius nomine, duplicem illam beatorum gloriam, de qua ipſe alibi dixerat: Ingredientur,& egredientur, & paſcua inueniẽt, ſignificari ait. Ingrediũtur enim electi omnes in vaſtam illam atque immẽſam diuinitatis abyſſum,ac deinde ad pulcherrimã ſacrę humanitatis ſpeciem contemplandam egrediuntur:& vtrobique ineffabilis ſuauitatis paſcua,quibus pleniſſimè ſatiantur,inueniunt. In immenſa quippe illa diuinitatis abyſſo non vno aliquo bono,ſed bonis omnibus fruuntur, & ſatiantur, quemadmodum Propheta teſtatur, cùm ait, Satiabor cùm apparuerit gloria tua. & alibi, Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vſq; in finem, ſiue(vt alij verterunt)ſatietas lætitiarum eſt cum vultu tuo. Quo verbo non vnam aliquam lætitiæ rationem, ſed omnia lętitiarum, delectationum, & gaudiorũ genera complexus eſt, quibus fruitur quiſquis Dei faciem cõtuetur. Cuius rei typum gerebat manna, quod ſaporum omnium ſuauitatem continebat. Sed in hoc tamen diſcrimen erat: quòd non ſimul omnes rerum ſapores veſcenti referebat, ſed modò hunc, modò illum,pro voto videlicet edentis,at cibus hic cęleſtis omnes

*Greſter 6.*

*Simile.*

*Ioan.12.*

*Gregor.*

*Ioan.10.*

*Pſal.16.*

*Pſal.15.*

*Sap.16.*

ſapores atque ſuauitates ſimul exhibet beatis. Qua ex re perfectiſſima animæ tranquillitas, & deſiderioru quies manat. Quo quidem argumento lætitiæ huius magnitudo colligi aliqua ratione poteſt. Tantò enim vnaquæque voluptas maior eſt, quantò plures ea ſenſus oblectat. Vt enim ſi quis ignes ignibus, & lumina lumin bus addat, ignem & lucem efficit pleniorem: ita ſi quis gaudia gaudiis, delicias delicijs cumulet, lætitiam & iucunditatem efficiet vehementiorem. Vnde qui ſollemne aliquod epulum inſtituit, omnia quæ voluptate aliqua ſenſus titillare poſſunt, diligenter quæſita in conuiuio exhibet, nempe cibos lautiſſimos, qui palatum alliciant frondentium arborum amœnitates, quæ oculos paſcant, aromata & vnguenta pretioſa quæ odore ſuo nares reficiant: cãtus & tibicines, qui aures mulceant, dicaces homines & paracitos, qui riſum moueant, eloquẽtes & eruditos homines qui dictis & ſententijs intellectum inſtruant, & amicos etiam, qui conſpectu & conuictu ſuo animum recreent, & oblectent. Quibus rebus fit, vt nullus penè ſenſus, nullaque vis animæ ſit, quæ ſua voluptate non fruatur. Hac igitur ratione cœleſtis gloriæ magnitudinem vtcumque coniectare licebit. In qua nullus in corpore ſenſus, nullaque in anima noſtra vis erit, quæ non ſuam, & quidem ſummum, non ad horam (vt illa conuiuantiũ) ſed, in omni æternitate percipiat voluptatem. Eſt enim illud vniuerſale bonum, quod vniuerſas animæ noſtræ vires & ſenſus plenè ſatiat, implet, & miro modo reficit. Vnde ipſe Dominus Moyſi ait, Ego oſtendam tibi omne bonum.

*Simil.*

*Simile.*

*Exod. 33.*

Hac igitur gloria beatorum animæ fruuntur, cùm illud immenſum & impermeabile diuinitatis pelagus ingrediuntur. Alia verò fruuntur, cùm ad pulcherrimam ſacræ humanitatis Chriſti ſpeciem contemplandam prodeunt. Quam ex parte diſcipuli in transfiguratione Domini videntes, tanta lætitia completi fuere, vt Petrus Apoſtolus tria tabernacula, neſciens quid diceret, ibidem fabricari poſtulauerit. Quemadmodũ enim nimius vini potus ſic in homine dominatur, vt omnem illi mentem eripiat, ſic eius lætitiæ magnitudo Petri mentem inebriauerat: vt vix vllus in eo ſenſus qui officio ſuo fungeretur, remaneret, lætitiæ magnitudine totam animę eius regionem peruadente. Si igitur illa gloriæ (vt ita dicam) guttula ſic diſcipulorum animos adhuc in carne degentes, affecit, quid faciet abundantiſſimus ille ſupernę voluptatis torrens, quo fidelis anima ab vbertate domus Dei inebriabitur? Hoc vtcumque dici poteſt, ſed mente tamen comprehendi nõ poteſt. In hac autẽ ſacra humanitate

*Matt. 17.*

*Simile.*

cùm

cùm multa sint quæ Sanctorum mentes ineffabili iucunditate permulceant, tũ illud eos mirabiliter afficit, quòd illius meritis sciunt se ad eam glorię magnitudinem peruenisse. Tunc enim plenè Dominicæ redemptionis beneficium agnoscunt, cùm quid per illud consecuti sunt, experiuntur. O quas tum laudes, quas gratiarũ actiones pro tanto beneficio agent? quę amoris oscula sacris illis stigmatibus, per quę tãtam salutẽ adepti sunt, ore cordis affigent? quo affectu voces illas, grati animi indices, ex Apocalyp. Ioannis intonabunt, Dignus est agnus qui occisus est accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionẽ. Quamobrem? Paulo antè rationem reddiderant, dicentes: Quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram. Hoc igitur modo Sanctorum animæ ingrediuntur, & egrediuntur, & vberrima diuinitatis, & sacrę humanitatis in excelsis montibus Israel pascua inueniunt: quibus tanta plenitudine satiantur, vt nihil amplius quęrant, nihil sitiant. Quamuis autem dispar sit gloria singulorum, sua tamen quisque plenè & perfectè beatus est, quemadmodum minora vasa cùm liquore aliquo plena sunt, nõ minus quàm maiora plena sunt.

*Apocal. 5.*

*Ibidem.*

*Simile.*

III.

Hoc est igitur pręmiũ, fratres, quod vigilantibus seruis Dominus promittit, hic vltimus humanę vitę finis, & perfectissimus status ad quẽ vota omnia atq; desideria nostra aspirãt, quò cùm venerint, plenissimè conquiescent. Ideóque non mirum si beati ab ipsa veritate prędicantur, qui ad hanc tantam fœlicitatẽ peruẽturi sunt. Beati, inquit, *serui illi, quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Et si venerit in secunda vigilia & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi.* D. Gregor. humanam vitam tribus noctis vigiliis comparat. Pueritiã enim, primam esse vigiliam ait, iuuentutem, secundam: senectutem, tertiam. Eos verò Dominus pronunciat beatos, qui sic in his omnibus vigiliis parati sunt, vt in quacunque earum Dominus venerit, vigilantes inueniat. Vigilat autem (vt idem Gregorius ait) qui ad aspectũ veri luminis, mentis oculos apertos tenet. Vigilat, qui seruat operando quod credit. Vigilat, qui à se torporis & negligentiæ tenebras excutit. Ac postremò vigilat, qui in continua Dominici aduentus expectatione est: dátque sedulo operam, ne vllam pulsanti Domino moram faciat, & ne quid intra pectoris sui domum sit, quod oculos intrantis offendat. In quo

*Gregor.*

*Idem.*

quidem opere sic intentus est, vt nusquam aliò declinet, & nunquam ita rebus ad huius vitæ vsum pertinentibus prospiciat, vt
*Hieron.* hanc à se curam abiiciat. Quem quidem animum D. Hieronymus se habere testabatur, cùm diceret, Siue comedam, siue bibam, semper auribus meis vox illa insonare videtur, Surgite mortui, venite ad iudicium. Neque enim quotidiana mors minus quàm extremũ illud iudicium pertimescenda est, quando quod de vnoquoque nostrum in morte definitum fuerit, stabile & immotum in extremo illo iudicio erit. Ideoque tanta cura Dominus paratos nos ad hunc primum eius aduentum inueniri vult. Quia verò eius hora incerta est (nec enim satis constat, an prima, an secunda, an tertia vigilia vẽturus sit) ideò quisquis paratus inueniri vult, in omibus vigiliis expeditus esse debet, alioqui si in aliqua dormierit, periculum est, ne illã veniẽs Dominus, domientem atque imparatum deprehendat, quod periculorum omnium maximum est.

Hoc autem appositissima deinde similitudine Dominus declarat, atque confirmat. Si *enim*, ait, *sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam.* hoc est, illa quidem hora solicitè vigilaret, cæteris verò circa periculum dormire & requiescere posset. Quia verò de hora aduentus eius incertus est, & periculum timetur, tota illi nocte vigilandum est, si domum suam ab hoc periculo indemnem seruare velit. Hoc est autem quod in sacræ huius lectionis fine Saluator iudicat, cùm tandem concludit, *Ideò & vos estote parati: quia qua hora non putatis, filius hominis venturus est.* hoc est, quia horam ignora-
*Gregor.* tis, omni hora vigilare debetis. Idcirco autem (vt D. Gregor. hoc in loco ait) horam vltimam voluit nobis esse incognitam, vt eam semper haberemus suspectam, vt dum illam præuidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur. Sic enim mors ipsa, cum venerit, vincetur, si prius quam veniat, sem-
*Plato.* per timeatur.

Quantum autem nostra interfit perpetuò vigilare, non obscurè Saluator ostendit, qui toties nos in Euangelio hortatur, vt attentè vigilemus, & de salute nostra soliciti simus, vtique
*Matt. 24* omnem à nobis inertiam atque segnitiem diligenter excutiamus. Hinc apud Matthæum, Vigilate, inquit, quia nescitis qua
*Luc. 21.* hora Dominus vester venturus sit. & apud Lucam, Vigilate itaque omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere omnia
*Marc. 13.* *Ibidem.* ista quæ ventura sunt, & stare ante filium hominis, & apud Mar-
*Ibidem.* cum adhuc instantius, Videte, vigilate, & orate. & Quod vobis
*Matt. 24.* dico, omnibus dico, vigilate. Causam autẽ huius toties repetitæ

admonitionis ſubiungit,cùm ſubdit:Quia neſcitis quãdo tempus erit hoc eſt(vt alibi explicat)quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. Quid igitur deinde? Nimirum quia tota ſalus veſtra in hoc præcipuè poſita eſt,vt hora illa vos expeditos atque paratos inueniat. Quod apertè illa decem Virginum parabola indicat,quorum quinque paratæ,quinque verò imparatæ erant,& quæ paratæ erant, intrauerunt cũ ſponſo ad nuptias & clauſa eſt ianua,quæ verò tum primum parari cœperunt,occluſam ianuam inuenientes, foris perpetuò remanſerunt. Magiſter ergo cœleſtis qui vt iudex hominum,ita mediator & amator eſt,huius tanti periculi præſcius,opportunè nõ huius vigiliç admonet, vt qui probè norat ſalutis noſtræ negocium in hac præcipuè tempeſtiua præparatione ſitum eſſe. Matt. 25.

Quid igitur,an non ſatis eſt, cùm iudex ad ianuam pulſauerit,tunc primum vigilare,ac parari? An non videmus multos qui improbè vixerunt,cum aliquo morbo grauiter vexantur,magna veræ contritionis atque compunctionis ſigna edere?& magno gehennæ atque diuini numinis metu concuti ? & mundi gloriam,atque terrenas opes vt fragiles & caducas, pro nihilo ducere?& liberaliter eas teſtamento aliis legare? Omnia autem hæc non vulgaria veræ pœnitentiæ ſigna ſunt. Videmus hæc planè. Verùm hæc omnia in his qui tota vita improbè vixerunt, dubium eſt an à ſola morbi anguſtia,an à diuina gratia proficiſcantur. Afflictio námque vrgentis morbi futurarum pœnarum acerbitatem(quæ ipſa morte ſunt acriores) ante oculos ponit. Mortis verò impẽdentis metus, & anteactæ vitæ ratio reddẽda timorem diuinæ ſeueritatis incutit. Terrenas autem opes contemnere relicturum, difficile non eſt. Morbi autem cruciatus, quem ſolus ille cœleſtis medicus curare,& hominẽ ab illa grauí vexatione liberare poteſt,ipſum Deo ſubiicit atque proſternit: qui ſolus poteſt in tantis malis remedio occurrere. Omnes igitur hos affectus graues & incurabiles morbi ( niſi homo mente captus ſit )in Chriſtiano pectore ſolent excitare. Sed ſi cœleſtis gratiæ virtus deſit, quæ hos pios affectus conſeruet, abeunte morbo, ipſi quoque ſimul cum morbo abeunt. Sicut enim exſtincta lucerna,quæ domum illuminabat,lumen etiã cũ illa deficit:ita ſublata illa cauſa,quæ hos animi motus excitabat,motus quoque ipſi cum illa euaneſcunt & pereunt. Quam rem quotidie in huiuſmodi pœnitentibus cernimus,&quaſi manibus contrectamus. Recepta enim ſanitate illico ad aſſumpta redeunt:& quæ vel fieri,vel reſtitui,atque reſarciri præceperant, reuocant. Quocirca ſapientiſſimus ille arbiter,cui omne cor patet,& omnis

nis cogitatio loquitur, qui ſpirituum ponderator, qui diſcretor eſt cogitationum & intentionum cordis, huius extremæ pœnitentiæ periculum agnoſcens (in quo non res pecuaria, aut pecunia-
*Prou.16.* ria, ſed æterna vita in diſcrimen vocatur) nolens nos in re tanti
*Herb.4.* momenti negligenter agere, toties nos ad vigiliam & ſolicitudinem, ac animi præparationem inuitat. Hoc igitur agamus, fratres, in hoc vnum totis viribus incumbamus, hoc dies noctesq; meditemur, hæc ſit prima curarum, primum omnium ſtudiorum atque negotiorum, cui cætera omnia ſeruire debent. Ad hoc enim à ſummo illo & ſapientiſſimo opifice Deo condit, ad hoc pretioſo eius ſanguine redempti, ad hoc tot beneficiis aucti atque ſeruati, ad hoc denique tamdiu patienter & miſericorditer expectati ſumus, fruſtra victuri, ſi omnia alia agentes, hoc vnum negligamus, fœliciſſimè autem victuri, ſi cæteris neglectis, vel poſtremo loco habitis, hoc vnum diligenter curemus, vnde beatitudo atque fœlicitas noſtra, vnde vera ſalus, & ſempiterna vita pendet, quæ vigilantibus ſeruis parata eſt. Ad quam nos clementer perducere dignetur Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

## In feſto alicuius Sancti confeſſoris concio ſecunda, in qua, poſt Euãgelicæ lectionis explanationem, octo ſimplicitatis Chriſtianæ gradus deſcribuntur.

THE. *Si oculus tuus fuerit ſimplex totum corpus tuum lucidum erit.* Luc. 11.

IN ſacra huius diei lectione, fratres, duplicem nobis cœleſtis magiſter lucernæ ſimilitudinem proponit quarũ altera communis ad totius mundi ſalutem, altera priuata ad cuiuſque noſtrũ ſalutem pertinet. Prior illa lucerna, Chriſtus Dominus eſt, ſuprà Eccleſiæ candelabrum poſita, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quamuis enim is in hoc præcipuè è cœlis ad terras delapſus fuerit, vt peccata noſtra in ara crucis expiaret, nosq; paſſionis ſuæ merito Patri ſuo, à quo diſſidebamus, recõciliaret, tamen hoc beneficio non contentus, modis omnibus ſalutem noſtram promouendam curauit. Inter ea verò beneficia, doctoris & magiſtri officiũ præcipuè numeratur: de quo Eſaias olim vaticinatus eſt, Erunt, inquit, oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient vocem poſt tergum monentis

nentis. Hæc est via,ambulate in ea,& non declinetis ad dexterã aut ad siniſtram. Sic etiam Ioël Propheta, Et filij, inquit, Sion lætamini in Domino Deo veſtro,quia dedit vobis doctorem iuſtitiæ.Apoſtolus item, Multifariam, inquit, multiſque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis,nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, vt diuina eius auctoritate freti, nulla nos mundi auctoritas,nulla terrenæ prudentiæ philoſophia,nulla dæmonum aſtutia à veritate ſemel eius auctoritate concepta dimoueret.Itaque cùm aduerſus pietatis opera, quæ aliquando molimur,terrena prudentia inſurgere atque inclamare cœperit, nos fortiſſimum hunc diuinæ auctoritatis murum illi conſtanter opponamus. Hinc D. Auguſt. Vt homines, inquit, fidentius ambularent ad veritatem, ipſa veritas in aſſumpto homine ſtabiliuit atque fundauit fidem. Hac igitur de cauſa Saluator noſter frequentiſſimè in literis ſanctis,luminis & ſplendoris nomine deſignatur.Hinc Eſai.Populus,inquit, qui ambulabat in tenebris,vidit lucem magnã,habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis.Idemque,Propter Sion,inquit, non tacebo, & propter Hieruſalem non quieſcam,donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius,& Saluator eius vt lampas accendatur.

Ioelis 2. Hebr.1. Auguſt. Eſai.9. Idem. 62.

Cæterùm Iudæi ſibi tantum hoc cœleſte lumen prælucere debere exiſtimabant,ideoque cùm viderent Spiritus ſancti gratiam Gentilibus opera Petri communicatam, obſtupuerunt ( vt Luc.ait)ex circumciſione fideles qui venerant cum Petro, quod in nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſſet.Verumtamen Dominus lucernam hanc neutiquam ſub modio, hoc eſt, Iudææ tantùm finibus continendam eſſe prædixit, ſed ſupra Eccleſiæ candelabrum ponendam,vt non Iudæi modo,ſed gentes etiam, quæ Eccleſiæ domum ingreſſuræ erant, lumen viderent, ne cæcæ in tenebris ambularent.Quod quidem cæleſtis Pater de filio ſuo vaticinatus fuerat his verbis:Parum eſt vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fœces Iſraël conuertendas. Dedi te in lucem gentium,vt ſis ſalus mea vſque ad extremũ terræ. Rectè enim Apoſtolus:An Iudæorum Deus tantum?nónne & gentiũ?imò & gentiũ.Nec enim clariſſima illa toties promiſſa, tandiuque expectata ſalus,Iudææ angelo cõcludenda,ſed ad oẽs gẽtium oras quàm latiſſimè propagãda erat.Hoc eſt igitur quod in ſacra huius diei lectione Saluator ait, *Nemo accendit lucernam, & in abſcondito ponit, neque ſub medio,ſed ſupra candelabrum, vt qui ingrediuntur,lumen videant*, quo videlicet homines intelligant, & à quo conditi, & in quem finem conditi, & quò greſſus ſuos dirigere debeant,hoc lumine collustrati videant.

Actuum 10. Eſai.42. Rom.8.

Quamuis

Quamuis autem hoc lucernæ officium ad Christum Dominum præcipuè spectet. Ecclesia tamen illis etiam accommodat, qui eius Spiritu ducti, ipsius in Ecclesia officium exercent: de quorum numero sanctus hic extitit. N. cuius hodie solemnia celebramus; qui supra Ecclesiæ candelabrum à Domino positus lucis suæ radios circumquaque diffudit: quibus illuminauit eos qui in tenebris & in vmbra mortis sedebant.

Occasione verò lucernæ (cui se Dominus comparauerat) de alia priuata & singulari lucerna, quę in vnoquoque nostrum est differere incipit: vnde ait: *Lucerna corporis tui, est oculus tuus*: sine (vt alij verterunt) lucerna corporis est oculus. Sicut enim corporea lucerna degentibus in tenebris lucem præfert; qua videāt quid agant, qua via tendant: ita etiam corporeus oculus lucerna quoque est cæterorum eiusdem corporis membrorum. Hac enim luce manus quid agant, & pedes quo gressus dirigant, apertè vident. Hinc fit, vt qui perspicuè vident, cæteris quoque membris lucem præferant, totumque corpus huius lucis communione lucidum ac penè oculatum sit. Cum autem oculi aut lippitudine laborant, aut planè cęcutiunt, cętera quoque membra in tenebris degunt: atque ita totum corpus redditur tenebrosum. Hac igitur similitudine de corporis oculo constituta, ad mentis oculum (quo præcipuè Dominus tendebat) transitum facit. Vt enim oculus lucerna corporis est; ita vitæ, operumque nostrorum velut lucerna quædam mens est, fide, doctrina, rerumque gerendarum cognitione illuminata. Quæ quidem cognitio si recta & sincera fuerit, omnibus actionibus nostris lucem præbet, qua quid sit agendum, quid fugiendum intelligimus; atque ita demum cùm huius lucis ductum sequimur, totum vitæ nostræ corpus purum, lucidum, & veluti oculatum efficitur. Si verò mens nostra prauis vulgi opinionibus, aut terrena prudentia, falsaque rerum æstimatione corrupta atque deprauata fuerit, aut etiam si ea cognitione quam habet, ad sui ostentationem, ad lucrum, ad laudem, aut aliquam vitæ commoditatem, non ad vitæ regimen intemperanter abutatur, tunc deprauata atque obscurata mentis lucerna, totū vitæ corpus redditur obscurū & tenebrosum. Extincta enim lucerna, in tenebris homo degit, atq; ita passim labitur & corruit, & in multiplices peccatorum foueas cadit. Vt enim ex puro fonte puri riuuli deriuantur: ex turbato autem & cœnulento turbidi & cœnulenti; ita cum mentis nostræ lumen cunctorum operum nostrorum veluti fons & initium sit, efficitur planè, vt fontis puritas aut impuritas in riuulos ab eo deductos transeat. Quocirca magno studio curandum

*Simile.*

est v,

est,vt hic fons purus,atque hæc lucerna fulgida sit.Quam rem Dominus diligenter vnumquemque nostrum prouidere admonet,cùm subdit:*Vide ergo ne lumen quod in te est,tenebræ sint.* Quo verbo inter alia,hoc etiam monemur, vt rectas atque sinceras de rebus opiniones ac sentẽtias habeamus,ne ex illorum numero simus,qui dicunt malum bonum, & bonum malum: qui ponunt lucem tenebras,& tenebras lucem:qui dicunt dulce amarum,& amarum dulce.Ex hac enim peruersa de rebus opinione,innumera mala oriuntur.Hac enim de causa videmus perditos homines terrena commoda Deo anteferre, cum propter ea captanda,eius leges & præcepta nefariè contemnunt.Hac item de causa multi corpus animæ , & corporis commoda animæ commodis atque saluti præferunt:cum tamen immortalis animę commoda infinitis propè partibus perituri corporis cõmodis anteferenda sint.Hac item de causa iidem studiosissimè quę runt quæ ad hanc vitam(quæ momento temporis effluit) splendidè degendam requiruntur;quæ verò ad illam,quę fœliciſſima immortalis & sempiterna est, pertinent , perinde atq; ad illam conditi non essent,prorsus negligunt.Hac item de causa summo studio & contentione omnes corporis dolores & cruciatus fugiunt,acerbissima autem gehennæ tormenta , quæ improbis constituta esse fides Catholica profitetur,prorsus negligunt atque contemnunt.Vnde ergo hæc tanta volũtatum peruersitas? Cartè ab humanæ mentis ignorantia atque deprauatione, quæ prępostere de rebus iudicans,cæcam post se voluntatem in has foueas præcipitat.Rectè ergo atq; opportunè cælestis magister, *Vide*,inquit,*ne lumen quod in te est,tenebræ sint.* Quid enim ex his mentis tenebris,nisi tenebrosa vita consequi poterit? *Esaiæ. 5.*

Contrà verò si mens ab his tenebris libera,rectos de rebus opiniones habeat,earumq; iudicium in vita sequatur,erit vtique vita principio suo consentanea:& ex recto iudicio recta quoq; vita consequetur.Quid deinde?Subdit Saluator:*Si ergo corpus tuũ totum lucidum fuerit,non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum & sicut lucerna fulgoris illuminãbit te.*Videtur hoc in loco idem inferri in se ipso:quare alij verterunt sic;*Erit lucidum totum,vt cum lucerna fulgore illuminabit te.*Quibus verbis modum infert,quo vitæ atque actionum nostrarum corpus,lucidum effectum,nos illuminet:eo videlicet modo,quo corporea lucerna gressus atque opera nostra fulgore suo illuminat.Harum igitur duarum sententiarum hic ordo est:Ex puro mentis oculo, pura quoque vita sequitur:eademque vitæ puritas mentis oculum , à quo profecta est,magis purgat atque illuminat. Causæ enim

vt phi-

(vt philosophi tradunt) sunt sibi inuicem causæ. Itaque mater filium,& filia matrem perficit & illuminat. Pura enim vita hominem Spiritus sancti templum efficit, in quo ille residens ipsum erudit,dum legis suæ decreta in eius visceribus & corde, iuxta Hieremiæ vaticinium, describit. Pura quoque vita velut purum speculum à sordibus terrenarum cupiditatum defæcatum est,quod Solis iustitiæ radiis obiectum, tantò efficitur lucidius, quantò fuerit ab omni peccati fæce purius. Quæ cùm ita sint,meritò Dominus fulgore ac puritate vitæ,fulgorem mentis perfici,& augeri, & velut quadam spirituali lucerna nos præire, & illuminare in omni vita ait.

*Hiere.31. Simile.*

Ex hac igitur diuinæ lucis participatione (quam puritate vitæ consequuntur) quanta sit piorum hominum prudentia intelligere licet. Quuomodo enim ij affectiones suas regere,& rerum naturæ atque dignitati accommodare possent,nisi earum prius naturam & dignitatem agnoscerent? Quomodo voluntas nostra flagrantissimo Deum amore supra omnia diliget,nisi tantum de eximia eius bonitate & pulchritudine agnoscat, quantum diligit? Quomodo terrena bona pro nihilo ducet atque contemnet, nisi quia eorum vanitatem,Spiritu docente,cognouit? Proferam etiam tibi duos eodem fidei lumine instructos homines: quorum alter mille passim lethifera crimina sine vllo pungentis conscientiæ aculeo committet: alter verò prius omnia tormentorum genera subibit,quàm vnum aliquod mortiferum crimen admittat. Vnde igitur hoc tantum inter eiusdem fidei & religionis professores discrimen? Certè quia hic puritate vitæ, cælestis éque Spiritus magisterio doctus funestissimam peccati faciem, horribilēq; deformitatē agnoscit. Hoc.n. tantū odiū ex illo diuini Spiritus magisterio profectum est,quo qui carent,in mille passim lethalia crimina sine vllo doloris sensu miserrimè præcipitantur. Cùm ergo recta vitę institutio in hoc posita sit,vt pij homines expetenda amplectamur, & fugienda omni ratione vitent,efficitur sanè,vt illorum quidem dignitatem,horum autem deformitatem prænoscere debeant,cum ad illorum amorem,& horum odium atque detestationem excitentur. Quo nomine Ioannes ait,Spiritus vnctionem pios docere de omnibus.

*1. Ioan. 2.*

Nemo tamen ob hoc sibi ita hanc scientiam arroget,vt non intelligat,pluribus in rebus nos ministrorum Ecclesiæ magisterio atque doctrina indigere,cùm multa sint à communi hominum intelligentia remota,ab aliis tradenda. Hoc enim modo etiam Spiritus sanctus erudit nos, cuius est gubernare infima

per

per media, hoc est, maiorum doctrina (qui in Ecclesia velut lucernæ supra candelabrum positi sunt) alios instituere, atque dirigere. Hactenus de Euangelica lectione, nunc sententiam thematis verbis comprehensam, executere incipiamus.

I.

*Si oculus tuus fuerit simplex, &c.* Quamuis hoc in loco simplicitatis virtus singularē quandam virtutis rationem contracta sit: ego tamen in præsenti concione de ipsa, quatenus latissimè patet, Domino aspirante, dicere instituí, quam rē non ingratam vobis futuram spero. Video enim, virtutem hanc in litteris sanctis & sæpè & multum cōmendari. Dominus enim eximiam beati Iob sanctitatē hoc simplicitatis nomine prædicauit. Cùm enim Satan dixisset, se terram circuisse & perambulasse, respondet Dominus: Nunquid considerasti seruū meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo. *Iob.1.* Sic etiam sanctum illum Patriarcham Iacob hoc nomine commendari legimus: Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis. *Genes.25.* Sapiens verò eos qui Dominum quærūt, hac virtute instructos esse debere admonet his verbis: Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum. *Sapien.1.* Intelligebat enim quàm libenter Dominus simplicium mentes inhabitat; de quibus apud Salomonem quoque legimus; Abominatio est Domino omnis illusor, & cum simplicibus sermocinatio eius. *Prou.3.* Quid verò illud Dauidis Regis; Scio, Deus meus, quod corda probes, & simplicitatem diligas? Videtis ergo, fratres, quam multis modis hęc simplicitatis virtus commendetur? Quæ tes impulit me vt paulo diligentius, virtutis huius rationem & naturam indagarem, per quam Deum quærere, & inuenire poterimus. *1.Par.29.*

Et quidem vulgus hominum, simplicitatis nomine, ignorantiam intelligit. Eos enim qui parum prospiciunt, simplices appellare solet. Longè tamen aliter hoc nomen in litteris sanctis accipitur. Et quidem aliam esse video simplicitatem erga Deum, aliam erga homines. De illa paulo post, de hac modo differamus. Quam non video qua ratione melius vobis patefacere valeam, quam si vitia huic virtuti aduersantia enumerauero. Sunt autem multa quæ simplicitati opponuntur. Simplicitas enim aduersatur primo quidem malitię, secundo versutiæ, tertiò duplicitati, quartò curiositati, quintò (vt ita dixerim) multiplicitati. De his igitur suo ordine differamus.

Principio igitur malitia opponitur simplicitati. Quo morbo laborabat Nabal Carmeli; quem litteræ sanctæ ferunt fuisse pessimum 1. *1.Reg.25.*

simum & malitiosum. Malitiosus autem est, qui sub omni lapide scorpionẽ dormire putat, qui ea quæ candidè & rectè fiunt, siniſtra interpretatione damnare, de omnibus malè sentire, aç de se ipso aliorum facta dictá ı; æstimare solet. Cùm enim is flagitiosus sit, cæteros quoque flagitiosam vitam degere arbitratur. Hinc illud Salomonis: In via stultus ambulans, cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat. Vnde Neronem Imperatorem dixisse ferunt, mortales omnes nõ minora quàm se peccaturos, si simili potestate atque imperio potirentur. Potestatem enim non volũtatem ad facinora perpetranda cunctis hominibus deesse aiebat. Hoc autem modo delinquunt, qui homines piè ac religiosè viuentes, & sacra loca, & sacramenta, cæteráque pietatis opera frequentantes, hypocrisis & inanis gloriæ accusare solent, & cùm externa opera nequeant, internam tamen intentionem damnant. Qua in re Dei officium & sedem impiè atque nefariè sibi arrogant, qui solus est cogitationum & intentionum scrutator atque discretor. Vnde extat illud Zepherini Papæ memorabile decretum: De occultis alieni cordis temerè iudicare, peccatum est, & eum cuius non videntur opera nisi bona, iniquum est ex suspicione velle reprehendere, cùm eorũ quę occulta sunt, solus Deus arbiter sit. Ab hac igitur nos peste simplicitas liberat, quæ solam externam operum faciem videt, quæ cãdidè omnia iudicat, quę columbina simplicitate omnia metitur, quæ in meliorem partem omnia accipit: quæ cùm probare opera apertè mala non possit, aut intentionis rectitudine, aut ignorantia, aut humana infirmitate, aut tentationis violentia (vt D. Bernar. admonet) eadem excusare nititur. Nemo tamen ita hanc simplicitatis virtutem colat, vt non meminerit à Domino Saluatore dictum esse? Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Hæc enim prudentia facit, ne simus humiles in sapiẽtia nostra, ne circũferamur omni vento doctrinç, ne credamus omni spiritui, sed probemus spiritus qui ex Deo sunt, meminerimúsque scriptum esse eos qui citò credant, leues corde esse. Quę cautio præcipuè tenẽda est, vbi cum subdolis hominib⁹, aut hæreticis versamur. Hinc Saluator, Attendite, inquit, ab his qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. sic Apostolus, Videte, ait, canes, videte malos operarios, videte concisionem, hoc est, eos qui circumcisionem defendunt, ne persecutionem crucis Christi patiantur. Extat autem in Ecclesiastica historia locupletissimum huius rei exemplum. Cùm enim sanctissimus quidam eremita in Episcopum consecrandus esset, isque nequaquam à

*Eccle. 10.*

*Zepherinus.*

*Bernard.*

*Mat. 10.*

*Eccle. 19.*

*Matt. 7.*

*Philip. 3.*

Lucio

Lucio Arriano, sed à Catholico Antistite consecrari peteret, Luciusq; ue blandis & fallacibus verbis se eandem fidem profiteri testaretur: sanctus Anachorita prudenter atque constanter, Nequaquã, inquit, ô Luci, te de verbis tuis, sed de operibus æstimare debeo, qui tot Christi sacerdotes & Episcopos afflixisti, & in exilium misisti: ideoq; ue manus me tuæ contingere nullo modo debent.

II.

II. Simplicitati etiam non solum malitia, sed etiam versutia atque astutia opponitur. Versutus autem homo est, qui dolis ac fraudibus circumuenire nititur innocentes, qui tanquam auceps pedicas & laqueos nectit, quibus alios fallat: qui nihil recte, nec simpliciter facit, sed miris omnia cuniculis atque mæandris persequitur. Qui in re se veluti Proteum quendam exhibet varios vultus atque facies ad fallendum subinde commutans. Quod quidem Pharisęorum discipuli atque Herodiani fecerunt, qui his verbis Dominum illaqueare conati sunt: Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo, &c. Sciens autem Iesus (vt Marcus ait,) versutiam eorum ait: Quid me tentatis hypocritæ? &c. Vix autem in Euangelica historia tanta Dominum acrimonia respondisse aduersariis suis legimus. Vnde liquet, quam sit hoc vitium Deo inuisum; nec Deo solum, sed hominibus etiam. Vnde est illud Salomonis: Impatiens operabitur stultitiam, & vir versutus odiosus est. Hi autem inter cætera animantia vulpi præcipuè comparantur: quæ multiplici astu atque insidiis prædam captat. Hinc Dominus Herodem hac ratione vulpem appellauit: Ite, inquit, & dicite vulpi illi, &c. Nec minus hoc nomẽ Catilinæ, atrocissimo populi Romani hosti conuenit, qui (vt Sallustius ait) cui iustibet rei simulator ac dissimulator erat: quod versuti atque dolosi hominis proprium est. In quo etiam ordine & crimine iure Dauidis filium Absalonem numerare possumus: qui eisdem artibus ac dolis sanctissimo atque piissimo patri exitium inferre nitebatur. Quibus exemplis apparet, quam sit hoc scelus detestabile, quod in homines adeo sceleratos & perditos cadit. Quorum discipuli atque sectatores sunt, qui eodem morbo laborant.

*Mat. 22.*

*Mar. 12.*

*Prou. 14.*

*Matt. 13.*

*Sallust.*

Huic autem teterrimo vitio simplicitatis virtus contraria est, quæ nihil astutum, nihil dolis, nihil fraudibus agit, sed simplici & aperta via graditur: cuius virtutis æmulos, apertos, & veritatis atque recti cultores appellare solemus.

III.

Simplicitas etiam duplicitati aduersatur, de qua in Ecclesiastico legimus: Væ duplici corde, & labiis scelestis, & peccatori



terram

terram ingredienti duabus viis. Duplices autem corde, bifrõtes Latini appellare solent, qui videlicet aliud corde, aliud in fronte gestant. Quod vitium velut species quædam sub astutia (de qua modo diximus) comprehenditur. Inter alios enim versutiæ astus, hæc cordis duplicitas numeratur, cum homines fallendi causa aliud corde tegunt, aliud ore profitentur. Quos regius Propheta notauit, cum de illis ait: Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant, & iterum: Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum, labia dolosa, in corde & corde locuti sunt aliud videlicet corde, aliud ore gestantes. de quibus idem alibi, Molliti, inquit, sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula, siue (vt alius vertit) lanceæ. Huius autem criminis malitiam & grauitatem Hieremias declarat his verbis, Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est. In ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias. Nunquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut in gente huiuscemodi nõ vlciscetur anima mea? Super montes assumam fletum ac lamẽtum, & super speciosa deserti planctum, quoniam incensa sunt, eò quòd non sit vir pertransiens, & non audierunt vocem possidentis. A volucre cæli vsque ad pecora transmigrauerunt & recesserunt. Et dabo Hierusalem in aceruos arenæ, & cubilia draconum, & ciuitates Iuda dabo in desolationẽ, eò quòd non sit habitator. Hactenus verba Prophetæ, cuius terrores ac minæ satis indicant, quantum conditori nostro hoc scelus inuisum sit, qui cùm sit natura maximè simplex, vehementer hoc duplicitatis & malitiæ crimen detestatur. A quo malo nos Ecclesiasticus reuocare nititur, cùm ait: Ne accipias faciem aduersus faciem tuam: hoc est, ne aliud corde, aliud verbis & fronte præ te feras. Sub hoc etiam crimine adulatores collocantur, qui blandis verbis venenũ incautis propinant, & hac fraude alienas opes sæpè diripiunt. Sic ferunt fabulatores vulpem in coruum incidisse, qui caseum gestabat in ore. Cuius vocem subdola vulpes collaudans ad canendum inuitauit. At coruus amens hac laude delinitus & canere incipiens, caseum ab ore demisit, quem vulpecula arripiens, delusum cantorem relinquens, cum caseo aufugit. Qua fabella sapientes viri adulatorum venena melle lita significare, & incautis prospicere voluerunt. A quo nos malo colũbina simplicitas liberat, quæ, vt ipsum quoque nomen sonat, ab hac duplicitate aliena, simplici & recto corde cum hominibus versatur, nihil tegens, nihil simulans, nihil subdolè occultãs, nisi quòd serpentis prudentia (quæ tacenda dicendaque discernit)

Psal. 61

Psal. 11.

Psal. 54.

Hiere. 19.

Hiere. 9

Eccl. 4.

nit)tacendum atque dissimulandum esse diiudicat.

Est etiam simp iciras,q uæ curiositati aduersatur. Quæ quidé curiositas multiplex ac varia est.Est enim curiositas,qua sapientiæ studiosi præscriptos sibi à sobrietate fines transcendere nitentes,curiosa magis,quàm salutaria indagare contendunt. A quo nos malo Apostolus auocare cupit,cum ait ; Non plus sapere quàm oportet sapere,sed sapere ad sobrietatem.Et Sapiens, Altiora, inquit, te ne quæsieris,& fortiora te ne scrutatus fueris: sed illa cogita q æ tibi præcepit Deus;& in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Plurima enim supra sensum hominis monstrata sunt tibi. Salomon quoque , Mel,inquit, inueniſti comede quod sufficit tibi,ne fortè satiatus euomas illud.Quam sententiam idem alibi declarat his verbis:Sicut qui mel multum comedit,non est ei bonum;sic qui scrutator est maiestatis,opprimetur à gloria. Quibus verbis rerum diuinarum inquisitioni mensuram quandam nobis præfiniuit,vt tarditatis & ignorantię nostræ conscij intra fines nobis præscriptos nos ipsos contineamus,neque vltra progredi velimus.Quos sanè prętergrediuntur qui curiosè inquiruot,quid diuina mens agebat antequam mundi fundamenta iaceret;cur alios prędestinauit,aliospræsciuit:cur hos ad se trahat ,illos non trahat, cur tamdiu generis humani redemptionem distulit,aut cur tot infidelium nationes in tenebris agere patiatur,atque his similia. Hæc igitur sunt humanis mentibus inaccessa,quę scrutari nō licet,sed supplicitet cum Apostolo clamare:O altitudo diuitiarum,sapientiæ&sciẽtiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius,&inuestigabiles viæ eius ? Fortasse autem prima illa parentis nostræ inobedientia huiusmodi curiositatis affectione non caruit : quæ vt vidit lignum aspectu pulchrum,&ad vescendum suaue,curiositate fœminea,an id quód serpens pollicitus illi fuerat,verum esset,experiri voluit.

IIII. *Rom. 12.* *Eccle.3.* *Prou. 25.* *Ibidem.* *Rom. 11.*

Est alia item curiositas,qua homo sui negligens , quæ aliena sunt solicitè inquirit. Itaque aliorum dicta , facta , mores,ingenium,simultates,lites,genus,auos atq; atauos sic inquirit,quasi de omnium vita & moribus historiam texere deberet,qui tamen neque se ipsum,neque mores,neque ingenium , neque rectè an secus viuat,indagare curat ; atque ita demum intra seipsum velut peregrinus in aliena regione vagatur. Quod curiositatis genus latissimè patet,cum videamus passim homines in aliorum vita perscrutanda esse diligentissimos,in sua verò perquirenda negligentissimos. Qua in re apparet,quàm sit præposterum hominum ingenium , qui id maximè curant , quod negli-

gendum esset, id verò negligunt, quod esset magnoperè curandũ. Quod perinde est, ac si quis aliorum vulneribus diligenter medicinam adhiberet, sua verò, quæ lethalia essent, minimè curaret.

Est alia etiam curiositas eorum, qui omnia quæ ad vsum vitæ requiruntur, nempe domũ, stratum, vestem, cibos, pocula magna
Luc. 16. arte elaborata, in pretio habenda esse contenduot. In quo crimine
Ibidem. dives ille epulo erat, qui induebatur purpura & byssо, & epulabatur quotidie splendidè, cui apud inferos agenti, & guttam aquę petenti, Abrahã dixit, Fili, recordare q̃ recepisti bona in vita tua, & Lazar⁹ similiter mala, nũc aũt hic consolatur, tu verò cruciaris.

Huic autem triplici curiositati, triplex item aduersatur simplicitas. Prima est eorum, qui simplici & recta diuinorum mysteriorum fide contenti, quæ supra inquisitionis & facultatis humanæ captum posita sunt, deferentes, maiorũ, & Ecclesiæ traditionibus contenti intellectum suum pia credulitate in obsequium fidei captiuant. Alio verò simplicitas est eorum qui vt seipsos plenius inspiciant, ab omnibus aliis oculos auertunt. Itaque aliena, quæ ad se minimè pertinent, missa facientes, totum studium suum in vita, moribusque suis indagandis, atq; ad normã diuinæ legis cõponẽdis, impendunt. Tertia verò simplicitas est eorum qui simplici victu, cultu & habitu, hoc est, naturæ diuitiis cõtenti, quidquid humana ambitio, quidquid fastus, superbia, libido, & curiositas hominũ excogitauit, tanquã luxuriæ, gulæ auaritiæ & superbiæ irritamenta, à naturæ simplicitate abhorrentia, procul à se repellunt. Quam vitæ formam multi hominum, ac præcipuè Stoici, sectati sunt, quibus propositum erat, secundùm naturam viuere, necessatique, non voluptati seruire. Longè tamen perfectius philosophia nostra hoc docet, quæ tota in terrenarum rerum contemptione, & cœlestium amore posita est.

v. Est & alia simplicitas, quæ multiplicitati (vt ita dixerim) contraria est. Quæ quidem virtus ad eos maximè spectat, qui se totos cælestium rerum contemplationi, studioque sapientiæ addixerunt, qui ab omnibus aliis curis negotiisque feriati, illud vnum quærunt quod olim Dominus Marthæ significauit, cùm dixit: Martha Martha, solicita es, & turbaris erga plurima, porrò vnum est necessarium. Qua quidem re alibi paulò fusiùs disseruimus. Nunc de ea simplicitate, quæ erga Deum seruanda est, paucis agamus.

III.

De hac igitur Saluator in sacra huius diei lectione, *Si oculus* inquit, *tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Quo in loco, oculi nomine, non modo fidei atque doctrinæ lumen (vt initio diximus) sed intentionis quoque puritas meritò designatur.

Verè

Verè enim bonorum operum meritum & rectitudo ab intentionis puritate & rectitudine maximè pendet. Cùm enim ad operis bonitatem omnium circumstantiarum rectitudo ita necessaria sit, vt vel vna deficiente, operis quoque rectitudo deficiat, recti tamen finis circumstantia adeò necessaria est, vt ab ipsa opus nostrum & speciem, & nomen, & bonitatem sortiatur. Quo circa solicitus virtutum amator & cultor totum studium suum erga huius intentionis puritatem conuertere debet. Hinc D. Gregor. Gregorius Sicut domus fabricata columnis columnæ autem basibus innituntur, ita bona opera nostra virtutibus, virtutes autem mentis intima intentione innixæ subsistunt.

Ad hoc autem illud præcipuè curandum est, vt in omni opere nostro Dei nobis gloriam & beneplacitum proponamus. Quod etiam in operibus ad vsum vitæ necessariis facere monet Apostolus cùm ait: Siue comeditis, siue bibitis, siue quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite. Quo autem puriùs hāc eius gloriam & beneplacitum spectauerimus; hoc illi gratius obsequium præstabimus, maiusque nobis meritum comparabimus. 1. Cor. 10. Licet quidem & pœnarum metu ad bona opera excitari, quod diuus Hieronymus faciebat, qui se gehennæ metu ad horridum illum deserti carcerem damnasse testatur. Licet & cœlestis præmij intuitu ad idē induci: quod se regius Propheta facere testabatur, cùm diceret: Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternū, propter retributionem: siue (vt D. Hieron. ex Hebr. vertit) propter æternam retributionem. Nemo tamen in hoc tantùm sistere debet, nisi hæc ipsa ad Deum referantur. Rectè enim D. Augustinus, Minus, inquit, te Domine amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. Cæterum vt perfecta charitas, auctore Ioanne, pœnarum timorem admittit: ita eadem à mercedis intuitu oculos auertit, Deumque puro mētis oculo intuetur: quem circa mercedis spem sola immensæ bonitatis & pulcritudinis eius causa flagrantissima dilectione amplectitur: & quò magis à mercedis intuitu oculos auertit, hoc maiorē operis sui mercedē refert. Charitas enim (vt D. Bernar. ait) mercenaria non est, & tamen sine mercede non est. Ad hunc autem charitatis gradum nec sanctissimum quidem Iob peruenisse dæmon falsò quidem arbitrabatur: Deo enim illi dicente, Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus, & recedens à malo? dæmon respondit, Nunquid Iob frustra timet Deū? nónne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamque substantiam eius per circuitū? Operibus manuū eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra. Sed extē-

Hieron. ad Eustochium.

Psal. 118.

August.

1. Ioan. 4

Bernard.

de paululum manum tuā, & tange cuncta quę possidet, nisi in, facié benedixerit tibi. Hactenus ille. Ex cuius verbis intelligere licet, quāta dignitas in hac intentionis puritate, quā descripsim⁹ sita sit: quando eam callidissimus ille hostis sanctissimo illi viro tribuere nolebat. Quò magis enitendum obis est, fratres, vt huc perueniamus, quò viri huius laudantissimi imitatores simus.

Si quis autem difficile atqne arduum putat, vt homo, vtilitatis suæ auidissimus, hanc intentionis puritatem & simplicitatē adipiscatur, audiat Ethnicum hominē nos ad hoc ipsū adhortantem: sic enim Seneca: Propositum est nobis secundum rerū naturam viuere, & deorum exemplum sequi. Dij autem quodcunque faciunt, in eo nihil præter ipsam faciendi rationem sequuntur: nisi forte existimas, illos fructum operum suorum ex fumo extorum, & thuris odore percipere. Vide quanta quotidie moliātur quāta distribuant, quantis terras fructibus impleant, quàm opportunis, & in omnes oras ferentibus ventis maria permoueant. quantis imbribus repentè deiectis solum molliant, venasque fontium aientes redintegrent, & infuso per occulta nutrimento renouent. Omnia ista sine mercede, sine vllo ad ipsos peruenīente commodo faciunt. Hæc quoque nostra ratio, si ab exemplari suo non abertat, seruet: non ad res honestas conducta veniat. Pudeat vllum venale esse beneficium. Gratuitos habemus Deos: si Deos quidem imitaris, da & ingratis beneficia. Nam & sceleratis sol oritur, & piratis patent maria. Hactenus Seneca: cuius verba magnō fidelibus incutere pudorem debent, si fidei luce collustrati nondum eò peruenīāt, quò philosophus hic vel peruenit, vel peruenie dum esse monstrauit

*Sene. lib. de benef.*

Si quis autem nondum tantos in charitate processus fecit, vt ad hāc intētionis puritatē ac simplicitatem peruenerit, illud tamē curare debet, vt si in precibus ac pietatis operib⁹ quę molitur aliquam terrenā commoditatē intueatur, id sinistro (quod aiunt) oculo fiat, dextro tamen oculo Deum aspiciat, eandē illam commoditatem ad eius gloriam & obsequium referens. Sunt autem multi vsque adeò terrenis rebus affixi, vt non ratò & preces & vota faciant, & eleemosynas largiantur, & ieiuniis interdum atque vigiliis corpus affligant, vt terrena bona, quæ sitienter appetunt à Domino impetrent, non vt illi obsequantur, sed vt votorum suorum compotes fiant. Sic enim multi vt prosperè nauigent: alij vt in lite, quam intendūt, superiores euadnat: alij vt optatas nuptias assequātur, alij vt ex sterili vxore soboles suscipiant: nunnulli vt ad maiora in Repub. vel in Eccle

sia

sia munera & dignitates promoueantur,& præces,& vota,& elee mosynas faciunt:quæ vbi assecuti fuerint, omnia illa pietatis opera deserunt,vt porè qui his studiis nequaquam Domini gloriā, sed suam ipsorum commoditatem captabant. Apparet autē hos omnes sic pietatis operibus vti,quemadmodum tabulatis atque fornicibus ligneis cæmentarij,quibus,opere iam absoluto, amplius non vtuntur.Illos autem hoc in loco indignos arbitror qui commemorari debeant,quorum tantus furor atque cæcitas est, vt cum ad furta,flagitia,adulteria, & vindictam de inimicis iustè sumendam pergunt, simili modo se precibus & votis Deo commendant,vt quod nefariè concupiscunt, assequantur. Qui duplici nomine accusandi sunt, & quia scelerata opera moliuntur, & quia sanctitatis & iustitiæ auctorem Deum scelerum suorum participem atque patronum faciunt.

Hos igitur scopulos omnes,quos hactenus Christianus simplicitati aduersari admonuimus, fratres, diligenter vitare studeamus,omnemque malitiam, versutiam, duplicitatem, curiositatem,& immodicam terrenarum rerum cupiditatem à moribus nostris studioscè repellamus,& culumbina simplicitate illius mores imitari studeamus, cuius simplicitatem & innocentiam Spiritus sanctus in columbæ specie super illum veniens designauit. Quamuis virtutem in Ecclesia sponsa sua sic adamauit,vt inter egregias eius virtutes hanc præcipuè commendauerit, cùm dixit:

Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es: oculi tui columbarum.Sic enim fiet, vt huius virturis immitatione Christo Domino. similes effecti, & ab eo diligamur, & per similitudinem gratiæ ad eius gloriæ communionem & similitudinem perduci mereamur.

## In festo Sanctarum Virginum concio prima; in qua lectio Euangelica explanatur: vbi etiam quid prudentium, quid fatuarum Virginum nomine significetur, paulò fusiùs exponitur.

THEMA. *Simile est regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso & sponsæ. Quinque autem ex his erant fatuæ, & quinque prudentes.* Matth. 25.

IN hodierna sancti Euãgelij lectione insignis quædam parabola decem virginum, quarum quinque fatuę, quinque prudentes erant, à Domino proponitur. Vt autem qua occasione illam proposuerit, quidque in ea nobis significare voluerit, intelligatis: quid illam antecesserit, paucis indicabo. Egrediente Domino ex augustissimo illo Hierosolymorum templo, discipuli, insignes lapides & structuras illi ostendentes, dixerunt, Magister, vide quales lapides & structuræ! quibus ipse respondit, Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, nõ relinquetur hic lapis super lapidem qui nõ destruatur. Sedente autem eo super montem Oliueti, accesserunt ad eum discipuli secretò, dicentes. Dic nobis quando hæc erunt? & quod signum aduentus tui, & consummationis seculi? Dominus ergo discipulis morem gerere, & nos in illis erudiri volens, vtriusque rei, quæ ab illo exigebatur, signa longa oratione simul explicuit. Signa autem Hierosolymitanæ vastationis missa facientes, signa aliqua consummationis seculi, extremique iudicij (quæ multa & varia, maximeque horribilia sunt) exponens, hæc etiam addidit: Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modo, nec fiet. Et nisi breuiati fuissent dies illi, non salua esset omnis caro, sed propter electos breuiabuntur. Et mox: Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna nõ dabit lumen suum, & stellæ cadẽt de cœlo: & virtutes cœlorum commouebuntur, & tunc parebit signum filij hominis in cœlo: & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbũt filium hominis venientem in nubib⁹ cœli cum virtute multa & maiestate. Hæc & alia his non dissimilia saluator cõmemorauit, quibus quam sit dies illa formidanda exposuit. Quocirca humanę salutis amator Dominus variis similitudinibus nos ad hunc diem (in quo de tota æternitate sententia ferenda est) paratos esse admonet. Ad hoc enim parabolam inducit patrisfamilias sapta domus suæ custo-

*Matt. 24.*

*Matt. 24.*

diam

diam vigilantis:itémque fidelis ſerui domini ſui aduentum præ ſtolantis:&improbi etiam ſerui hanc ipſam curam negligentis. Ad hoc item parabolam adiecit domini peregrè proficiſcentis, & talenta ſeruis ſuis,quibus negot arentur, diſtribuẽtis. Quæ omnia ad hunc finem deſtinata ſunt, vt perſpecta tanti huius periculi magnitudine,nos ad hunc adeò formidabilem diẽ omni ſtudio & ſolitudine præparemus: cum ſalutis noſtræ ſumma in eo poſita ſit,ne nos hæc dies imparatos deprehendat. Nec his parabolis contentus,adiecit hanc etiam decem virginũ,qua eandem curam & vigilantiam nobis iterum commẽdat.Nouerat enim is:qui ſimul & Pater,& iudex noſter eſt, eius diei magnitudinem & periculum,ideóque paterna charitate ductus tot rationibus nobis id cõmendare voluit,vnde tota æternitatis noſtræ ſalus & vita pendebat.Hanc igitur hodie parabolam( quæ magnis myſteriis referta eſt)explanaturi,cœleſtem opem,ſacratiſſimæ Virginis interuentu:ſuppliciter imploremus .

AVE MARIA.

Celebris D.Dionyſij ſententia eſt,diuinę lucis radios, corporearum rerũ velaminibus tectos ad nos permanare. Ea enim Dei,rerúmque diuinarum altitudo atque ſublimitas eſt, eáque rurſum intellectus noſtri in hoc ergaſtulo carnis immerſi imbecillitas & obſcuritas,vt nec Deum, nec diuinas res,niſi corporearum rerum velaminibus tectas, percipere valeat. Hæ enim vt magis familiares, ita magis notæ nobis ſunt:atque ita nos ad ſpiritualium rerum cognitionem velut porrecta manu ducunt & attollunt.Hac ergo de cauſa Saluator cœleſtis regni myſteria ſub rerum corporearum ſimilitudinibus turbis ad ſe confluentibus proponebat: quod in ſacra huius diei lectione facit. Sic enim ait.

*Simile eſt regnum cœlorum decem virginibus: quæ accipientes lampades ſuas exierunt obuiam ſponſo & ſponſæ.* Regni cœlorũ nomine cœleſtis magiſter nõ modo regnum ipſum cœlorum,in quod omnes tendimus,ſed omnia etiam quæ ad hoc regnum conſequẽdum pertinẽt deſignare ſolet.Hoc autem in loco cœleſtis regni nomine id intelligit,quod ad hoc regnũ promerendũ atq; conſequendũ,maximè neceſſarium eſt.Quid autem illud ſit,in huius parabolæ fine explicat,cùm ait: *Vigilate ergo,quia neſcitis diem neque horam.* Hæc enim vigilantia, hæc pia cura & ſolicitudo ea omnia ſuggerit atque miniſtrat,quæ ad hoc regnũ capeſſendũ requiruntur.Quam ſit verò hæc vigilantia neceſſaria, propoſito decem Virginum exemplo commodiſſimè declarat. Et quidem Virginum nomine fideles omnes,ſiue probos,ſiue improbos in-

teiligit. Virgines autem appellantur, propter incorruptam fidei sinceritatem, quam Christiani omnes profitẽtur. Infideles enim & hæretici in literis sanctis adulteri & meretrices appellantur. Ex his autem Virginibus quinque fatuæ, & quinque prudentes esse perhibentur. Quo significatur, inter eiusdem fidei professores, alios probos, alios improbos, alios lucis, alios tenebrarum filios esse, hoc est, alios qui iuxta fidei suę prescripta, alios qui iuxta carnis & mũdi leges vitam instituunt: è quibus illos quidẽ prudentes, hos verò Dominus fatuos appellat. Harum autem virginum prudentiam atque fatuitatem in eo positam esse docet, quòd prudentes quidem Virgines acceperũt oleum in vasis suis cum lampadibus: quod tamen fatuæ facere neglexerunt. Lampadis autem nomine, quæ tenebras discutit, lucemque hominibus præfert, fides intelligitur, quę errorum tenebras dispellit, humanisque mentibus lucem præbet, viamque ostendit, qua
*Psal.* 118. homines rectà in cęlum tendere possint. Vnde est illud ex Psal.
*Prou.* 16. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. & Salomon, Mandatum, inquit, lucerna est, & lex lucis, & via vitæ increpatio disciplinæ. Olei verò nomine, quod his lampadibus infunditur, charitatis & misericordiæ, cæterarumque virtutum opera designantur: ad quæ nos fides ipsa dogmatibus suis inducit, quæque fidem ipsam perficiunt, roborant, & illustrant. Hoc est igitur oleum quod prudentes Virgines sibi opportunè prouiderunt, ne cùm sponsus adueniret, imparatæ inuenirentur. Quam quidem curam fatuæ virgines habere noluerunt, quæ fidei lampade contentæ, fidei opera sibi comparare neglexerunt.

*Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes virgines, & dormierunt.* Hoc in loco, dormitionis nomine, mors: dormitationis verò nomine, morbus, qui mortem antecedit, intelligitur. Quamuis enim tota hæc parabola, & quę illam anteceſſerunt, & consequuntur, ad extremum iudicij diem referantur; tamen extremus cuiusque vitę dies, iudicij dies illi est. Nec enim in extremo iudicio, quę in hoc fuerit sententia lata, reuocabitur.
*Media autem nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit, exite obuiam ei.* Quòd ait, media nocte, hoc est, intempesta nocte, significare voluit, hunc diem sæpè insperatum atque improuisum plerisque hominum contingere. Qui enim nimio huius vitę amore flagrant, omnem mortis memoriam, & commentationem ab animo suo repellunt. Non enim ad mentẽ id reuocare volunt quod sibi acerbum atque molestum futurum intelligũt. Huius autem
1. *Thes.* 5. rei gratia Apostolus diem Domini furi comparat, qui eo tem-

porę

pore irrepere in alienas ædes solet, quò domini vel dormiunt, vel nihil tale suspicantur. Hinc Salomon ait, Nescit homo finẽ suum, sed sicut pisces hamo & aues laqueo, ita homines capiuntur tempore malo. Frequentissimè enim eo tempore mors irrepit, quo minus vẽtura cogitabatur. Puer enim adolescentiã, adolescentes iuuẽtutem, iuuenes senectutem, senes decrepitam etiam ętatem sibi pollicentur. A qua tamen spe depellere homines naturæ cõditor voluit: ideóque in omnibus ætatibus morti aditum præbuit. Passim enim videre licet & infantes, & pueros, & adolescentes, & iuuenes, & senes in omnibus his ętatibus è vita decedere, ne quisquam ætati suæ tutò fidere audeat. Ea tamen hominum stultitia est, vt cùm pauci admodum sint qui ad canos, extremamque senectutem perueniant, ipsi tamen tacita quadam persuasione se ad illam peruenturos pollicentur: quos tamen longè aliud cogitantes in medio cursu immatura mors abripit. Hinc de improbis in libro Iob scriptum est, quòd subitò moriantur: quia videlicet eo tempore moriũtur, quo ij nihil minus quàm mortem cogitabant. Hinc D. Gregor. Nesciunt, inquit, mali mortalia mortaliter cogitare. Vita deficit, & desiderium crescit, res habita corrumpitur, & habendi anxietas non finitur. Hos autem meritò D. Augusti. in Sermon. arguit his verbis: Nónne casus nostros nob scũ in hac carne portamus? Nónne fragiliores sumus, quàm si vitrei essemus? Vitrum enim etsi fragile est, tamen seruatum, diu durat: quod tamen homini non contingit. Denique (vt D. Hieron. ait) quotidie morimur, quotidie commutamur: & tamẽ immortales nos esse credimus. Hęc igitur fallax persuasio facit, vt sæpissimè nos improuisa mors adoriatur. Quam rem significare Dominus voluit, cùm media, hoc est, intempesta nocte sponsum aduentare dicit. Sequitur deinde.

Eccles. 9.

Iob 21.

Gregor.

August. in sermo.

Hieron. in Epist.

*Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades suas,* hoc est, fideles omnes, siue probi, siue improbi, imminente mortis atque rationis reddendæ periculo prępararari incipiunt, vt venienti sponso decẽter occurrãt. Tunc lampades suas ornare incipiunt, hoc est, fidei, quam habẽt, bonorum operum oleum adiungere. Cùm enim fides illos extremi huius periculi admoneat, cùm videant se protinus æquissimo iudicio examinandos, cùm eadẽ fides doceat, eos qui bona egerunt, ituros in vitã ętternam, qui verò mala, in ignem æternũ, hęc firma fides improbos etiã & profligatos homines eo tempore vehemẽter vrget, dum quatuor illa nouissima eis ob oculos ponit, hoc est, mortẽ, iudiciũ, gehennam, atque cælestem gloriam. Quid autem (vt D. Bernar. ait)

Ioan. 5.

Bernar.

ait)horrib lius morte? quid terribilius iudicio? quid intolerabilius gehenna? quid iucũdius gloria? Hęc igitur quatuor sese fluctuanti menti offerunt, quorum nouissimum timet ne amittat, illa verò, ne in ea impœnitens incurrat. Quę autem sese miseris eo tempore offerãt, qualésque in eorum animis versentur cogitationes, Eusebius Emiss. declarat his verbis: Cogitem? qui luctus erit negligenti animæ ex hoc corpore decedẽti: quæ angustiæ, quę caligo, quę tenebrę, cùm ex illo aduersariorũ numero prima occurrere cœperit conscientia, diuersis circumiecta criminibus. Ipsa enim remotis omnibus probationibus, ipsa ingerenda est oculis nostris, vt nos & cõuincat probatio, & confundat agnitio. Non illi licebit vel celare aliquid, vel negare, vbi non de longè & aliunde, sed de intus processurus est accusator, & testis. Idémque paulò ante hæc verba, Ecce, inquit, transierunt illa omnia tanquam vmbra, abierunt oblectamenta, & sola in perpetuum opprobria & crimina remanserunt. Quid ergo erit, cùm rebus humanis vale vltimum dicens, mortem ante se habens, & vitam post se relinquens, in illud horrendum pertrahetur profundum? Quia enim ibi nulla erit iam parandi victus aut vestitus solicitudo, nulla laborandi, militandi agendíue occupatio, nulla facultatis, aut honoris ambitio, solus mẽtem omnibus aliis curis vacuam intolerandus reddendę rationis terror implebit: solum atque totum iudicij pondus captiuis sensibus imminebit Hactenus Emiss. Hic autem timor (vt D. Gregor. ait) tanto in morte fit acrior, quanto retributio vicinius formidatur. Inueniet enim homo post pusillum, quod in ęternum vitare nó poterit. Hoc igitur metu correpti homines, prętęritę vitę maculas pœnitentia diluere, & pristinos mores corrigere parant, & à Domino tum commissorum veniam, tum diuturnioris vitę spatia postulant. Vnde in Vitis Sanctorum legimus, quẽdam in agone mortis cõstitutum, metúque diuini iudicij perterritum, magna voce clamare cœpisse: Indutias vsque manè, indutias vsque manè.

Deinde etiam ad piorum hominum suffragia se conuertũt, eorum se precibus, meritis & sacrificiis commendantes, vt pro se apud supernũ iudicem intercedãt, & has ab illo indutias postulent. Hoc est enim quod significat illa fatuarum virginum ad prudentes deprecatio: *Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostræ extinguntur*: hoc est, meritis & precibus vestris inopię nostrę consulite, & has nobis à Domino inducias longioris vitę postulate. Hinc legimus monachum quendam iuniorem post admissum crimen acerbè lamentantem, ad quosdam monachos, qui ad

magnum

magnum illum Antonium proficiſcebantur, dixiſſe: Orate ſenem, vt ſaltem decem dierum inducias mihi ad pœnitendum impetret. Qui tamen quinto pòſt die vita functus eſt.

Cæterùm ad hæc prudentes Virgines, *Ne fortè, inquiunt, nõ ſufficiat nobis, & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis.* Quæ quidem verba nequaquam ſingillatim excutienda ſunt. Eſt enim illa D. Hieronymi regula ad ſcripturarum intelligentiam diligenter annotanda: Prudentem, inquit, ſemper admoneo lectorem, vt non ſuperſtitioſis acquieſcat interpretationibus, & quæ commaticè pro fingentium dicũtur arbitrio: ſed cõſideret priora, & media, & ſequẽtia, & nectat ſibi vniuerſa quæ ſcripta ſunt. Hactenus verba Hieron. His igitur verbis, quid prudentes virgines fatuis cõſulant, deſignatur: nempe vt ad vẽdentes, id eſt, ad Eccleſiæ miniſtros confugiant: quibus diſpenſandi olei diuinæ gratiæ cura commiſſa eſt, quibus cæleſtis regni claues traditæ ſunt, qui ſacramentorum medicamenta miniſtrant, qui commiſſorũm veniam verè pœnitẽtibus tribuunt. Ad hos ergo pergite, & veræ pœnitentiæ atque charitatis (vt ita dixerim) prętio hoc vobis oleum comparate. *Dum autem vẽi emere: venit ſponſus: & quæ parate erant, intrauerunt cum eo ad nuptias: & clauſa eſt ianua.* Clauſa ianua, periculum deſignat extremæ pœnitentiæ. Vt enim D. Auguſtinus ait: Hac animaduerſione percutitur peccator, vt moriens obliuiſcatur ſui, qui dũ viueret, oblitus eſt creatoris ſui. Cui quidem ſententiæ illa quoque eiuſdem Auguſtini cohæret: Cùm vult, inquit, improbus homo, non poteſt: quia quando potuit, noluit: ideò per malũ velle, perdidit bonũ poſſe. Hoc ipſum autem confirmat quod protinus ſubditur: *Nouiſſimè verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes, Domine, Domine, aperi nobis.* Quibus tamen reſponſum eſt: *Amen dico vobis, neſcio vos.* Quæ quidem reſponſione non obſcurè huius pœnitentiæ periculum declaratur. Hinc D. Hieron. illa Hieremiæ verba explanans. In tempore afflictionis ſuæ dicent, Surge, & libera nos. ſic ait; Impudens poſtulatio, tempore neceſſitatis & anguſtię ab eo quęrere auxilium, quem in proſperitate contempſeris. Hinc etiam D. Auguſtin. Rogare morientes, non delicti pœnitẽtia, ſed mortis vrgẽtis admonitio compellit: nec dignus eſt in morte accipere ſolatia, qui ſe non cogitauit moriturum. Vnde idem, Non facilè, inquit, inueniuntur in aduerſitate præſidia, quæ non fuerunt in pace quæſita. Meritò ergo Dominus totius huius parabolę ſcopũ hac vna ſententia claudit: *Vigilate ergo, quia neſcitis diem neque horam.* Quam etiam in huius concionis fine breuiter explanabimus.

*Hieron.*

*Hieron.* In Hier. 2.

*Auguſt.*

Diximus,

I.

Diximus,si meminiſtis,fratres,Dominum in hac ſacra lectio ne prudẽtium ac fatuarum virginum nomine,probos & improbos homines(qui fidem tamen rectam habeant) ſignificare voluiſſe. Quærendum autem modò eſt,cur his eos nominibus appellare voluit. Neque enim ſumma Patris Sapientia fruſtra his hominibus vſa eſt. Hoc eſt igitur quod in reliqua concionis huius parte ſolicitè à nobis indagandum eſt. Cùm autem huius parabolæ ſcopum in fine Dominus propoſuerit; cùm dixit; *Vigilate ergo,quia neſcitis diem neque horam*, ex hac vel cura, vel negligentia vigilandi, prudentia, & fatuitas iſta diiudicanda eſt. Excutiamus igitur quæ ſint prudentis, quæ fatui hominis officia.

Primum igitur prudentis hominis officium eſt, in finem ſibi propoſitum oculos coniicere,& ea quæ ad finem cõſequendum commodiſſima & aptiſſima ſunt,eligere. Quemadmodũ enim nauigaturi primum quidem quem debeant portum petere, vident,deinde eò nauigationis curſum dirigunt: ita vir prudens in quem finem fuerit à Deo conditus, prudenter attendit,deinde cætera omnia prouidet. Conſtat autem in hunc finem hominem à Deo conditum eſſe,vt ſuæ illum fœlicitatis & beatitudinis conſortem efficeret. Quo fine nihil excogitari poteſt magnificentius,nihil ſublimius. Non enim alia Dei,alia conditi hominis,ſed eadem fœlicitas eſt,quæ in aperta diuinæ pulchritudinis contemplatione conſiſtit: quamuis ſe ille pleniſſimè comprehendat,nos autem illum apertè quidem videamus,minimè tamen comprehendere poſſimus. Qua ſit autem via ad hanc gloriam perueniendum,Saluator expoſuit, cùm pio cuidam adoleſcenti dixit: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Hic igitur finis eſt, fratres,ad quem à ſummo rerum omniũ Domino flecti & informati ſumus; vt nobis quidem hæc ampliſſima cœli ac terræ palatia,nos verò conditoris noſtri mandatis obtemperãtes,immortalis vitæ,atque ſempiternæ fœlicitatis compotes efficeremur. Non enim ad ludum aut iocum,non ad epulas,& fœdas carnis voluptates,non ad fluxas & interituras opes congeréndas optimus ille ac ſapientiſſimus opifex pulcherrimam hanc mundi fabricam condidit. Indigniſſimum enim tanta illa ſapientia & bonitate erat,hanc tantam rerum molitionem ad res adeò futiles & inanes condidiſſe,& continua prouidentia tot ſeculis moderari, niſi aliquid maius atque ſublimius animo deſtinaſſet. Huius autem rei vel ignoratio,vel obliuio, malorum omnium, quæ in mũdo geruntur, cauſa eſt; cum homines finis

*Simile.*

*Matt. 19.*

ſui

sui obliti, per deuios saltus, variosque amfractus viarum errabundi miserrimè vagentur. Sic enim multi viuunt, quasi ad sola huius mundi bona fruenda nati essent, quasi in hoc seculo non vt peregrini, sed vt ciues vitam agerent, quasi hic non vt in exilio, sed velut in patria & genitali solo degerent. Hæc igitur malorum omnium, quibus mundus scatet, causa & origo est. Quam rem sanctus ille Propheta lamentabatur, cùm diceret: Sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui. Quia igitur hęc obliuio tot malorũ causa est, meritò quidam vir sapiẽs his verbis Dominum precabatur. *Thren.* 1.

*Largire ergo mihi Rex ò dignissime Regum,*
*Vt te cognoscam, & placeam tibi: deinde sciam me,*
*Quid sim, qua in terris causa productus, & vnde*
*Huc veni, aut quò tandem vita functus abibo,*
*Quid mihi dum viuo sit agendum sitque cauendum.*

Hoc ipsum igitur nos assiduis precibus à Domino contendere debemus, fratres, vt veram solidamque prudẽtiam assequamur, & quid nobis dũ viuimus facto opus sit, intelligamus. Hoc est enim fidei lampadi oleum infundere, dum ea opera molimur, quę nos ad eum finem consequẽdum adiuuant, quem nobis fidei lampas pręscribit.

Est & aliud viri prudẽtis officium magnam videlicet temporum habere rationem, & quid vnumquodque illorum exigat, studiosè prouidere. Tres enim prudẽtiæ partes Philosophi statuunt, memoriam, quæ præteritum tempus recolit, perspicientiam, quæ præsenti se tempori accommodat: & prouidentiam, quæ futura, priusquam euenĩat, vel ex causis antecedentibus, vel ex præteritarum rerum collatione prospicit, & anteuertit. Sic enim prudentes duces & imperatores aduersus hostium exercitum dimicaturi, in pace ea sibi præsidia atque arma comparant, quibus in armorum certamine vsuri sunt. Cùm ergo inter omnia quæ futuro tẽpore speramus, nihil morte certius, nihil sit periculosius (quandoquidem extremus ille dies de tota æternitate sententiam feret) prudẽter viri boni tota se vita ad hunc finem præparant, neque vllum negotium huic anteferendum cẽsent. Vnde quemadmodum prudentes nautæ tranquillo mari nauis armamenta præparant, ne eos exorta subitò tempestas imparatos inueniat: ita vir probus atq; prudẽs tranquillo vitæ tempore futurum mortis reddendęque rationis periculum cogitatione pręuenit, & quibus se ad illud rationibus parare possit, tota mente prouidet. Sera enim ad pericula in ipsis periculis pręparatio est. Ad hoc autem nos cælestis magister in *Simile.* *Simile.*

sacra

ſacra huius diei lectione hortatur,cùm & hac ipſa virginũ parabula,& aliis quę pręcedunt atque ſequuntur,ad vigilandum excitat.Quid enim aliud vigilare eſt,quàm ſomnum atque dormitantiam à mentis noſtræ oculis excutere , & ſemper in procinctu eſſe,ſemperque in excubiis aduentantis Domini pręſentiam expectare? His igitur de cauſis viri probi atque innocentes prudẽtium virginum appellatione à Domino deſignantur. Virginitate enim incorrupta eorum fides , vt antè diximus : prudentia verò hæc omnia viri prudentis officia ſignificantur.

II.

Cæterùm improbi homines diuerſa ratione fatui appellãtur quòd hæc omnia viri prudentis officia prorſus negligant,vtpote qui non conſilio,aut ratione aut fide,aut diuinis oraculis,ſed temeritate,cupiditate,affectibus , & cęco multitudinis iudicio vitã & actiones ſuas dirigũt.Primùm enim, nullã prorſus finis, ad quem à Deo conditi ſunt,rationem habent.Quo fit , vt ignorato aut perperam conſtituto fine neque ſeipſos agnoſcant, & itineris per quod tendere deberent , obliuiſcantur. Itaque miſeri & amentes intra ſeipſos quaſi peregrini in aliena regione errant:alia ſciunt, ſeipſos neſciunt:aliena indagare cupiunt, ſua negligunt:aliorum & genus,& parentes,& fortunas,& fœlicitatem inquirunt,nunquam autem vnde primùm orti,vnde in hunc mundum miſſi,quis eorum parens, quis opifex quis condiderit,in quẽ finem condiderit, ad mentẽ reuocant. Quo quid eſſe dementius , quid à rationali creatura magis alienũ?

*Eſa. 42.* Huiuſmodi namq; hominẽ Prophetica voce Dominus corripit,cùm ait:Qui vides multa nonne cuſtodies?qui apertas habes aures,nónne audies?

Venio nunc ad aliam nõ minus miſerandam perditorum hominum fatuitatem atque inſaniam:in qua nõ modò pueris infantibus,ſed belluis etiam quàm ſimillimi ſunt:ait enim Cicero:Inter hominẽ & belluã hoc maximè intereſt,quòd hæc tãtum quantum ſenſu mouetur,ad id quod adeſt,quo quæque præſens eſt , ſe accommodat,paulùm admodum ſentiens præteritum & futurum Homo autem,qui rationis eſt particeps:per quam conſequentia cernit,cauſas rerum videt,earumque progreſſus & quaſi anteceſſiones non ignorat , ſimilitudinibus comparat,rebùsque pręſentibus adiungit atque annectit futuras:facilè totius vitæ curſum videt,ad eámque degendam præparat res neceſſarias.Hactenus Cicero Si igitur hac in re homo à belluis diſtat,quòd nõ ſolùm pręſẽtia,ſed etiam præterita,a

*Cicer. 1. Offic.*

præcipuè

prę̃cipuè futura ex cauſis antecedentibus proſpicit ac prouidet, inter ea autem quę futuro tempori ſeruantur, mors omniũ certiſſima maximeq; omnium formidabilis ſit: an nõ belluis ſimilis erit, qui ſola præſentia curat, hoc verò certiſſimum maximeque formidandum periculum prorſus negligit atq; contemnit. Cùm enim mors nobis omnibus ex æquo impendeat, ac penè in foribus cuique & in inſidiis poſita ſit, & in ea decerni diuino iudicio debeat, vtra nobis ſors in tota ſeculorum ęternitate contingere debeat: hoc eſt, vt vel in cœlo omnibus deliciis cũ Deo & beatis illis mentibus perpetuò fruamur, vel in gehenna cum principe tenebrarum æternis ignibus torquendi ſimus: rotaque huius tanti negotij ſumma in eo poſita ſit, vt paratos nos hæc hora deprehendat (quemadmodum cœleſtis magiſter nos in ſacra huius diei lectione docet) cùm hæc ita ſint, quid, quæſo, dementius, quàm quòd nos ſic vitam noſtram inſtituamus, ſic terrenis rebus incũbamus, vt nulla huius tantæ rei cura, nullo metu, & ſolicitudine tangamur: ſed in maxima pace & tranquilitate in vtramque aurem dormiamus, perinde atq; omnia quæ hac de re nobis diuinitùs nuntiantur, mera ſomnia atque fabulę eſſent.

Auget autem ſtultitiæ & ſocordiæ huius admirationẽ, quòd vbi de terreno aliquo lucro, aut hæreditate quæ poſt mortem expectatur agimus, mors & incertus vitæ exitus ſolicitos nos efficit, & crebrò illius memoriam refricamus: cùm verò de ptę paratione ad ea (vnde ſalus & æterna vita pendet) differimus, nõ magis illius recordamur, quàm ſi immortales & æterni eſſemus. Itaque ſi quod vel Principis vel Eccleſiæ beneficium cũ vita ſimul finiatur, dictu mirum eſt, qua cura & ſolicitudine mortis memores damus operã, vt illud ad hæredes noſtros poſt mortem transferatur. Tunc enim anxij ſumus, tunc de incerta mortis hora ſoliciti trepidamus, ne illa intercepti, beneficium cum vita ſimul amittamus: qui tamẽ an cum ipſa corporis vita ęterna mors nobis ſubeunda ſit, nihil omnino curamus. Nec in his ſolùm rebus, ſed in omnib⁹ etiam aliis, in quibus aliqua vtilitatis ratio habetur incerta mortis conditio cogitatur. Qua de re ſic D. Chyſoſt. Sępè vir quando vxorẽ ducere vult, mortis meminit in deſponſatione, & ſcribit in dote. Nondum introducta eſt, & mors ſtatim deſcribitur nondum cõuixerunt, neque nuptiæ habitæ, & morrem ſtatim definit. Nondum nuptam vidit, & mortis aduerſus illam calculos proponit, ſcribi enim in hunc modum; Si mortuus fuerit vir ante mulierem, ſi mulier ante virum, hoc & hoc diſponatur. Sic formaræ ſunt pa-

*Chryſo. 3. Tom. homil. de fide & ſpiritu 5.*

triæ leges Vbique omnibus naturæ ſunt monumenta: & non ſolùm eorum qui ſunt, & viuunt, mortis feruntur ſententiæ, ſed eorum qui nondum nati. Quid enim vltrà dicit? Quòd ſi natus fuerit filius,& mortuus fuerit:&c. nondum natus, & ſententia lata eſt. Hactenus ille. Ex cuius verbis colligere apertè licet,quàm ſit lamentanda perditorum hominum fatuitas atque demen ia:qui cùm tantam incertæ mortis rationem habeant, vbi aliqua terrenę vtilitatis iactura,aut commoditas intercedit nullam prorſus eiuſdem memoriam retinent,cùm res omnium maxima in diſcrimen vocatur. Quis igitur hos verè fatuos &amentes non iudicet,qui cùm tantam præſentis vitæ curam habeant,tamen neque futuri temporis,neque reddendæ rationis vlla cura tanguntur?

Hoc eſt igitur,fratres,,quod me tanta admiratione afficit,vt frequenter etiam in ſtuporem adducat. Quis enim nõ ſtupeat, cùm videat homines qui rerum etiam minimarum,quibus fluxæ opes,aut popularis aura perichitantur,tantam curã habeant rei omnium quę cogitatione fingi poſſunt maximæ,nulla cura moueãtur. Si in Academia Salmanticenſi primaria iuris ciuilis cathedra diſcipulorũ ſuffragiis alicui candidatorum tribuẽda eſt,vbi ſchedulis ſuffragia in vrnam coniiciuntur,totaque Academia,atque adeò tota ciuitas ſuſpẽſa huius rei exitum pręſtolatur,qua ſolicitudine,quo æſtu &angore candidatorũ pectora agitantur,quę ſibi ſors obuentura ſit expectantes! Si ergo huius incertæ ſortis expectatio adeò mentes hominũ ſolicitas reddit (in qua de rebus craſtina die perituris agitur) quonãmodo extremæ illius ſortis atque ſententiæ expectatio,qua vel in cœlis omnium delitiarum copia frui debemus, vel in gehenna tam horrendis pœnis torquendi ſimus, agitur, mentes noſtras non ſtupefacit, & concitat? Monſtri ſimile eſſet, ſi oculorum acies, puncta minima apertè cernens, ingentem molem ac montem minimè cerneret: at quanto monſtroſius eſt minimarum rerum cura diſrumpi, maximarum verò & rerum naturam omnem ſuperantium,nulla ſolicitudine commoueri?

*Simili.*

*Simile.*

Ariſtoteles vltimum terribilium eſſe mortem aſſeruit: at longè aliud iudicium habebit, qui Dominum audit in Euangelio dicentem: Nolite timere eos qui occidũt corpus,& poſt hoc nõ habent vltrà quid faciant: oſtendam vobis quem timeatis: Timete eum, qui poſtquam occiderit corpus, habet poteſtatẽ mittere animam in gehennam: ita dico vobis, hunc timete. Quales ſint autem gehennæ cruciatus,quot pœnarum genera,quãta eorum acerbitas, etiam Gentiles Philoſophi a; Poëtę ali-

*Ariſtot.*

*Matt. 10.*

quo

quo modo præsenserunt. Sic enim quendam eorum, post varia eius loci tormenta enumerata, dicentem leginius.

*Non mihi si linguæ centum sint, oráque centum,*
*Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,*
*Omnia pœnarum percurrere nomina possem.*

Nullus enim sensus, nulla vis animæ ibi est, quæ nō peculiari aliquo cruciatu commissorum pœnas luat. Vt hoc: utem aliqua saltem imagine intelligatis, fingite hominem adeò vehementer podagræ morbo laborātem, vt nullum sit in toto eius corpore membrum, nullus in manibus pedibusq; articulus, nullæ in cruribus, brachiis, humerisque iuncturæ, in quibus nō acerbissimo dolore crucietur: atque hoc modo is in lecto decumbat, tot veluti spiculis vndiq; sauciatus, voces & clamores miserādos in cælum tollens. Hac igitur imagine (si præsentia mala futuris assimilari licet) pœnarum illarum acerbitatē poteritis vtcumque animo contēplari. His etiā adiungite atras illas tenebras & profundam noctem, cui nulla succedit aurora: horrendas dæmonū larvas, edacem conscientiæ vermē, scorpiones atq; serpentes, de quibus Ecclesiastic⁹ meminit, & ardētes flammarū globos, inter quos velut pisces in mari infœlices animæ volutantur: quodque mala omnia superat, salutis desperationem, æternamq; diuinæ pulchritudinis videndę priuationem (quæ à Theologis damni pœna nūcupatur) quam adeò atrocē esse sancti Patres definiūt vt damnatorū animæ, si illis optio daretur, quæuis alia gehennę torméta, quā hui⁹ priuationis cruciatū perpeti mallēt. Quamuis enim ad pœnam sensus illa referātur quę Propheta dicit, Ignis, sulfur, & spiritus procellarū, pars calicis eorum, hęc tamē poste rior pœna omnibus aliis multò est acerbior. Quę cū ita sint, an non verissimè Saluator ait, non esse timendos qui corpori vitā adimunt, sed qui animam detrudere potest in gehennam? *Psal. 10.*

Sed ad institutum redeamus. Cùm ergo statim à morte decernendum sit, an in hunc locum perpetuo deturbādi, an in superis illis beatarum mentium sedibus collocandi simus, quomodo huius tam disparis sortis cōsideratio non totam post se mentem nostram ebibit ac rapit? Quomodo aliud animo agitare, alia cura magis solicitari possumus? Cyrillus post D. Hieronymi mortem Augustino scribit (si verè tamen hæc illius Epistola est) duos homines, vira functos, ante sancti viri tumulum fuisse ad vitam reuocatos: qui quamdiu in hac vita superstites fuerunt, in continuis lacrymis & gemitibus luctuosissimam vitam agebant: demirariq; se vehementer aiebant, qui fieri posset *Cyril.*

posset,vt qui in fine vitæ rationē Deo reddituri,& de tota æternitate sententiam audituri essent,ridere aliquando,ac non semper lugere possent.At nos qui hæc & scimus,& firma fide credimus,non modò ridemus & oriamur, sed multis etiam sceleribus iudicem nostrum(ante cuius tribunal sistendi sumus)offendimus.An non igitur fatuitas atque adeò cæcitas hæc omnem superat admirationem?

Sed quæret aliquis forsan,quibus se solatiis isti miseri consolentur, cùm hoc tam ingēs rationis reddendæ periculum fides illis vel renitentibus etiam,ante oculos frequēter ponat. Multi quidem fatuarum virginum exemplo ad finem vitæ pœnitētiæ propositum differunt. In quanto autem salutis discrimine isti versentur,vix vlla oratione exprimi potest. Certè tota huius Euangelij parabola in hoc præcipuè à Domino destinata est, vt nos huius tanti periculi admoneat. Cùm enim doceat,eas virgines quæ paratæ erant,intrasse cum sponso ad nuptias, eas verò quæ tunc primùm parari, & oleum quærere cœperunt,excluſas fuisse,apertè docet:cuius periculi sit ad extremum vitæ tempus pœnitentiæ propositum differre.Ideoque opportunè nos admonet,cùm subdit: *Vigilate ergo,quia nescitis diem neque horam.* Hoc est:quoniam tota salutis vestræ ratio in hoc posita est,vt vos adueniens sponsus paratos inueniat (quod prudentium virginum exemplo liquet)consequēs est,vt omni tempore vigilare debeatis,hoc est,vt omni tēpore parati & bonorū operum oleo referti sitis. Si enim quo is tēpore vēturus esset, intelligeretur, potuisse tis quidem opportuno vos tempore ad illū excipiendum prępa rare:quia verò hoc prorsus ignoratur, totiusque salutis vestræ summa in hac præparatione posita est,semper vtiq; vigilare debetis. Quod qui non faciunt,sed ad extremū tempus pœnitentiæ propositum differunt,quid aliud quàm miserandam fatuarum virginum sortem expectare possunt? Pœnitentia enim sera ratò vera,ratiùs aut nunquam perfecta, semper autem incerta. Nemini certè,quam diu in hac vita degit,spes salutis deneganda est(in via enim adhuc, non in termino viæ sumus)sed hanc tamen nouissimam pœnitentiam,in ijs præcipuè,qui obstinatis animis tota vita in sceleribus perdurarunt, periculosissimam esse,omnes sancti Patres definiunt. In cuius rei fidem Adrianus Pontifex in quarto Sentent. vbi eam quæstionem tractat,sit ne aliqua certa periodus peccatis hominum constituta, horribilē in hac re diui Hieronymi sententiam(si ea tamen diui Hieronymi est)citat sic enim ait: Vix è centum mille hominum, quorū mala fuit vita,in morte diuinam indulgentiam obtinebit vnus.

Hanc

Hanc ſententiam inſignis ille doctor & Pōtifex allegat:de cuius veritate diſputare ad me non ſpectat:quam fortaſſe exaggerandi cauſa prolatam exiſtimo:ea tamen non minimam timoris cauſam nobis exhibet.

Quæ cùm ita ſint,fratres: quid aliud ſupereſt, niſi vt cæleſtis magiſtri conſilium amplectamur, qui maximam noſtri curam gerens(vt pote quos pretioſo ſuo ſanguine redemit)opportunè nos his nouiſſimis verbis admonet:*Vigilate ergo,quia neſcitis diem neque horam* Cuius rei cùm multi ſint fructus,non poſtremus ille eſt,quòd mortem non trepidi & anxij,ſed læti atque gaudentes excipiemus:intelligentes,piorum hominum mortem,non tam mortem eſſe,quàm natalem diem,quàm finem laborum,& coronarum initium. Conſtat enim piorum mortem aditum eſſe ad immortalitatem,vitæ oſtium,ſcalam cæli,pontem quo ad regnum tranſeūt,triumphalem diem,imo & natalem: in quo terrę corpus commiſſum ſeminatur in corruptione, ſurget in incorruptione,ſeminatur in ignobilitate,ſurget in gloria: ſeminatur in infirmitate,ſurget in virtute:ſeminatur corpus animale,ſurget corpus ſpirituale. Ideoq; uſti in morte non mœrere: ſed reſpicere & leuare capita iubentur. Hanc igitur tantam lætitiam(eo præſertim tempore,quo alij magno metu quatiuntur, quid aliud quàm firma futurę ſalutis ſpes: ex diuina miſeratione,& bona conſcientia proueniens,parere poteſt? Quemadmodum enim qui ex humili caſa palatium ingens extruere volūt, libenter quidem vetera diruunt:quod ea melius inſtaurandа ſperant:ita viri iuſti libenter patiuntur huius habitationis domum diſſolui:quod eam in reſurrectione perfectiſſimè reformandā eſſe fide credunt,& ſpe quodammodo attingunt, cum Apoſtolo dicentes:Scimus enim quod ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur,quod ędificationem ex Deo habemus, domum non manu factam ętternam in cęlis:Hęc autem domus fratres:iis parata eſt:qui ſplendidæ fidei lampadi bonorum operum oleum adiungere ſtudent:hoc eſt:qui pietate,iuſtitia patientia,vera cordis humilitate:fraterna charitate: obedientia,corporis & animi caſtimonia:ac præcipuè miſericordię operibus illam ſibi,dum hic viuerent:compararunt:quibus in fine Dominus dicturus eſt:Venite benedicti Patris mei:percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi.

*Similes*

2.Cor.5.

Matt.25.

# In festo Sanctarum Virginum concio secunda, in qua lectio Euangelica explanatur.

THE. *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inuenta autem vna pretiosa margarita, abijt, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.*

ARISTOTELES initio naturalis philosophiæ (de qua scribere instituebat) primo loco declarat, quo ordine & ratione sibi sit in eo opere philosophandum. Innata est, inquit, via nobis, vt à notioribus ad minus nota procedamus. Notiora verò ea esse ait, quæ sensu percipiuntur, quàm quæ solo intellectu. Quò fit, vt manifestiora sint nobis quæ videntur, quàm quæ non videntur, & quæ corpore constant, quàm quæ spiritu solùm. Illa enim viciniora nobis sunt, hæc verò procul posita, & ideò à cognitione nostra remotiora. Adde his etiam, quòd omnis nostra cognitio sic ortum habet à sensu, vt nihil sit in intellectu, quin id prius fuerit in sensu. Quo fit, vt sensibilia quidem per se cognoscamus, intelligibilia verò non per se, sed veluti per manus aliorum. Et hæc quidem inter homines & Angelos non minima differentia est, quòd hi, cùm simplicis & spiritualis naturæ sint, simpliciter & immediatè spiritualia (quæ illis similia & cognata sunt) intelligunt, nos verò non ita, nisi corporearum rerum vtamur ministerio. Hoc animaduertens humanæ salutis amator Dominus (qui de seipso ait, Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia) cum homines erudiendos susciperet, ea potissimùm ratione docendos curauit, quæ ipsis essent maximè consentanea. Sic enim diuina Sapientia tanquam prouida & pia mater infantiæ nostræ se accommodat, non quidem suo, sed nostro nobiscum more agens. Vnde non solùm in Veteri testamento, crasso illi rudi populo per corporearum rerum species loquebatur, sed in Nouo etiam per parabolas ad populum sæpè concionatus est, in quibus per notas nobis rerum corporearum naturas, regni cælestis dereg it sacramenta. In sacra autem huius diei lectione quatuor nobis vtilissimas parabolas proponit, videlicet thesauri abscondit i in agro, margaritæ prætiosæ, sagenæ missæ in mare, & diuitis patrisfamilias conuiuium instruentis, de quibus nobis hodie, aspirante diuina gratia, differendum est. Vt autem mysteria, quæ in his parabolis recondita sunt, piè & vtiliter enodare, & in lucem proferre valeamus, cœlestem opem, sacratissimæ virginis interuentu, suppliciter imploremus.

*Esaiæ* 48.

AVE

AVE MARIA.

*Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro.* Scitis iam, fratres, regni cœlorum nomine non modo regnum ipsum, sed omnia etiam quæ ad hoc regnũ aliqua ratione spectant: significari. Hoc autem in loco, in quo regnum cœlorum thesauro abscondito comparatur, huius thesauri nomine quidam virginitatis virtutem intelligunt, quæ in humano corpore velut in agro quodam abscondita est, ideoque hæc sacra lectio in festo sanctarum Virginum ab Ecclesia recitari solet. Quantus autem hic thesaurus sit, declarat sanè corona illa aureola quæ Virginibus in cœlo reposita est, & cælestis item vita eorum qui verè virgines sunt: vt pote quæ ab innumeris curis & solicitudinibus libera est, quibus coniugatorum vita est referta. Hoc ipso autem thesauri nomine virtutem hanc D. Bernar. appellauit, qui cùm adolescens noctu ab improba quadam fœmina impetitus esset, & ipse magna voce clamasset, Latrones, latrones, & hoc ipsum semel atque iterum contigisset, excitatique famuli domum collustrantes nihil inuenissent, eumque frustra clamasse dicerent, sanctus adolescens respondit, Verè latro affuit, qui irreparabilem castitatis thesaurum furari volebat. Eadem quoque virtus simili ratione non modò thesauro, sed etiam pretiosissimæ margaritæ comparatur. Quæ enim margarita pretiosior, quàm pura mens in corpore puro? Pro hac igitur margarita comparanda sanctæ virgines omnia vendiderunt, quæ verè dicere potuerunt, Regnum mundi, & omnem ornatum seculi contempsi propter amorem Domini mei Iesu Christi, quem vidi, quem amaui, in quem credidi, quem dilexi. *Bernard.*

Quia verò natura sic comparatum est, vt quæ sunt valdè pretiosa, sunt etiam ad seruandum difficilia: idem etiam in hac virtute locum habet. Hæc enim virtus supra humanæ naturæ conditionem hominem attollens, Angelis similem facit, dum eorum puritatem imitatur, nisi quòd mirabilior est hominum quàm angelorum puritas: quod enim in angelis facit natura, in hominibus facit gratia: & angeli quidem hoc corpore viuunt, virgines autem in carne triumphant.

Cùm sint autem multæ virtutes, quibus hæc virtus sepienda atque munienda est, (est enim caro ieiuniis & vigiliis, & asperitate vitæ maceranda, est oratio, qua diuinum auxilium imploratur, frequentanda, est diligens custodia externis & internis sensibus adhibenda) tamen inter hæc ipsa omnis peccandi occasio, omnia lapsus pericula, omnia seu virorum seu fœminarum, suspecta contubernia, summa cura & studio vitanda sunt. Hinc

autem cautioni retinendæ (vt cætera prætermittamus) satis nobis esse debet vel vnius Salomonis exemplum, qui, quoniã hæc pericula neglexit, in tantũ nefas prolapsus est, vt idolorum aras & templa alienigenis vxoribus suis erexerit atque dicauerit. Qua ex re liquidò apparet, virũ iustum pari propemodum studio peccãdi occasiones atq; ipsa eadem peccata vitare debere, quas videmus tantum sapientissimo Regi periculum peperisse.

*Exod.34.* Cauerat autem lata lege Dominus, ne filij Israel alienigenas vxores ducerent, certissimum fore asserens, earum contubernio atque blanditiis ipsorum animos emolliendos, & ad Deorum alienorum cultum euocãdos. Hãc autem cautionem Salomon (nimium fortassè sapientiæ & religioni suæ fidens) neglexit, atque ita demùm in tantum præcipitium miserabiliter corruit.

*Eccle.7.* Quocirca rectè Sapiens, Qui, inquit, timet Deum, nihil negligit, quia videlicet imbecillitatis suæ conscius, sibi prorsus diffidit, ideóque nulli se periculo exponere audet. Atque vtinã idem Salomon consilii sui memor fuisset, cùm dixit, Sapiens timet, & declinat à malo: stultus transilit, & confidit. Itaque vir sapientissimus immodico fœminarum amore excæcatus nõ sapientis timorem & prudentiam, sed stulti confidentiam sectatus, in tãtam foueam præcipitatus est. Quisquis igitur hũc adeò formidabilem casum attentè considerauerit, nõ poterit altissimam in eo diuinorum iudiciorum abyssum non admirari, & ne quid sibi simile accidat nõ vereri, cùm nemo securitatem sibi in hac vita (quę tota tentatio esse dicitur) polliceri debeat. Idemque cùm Dominicam orationem proferet, flagrantiori affectu extremam illam petitionem pronuntiabit, Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Quocirca prudenter & cautè admodum D. Hieronymus amicum Nepotianum, & nos

*Hieron.* omnes in illo admonet his verbis: Omnes puellas & virgines Christi aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige, nec in præterita castitate confidas. Nec enim sanctior Dauide, neque Salomone potes esse sapientior. Memẽto semper quòd paradisi colonũ de possessione sua eiecit mulier. Eandem nos habere cau-

*Aug. de habitatione clericorum & mulierum.* tionẽ diuus Augustinus his memorabilibus verbis admonet: Grauem inimicum sortita est castitas, cui non solùm resistendum, sed dimisso freno longius fugiendum. Nec eò minus illę fugiendæ sunt, quæ religiosę videntur, quia quanto religiosiores, tanto citius alliciunt, & sub prætextu pietatis latet viscus libidinis. Experto crede, expertus loquor, coram Deo non mentior. Cedros Libani, duces gregum sub hac peste cecidisse reperi, de quorum casu non magis suspicabar, quàm

de

de Ambrosij, vel Hieronymi impudica turpitudine. Hactenus Augusſt. Quiſquis igitur his talium virorum exemplis atq; ruinis non commouetur, nõ metu concutitur, nõ de caſu & ruina ſua ſolicitus eſt, aut ſuperbiæ & præſumptionis ſpiritu vexatur, aut certè de mẽte deductus eſt. Hæc paucis de caſtitatis cuſtodia dicta ſint. Quę omnia N. ſanctiſſima hæc virgo prudenter attendens, illibatum virgineę caſtitatis florem perpetuò cõſeruauit & in carne non carnis vitam agens, cum Angelis hodie (quorum amauit puritatem) in cælis coronata triumphat.

Cæterùm plerique huius Euangelicæ lectionis interpretes, theſauri abſcõditi, & pretioſę margaritę nomine, perfectã charitatem, & clariſſimũ ſapientię donum (ad quod cętera Spiritus ſancti dona ordinantur) commodiſſimè intelligunt. Quiſquis enim hoc cæleſte donum percepit, facilè omnia quæcũq; in mundo magna & pretioſa habentur, vt eo plenius fruatur, diſtrahit, & præillius amore contemnit.

Ne quis verò erret, ſciat tenui admodum limite à ſe charitatem, & hoc ſapientię donum diſtare: vnde neque charitas ſine ſapientia, neque ſapientia ſine charitate eſſe poteſt. Verùm ſapiẽtia actionũ nominat intellectus, in quo ipſa velut in ſubiecto eſt, quam charitas perficit & informat, charitas verò volũtatis opus eſt, in qua ipſa ſibi ſedem conſtituit: quę tamen charitas ſine Dei cognitione atque ſapientia non eſt.

Verùm hoc in loco grauis inſurgit quęſtio, eadémq; digniſſima quę à nobis hodie tractetur. Apparet enim has Domini parabolas, quarum altera de abſcõdito theſauro, altera de pretioſa margarita eſt, nomine tenus differre. Vterque enim homo, ſiue is qui theſaurum, ſiue qui margaritam inuenit, ſimili cupiditate inductus, omnia ſua diſtraxit, vt theſaurum illum, vel margaritam ſibi compararet. Nullum igitur in his diſcrimen eſſe videtur, niſi quod in priori parabola theſauri, in poſteriori, margaritę nomen ponitur. Sed magnum in vtraque ſimilitudine diſcrimen eſt, magnumque diuinæ bonitatis argumentum, & magnum item infirmitatis & ſpei noſtræ ſolatium. Et quidem theſauri, & margaritæ nomine, eandem charitatis perfectionem, idemque ſapientiæ donum intelligo, ſed diſcrimen tamen vtriuſque parabolæ inter illa duo, inueniẽdi & quærendi eſſe puto. In priori enim parabola, is qui dum agrum foderet, theſaurum inuenit, nihil tum de theſauro inueniendo cogitabat, ſed caſu illum inuenit, at mercator, qui in poſteriori parabola margaritam inuenit, non vtique caſu illam, ſed magna diligentia quæſitam inuenit. Qua quidem diſtinctione duas

Dominus parandæ diuinę gratiæ vias explicare voluit. Alij enim gratiam, quam non quęrunt, gratuita Domini misericordia inueniunt: alij verò magna cura & studio quęsitam, eodem Domino aspirante inueniunt. Itaque alij gratiam quęrunt: alios verò ipsa quodammodo gratia præuenit, & quærit: vel (vt rectius dicam) alios quærit ipse Dominus, alij Dominum quęrunt: illi quidem fęliciores: isti diligentiores: vtrique tamẽ Domino debitores. In illis quidem commendatur gratia, in istis studium ac diligentia: sed in vtrique diuina misericordia. Duę nobis peccatrices fœminæ commodissimum huius differentiæ exemplum prębent, Samaritana, & Chananęa. Samaritana enim cùm ad puteum venit vt hauriret aquam, nihil minus quàm de inuenta gratia cogitabat. Hæc igitur Dominum non quærebat, sed à Domino quæsita est, & gratię eius beneficio præuenta. At Chananæa, quo ardore & contentione misericordiam Domini petebat? quæ toties ab eo repulsa, nunquam à flagitãdo destitit,
*Mat.15.* donec ab ipso audire meruit, O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. In illa igitur euidentius elucet gratia, in hac verò studium ac diligentia, sed in vtraq; tamen magna Domini misericordia. Magna enim misericordia fuit, non quęrẽtem quærere: & magna item, mulieris mentem ad studiosè quærendum
*Phil.2.* excitare. Si enim fides (vt Apostolus ait) Dei donum est, magna ergo fides erit vtique magnum donum Dei. Idem ergo Dominus qui se obtulit Chananęæ quęsitus, eandem quoque magna illa fide concessa impulit ad quærendum. Si alia prioris gratiæ exempla quæris, Paulũ cogita cùm in paradisum raptus est, & Matthæum publicanum, & Petrum atque Andream mittentes rete in mare, & Iacobum atque Ioannem retia sua reficientes, cùm à Domino ad apostolatus dignitatem vocati sunt. Isti igi-
*Ioan.15.* tur, aliíquè similes, quibus Dominus ait: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, aliud planè agebant, cùm thesaurum, quem non quęrebant, inuenerunt.

Dixi autem paulò antè, magnum hoc esse infirmitatis & spei
*Exod. 33.* nostræ firmamentum, atque solatium. Cùm enim salus & fœlicitas nostra ex eius præcipuè voluntate pẽdeat qui ait, Miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit, &, Nõ est volentis, nec currentis, sed miserentis Dei: angi, atque animum deponere infirmus homo potuisset, ac dicere: Quis scit an ego ex eorum numero sim, quibus hæc fœliciſſima sors contingere debeat: quos videlicet gratuita beneficentia sua Dominus pręuenire velit? Ne igitur hac cogitatione homo frangatur, sciat duplicem nobis aditum ad diuinam gratiam consequendam

dam patere, in quorum altero gratia, in altero verò gratia simul cum humana commendatur industria: Quòd si tu ex eorum numero non sis, quos sine labore gratia quęrit non quærentes, altera tibi salutis via patet, vt videlicet studiosè quæras, & inuenias: Quòd si hoc diligenter effeceris, magnam ex hoc cõiectu ram habes, quòd aliquam iam ex parte inueneris. Neque enim studiosè quæreres, nisi iam rei quam quæris odorem aliquem percepisses, & nisi te idem ipse, quem quæris, ad quærendum incitasset.

Hac igitur duplici ratione Dominus inęstimabiles gratiæ suæ opes mortalibus distribuit. quãdo alios gratuita beneficẽtia pręuenit, séque illis gratuitò offert, lios ipse excitat ad quęrendum, seque illis duplici beneficio offert quæsitus. Hanc porrò Dei nostri magnificentiam cõmendant duæ eius insignes laudes atque virtutes, misericordia scilicet, & veritas, quæ toties in hymnis Dauidicis repetuntur, quas idem Vates ait faciem Domini præcedere, Misericordia, inquit, & veritas præcedent faciem tuã. Quo loquẽdi genere significare voluit has duas virtutes esse quasi vexilli feros & antesignanos, qui sempiterni Regis faciem præcedunt, qui illum vbique comitantur, neque ab eo vnquam diuellũtur. Vnde alibi idẽ Vates sanctus, Vniuersæ, inquit, viæ Domini misericordia & veritas. Et quidem veritate Dominus implet fideliter promissa, misericordia autem præbet benignè gratuita. Veritate soluit debita, misericordia donat etiã non debita. Veritatis suæ iustitia nemini facit iniuriam, misericordia autem multis non debitam impendit gratiam. Veritate exequitur iustitiam, misericordia donat gratiam. Veritas ad ęquissimum iudicem, misericordia ad benignissimum patrem magis spectat. Nihil est igitur quod amplius in Deo nostro desiderare infirmitas atque inopia nostra debeat, quando is hęc duo nobis ostia ad gratiæ suæ opes comparãdas aperuit. Si iustus es, habes iustissimum operum tuorum præmiatorem: porrò si peccator, si pauper & inops es, habes misericordiarum parentem, ad cuius opem confugere possis, si tamen ex ea nõ peccãdi ansam, sed impetrandi fiduciam sumas. *Psal.88.* *Psal.24.*

I.

Sed iam quid vterque fecerit, siue is qui thesaurum inuenit, siue qui margaritam, studiosius inquiramus. Vterq; igitur vendidit omnia sua, vt margaritam, & agrum illum cõpararet. Hic enim *præ gaudio illius abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit agrum illum*, fœliciorem se thesauro illo, quàm omnium rerum suarum possessione futurum ratus. Vt autem huius thesauri digni-

gnitatem & opulentiam intelligatis,paulò altius huius dignitatis cauſæ à nobis repetendæ ſunt.

Eſt igitur ſciendum,quòd quemadmodum fides(quę diuinarum rerum cognitionem tradit) bonorum omnium initium & fundamentum eſt, ita contrà diuinarum rerum ignoratio, malorũ omnium radix eſt. Inter omnes autem huiuſmodi ignorantias periculoſiſſima ea eſt, quæ diuinarum rerum amplitudinem,dignitatem, ſuauitatem, & pretium ignorat. Cùm enim omnia quæ Dei ſunt,diuinitatis eius naturam ſuo quęq; modo referant,diuina autem amplitudo & opulentia, immenſa & infinita ſit,conſequens eſt,vt quæ diuina ſunt,immenſam quan-
*Eſaiæ 64.* dam dignitatem & amplitudinem præſeferant Hinc Eſa. Oculus,inquit,non vidit Deus abſque te, quæ pręparaſti expectantibus te. Quæ verba non ad bona gloriæ modò,ſed ad dona etiã
*Galat. 5.* gratię referenda eſſe Apoſtolus docuit. Per dona autem gratiæ, omnia Spiritus ſancti chariſmata,& fructus ſpiritus,quos idem Apoſtolus enumerat,ac præcipuè charitatem, ſapientiam,gaudium in Spiritu ſancto, & pacem illam quæ exuperat omnem ſenſum,intelligimus. Quæ dona talia ac tanta ſunt, vt quiſquis ea plenius deguſtauerit, facilè omnia quæ in mundo magnificentiſſima exiſtimantur, prę illarum amore contemnat. Quam
*Cant. 8.* rem apertè Sponſa de charitatis excellentia teſtatur, cùm ait: Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuę pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam. De ſapientiæ verò dono Salomon ait:
*Proue. 8.* Melior eſt ſapientia cunctis pretioſiſſimis,& omnia quæ deſiderantur,ei non valent comparari. Charitas verò & ſapientiæ donum,gaudiũ ſpiritus pariunt. Sapientia enim ſaporem quẽdam & ſpiritualem ſuauitatem ſecum affert: vnde & ſapientiæ donum deductũ eſt Hoc etiam gaudium omnibus mũdi gaudiis;
*Bernard.* cæterisq́, bonis eius eſſe anteferendũ D. Ber. apertè docet,cùm ait: Guſtata ſpirituali ſuauitate,deſipit omnis caro. Cuius quãta ſit vis,quantaq; ſuauitas, nemo, niſi qui fuerit expertus,cogitatione attingere poterit. Quiſquis igitur hãc diuini Spiritus ſuauitatem & gaudium (quod à charitate & ſapientiæ dono proficiſcitur) deguſtauerit: facilè omnia mundi gaudia,& cæteraquę in mundo pretioſa & magnifica habentur,præ huius margari-
*Similit.* tæ ſplendore atque dignitate cõtemnet, ac pro nihilo ducet. Vt enim clerici tenues Eccleſiæ prouentus facilè relinquunt,cùm pinguiores atq; vberiores pro illis recipiũt,ita qui hæc cæleſtia dona percipiunt,protinus terrena omnia(quæ ſunt his lõgè inferiora) præ illorum amore parui pendunt. Quamuis autem quanta ſit dulcedinis atque ſuauitatis huius vis & magnitudo,

nemo

nemo nisi qui eam plenius degustauerit (vt modò diximus) assequi possit. ratio tamen & fides omnes alias mundi voluptates & gaudia ab hac longè superari apertè demonstrant.

Primùm enim satis liquet, hominem corpore & animo constare, quæ duæ partes tam longo à se interuallo distant, vt altera nobis cum bellua, altera cum Angelis communis sit. Cùm autem sapientissimus ille mundi conditor sic naturas rerum instituerit, vt vbi maior esset dignitas atque præstantia, maior esset in operibus suauitas atque iucunditas, consequens est, vt quãtum mens nostra corpori præstat, tantum sint eius deliciæ omnibus corporis deliciis non solùm puriores atque diuturniores, sed multo etiam maiores. Quam rem Aristoteles quoque apertè docet, qui in altissimarum rerum vel exigua & obscura cognitione maximam suauitatem inesse testatur. Quòd si in hac naturali cognitione tantum esse delectationis philosophi crediderũt, quid erit si huic cogitationi charitatem, & sapientiæ donum adiungamus, quæ mentem nostram arctissimo dilectionis vinculo, Deo, hoc est, summo & infinito bono coniungunt? Quò enim gratia nobilior atque præstantior est quàm natura, hoc vtique delectationes, quæ ab hac cœlesti forma proficiscuntur, omnibus aliis mundi oblectamentis nobiliores atque maiores sunt. Quocirca nihil mirũ si qui has delicias plenius degustarint, omnes alias mundi delicias tanquam res ludicras & inanes respuant atque fastidiant.

*Prima ratio.*

*Aristot.*

*Secunda ratio.*

Adiiciam his aliam quoque rationem: ad cuius intelligentiam sciendum est, sic naturæ conditorem species rerum ordinasse, vt nunquam inferior species, quamlibet perfecta esset, superioris perfectionem attingere posset. Videmus enim sub animalium genere & hominem, & varias animantium species contineri, inter quas elephantem aiunt propius ad rationalem hominis naturam accedere, qui tamen quantumcumque in hac parte excellat, nunquam & hominis acumen & intelligentiam vllo modo pertingere poterit. Cùm ergo gaudium spiritus, & gaudium carnis plus quàm genere inter se differant, (aliud enim cœleste, aliud terrestre, aliud à Spiritu sancto, aliud verò à carne proficiscitur) consequens est, vt nullo modo hæc infima carnis gaudia cum altissimis illis diuini spiritus gaudiis vllo modo comparanda sunt.

*Tertia ratio.*

Adiungam his aliam quoque rationem, quæ spiritualis huius gaudij suauitatem maximè declarat. Ad hoc autem commodius intelligendum, meminisse oportet (quod est à nobis alio in loco dictum) nempè omnia quæ vitam habent, cibum quoque habere naturæ

*Cõcione 1. de Euchar.*

re naturæ ſuæ conſentaneum, quo vitam alant. Cùm autẽ omnia quæ viuunt, aut corporea, aut ſpiritualia ſint, corporeatum quidem rerum corporeus cibus, ſpiritualium verò, ſpiritualis eſt. Hinc Raphael Angelus ad Tobiam, Cùm eſſem, inquit, vobiſcum, per voluntatem Dei eram. Videbar quidem vobiſcum manducare, & bibere, ſed ego cibo inuiſibili, & potu qui ab hominibus videri non poteſt, vtor. Hunc autem cibum eſſe rerũ omnium conditorem Deum, apertiſſimũ eſt. Hic eſt enim Angelorum panis: hic cibus & potus, quo beatæ illæ mẽtes in illa æterna patria reficiuntur, paſcuntur, oblectantur, & inebriãtur, cuius hauſtu & potu fœliciſſima illa & beatiſſima vita, quã viuũt ſuſtentatur, & alitur. Vt enim animantium vita corporeo cibo, ita fœliciſſima illarum mentium vita ſpirituali atque diuino illo cibo ſuſtentatur. Cæterùm cùm homo, qua parte ſpiritus & mentis compos eſt, ſupernarum mẽtium naturam referat, conſequens eſt, vt eodem quoque ipſe ſpirituali ac diuino cibo alatur. Quo ſanè aluntur, qui purgatum animæ palatum habent. Hinc D. Auguſt. Deum appellat purgatæ mentis ſapientiam. Talis enim mens ineffabili ſuauitate atq; ſapore reficitur, cùm immenſam diuinæ bonitatis & pulchritudinis ſpeciem contẽplatur. Cæterùm cùm proprium ciborum omnium ſit, non ſolùm vitam alere, ſed etiam edentis palatum allicere atque oblectare, & quo cibus pretioſior atque delicatior eſt, eo dulcius palatum alliciat, atque oblectet. quid, quæſo, de cæleſti illo cibo, hoc eſt, de illo pane Angelorum iudicandum eſt? Quid, quæſo, aliud, niſi vt cuius eſt infinita & immenſa dignitas, ſit etiam infinita & immenſa ſuauitas? Cuius vel minima (vt ita dixerim) mica tantæ dulcedinis & ſuauitatis eſt, vt omnia mundi regna atque imperia, ac poſtremò omnia quæ ſub cælo condita ſunt, illi comparata, mera amaritudo eſſe videantur. Quid enim illis ſapiat, quid dulce ſit, cui ſapit ipſe Deus? Quis enim ſapor huic ſapori comparari poſſit? Hinc D. Aug. Illud, inquit, eſt verum gaudium, quod non de creatura, ſed de creatore cõcipitur: cui cõparata omnis ſuauitas, mæror eſt, omnis lætitia, triſtitia eſt, omnis copia, egeſtas eſt. Ideoque nihil mirum, ſi quicumq; hãc pretioſam margaritam inuenerunt, omnia ſua diſtrahant, hoc eſt, omnia terrena bona contemnãt quo ea plenius frui mereãtur. Hinc D. Gregor. Qui, inquit, cęleſtis vitæ dulcedinem, in quantum poſſibilitas admittit, perfectè coguouerit, ea quæ in terris amauerat, libenter cuncta derelinquit. In comparatione eius vileſcunt omnia, deſerit habita congregata diſpergit, inardeſcit in cæleſtibus animus, nihil in terrenis libet, deforme cõſpicitur

*Tob. 12.*

*Auguſt.*

*Auguſt.*

*Gregor. in homil.*

ſpicitur quidquid de terrenæ rei placebat ſpecie; quia ſola pretioſę huius margaritæ claritas fulget in mẽte. Hactenꝰ Gregor.

II.

Hæc igitur diuinæ ſuauitatis dulcedo, quam à charitate, & ſapientiæ dono proficiſci diximus, velut inſtrumentum quoddam eſt, quo Spiritus ille cæleſtis hæc admiranda virtutum officia operatur. Quo fit, vt quemadmodum ij qui in auibus cæli ludunt, exigua illis dulcique eſca oſtenſa, eas & ad ſidera penè mittunt, & ad manus iterum reuolare, eorũq; vocibus parere faciunt: ita ſanctus ille paracletus hac ſuauiſſima diuinæ cõſolationis eſca ſic piorum mentes afficit & oblectat, vt nihil illis durum, nihil aſperum, nihil difficile appareat, dũmodo hoc ſuauiſſimo pabulo reficiantur; pro cuius amore omnia mundi gaudia, omniaque terrena bona facilè contemnũt. Vt enim qui ab infima fortuna ad regiæ dignitatis ſoliũ euecti fuere (quod Dauidi Regi obtigit) contemnunt, illa omnia quæ in ea fortuna pretioſa & chara ipſis erant (maiorum enim comparatione illa omnia ipſis viluerunt) ita qui ad has cæleſtes opes fruendas beneficio Domini perducti ſunt, facilè præillarum amore omnia quæ in mũdo pretioſa & magnifica putantur, velut ſtercora reiiciunt atque contemnunt. Ad hunc etiam modum, qui ad virilem ætatem peruenerunt, vident ludicra illa, quæ puerili magnifaciebant, & pro quibus etiam cum coætaneis digladiabantur, ita qui ad hanc maturam ſpiritus ætatem peruenerunt, facilè cõtemnunt omnia quæ olim pueri non annis, ſed ſenſu magnifaciebant. Tales enim illud Apoſtoli dicere poſſunt: Cùm eſſem paruulus, loquebar vt paruulus, ſapiebam vt paruulus; quando autem factus ſum vir, euacuaui quæ erant paruuli.

*Simil.*

*Simil.*

*1. Cor. 13.*

Hoc autem ſtudium non vnius aut alterius ſancti, ſed innumerabiliũ, ac præcipuè Anachoritarum exemplo confirmare poſſumus: quorum multi non ſolum ingẽtia patrimonia, & ſpes maiores maiori animo contempſerunt: ſed etiam ſolitudinem, & crucis Chriſti mortificationem, atque aſperrimum vitæ genus amplexati ſunt, vbi hanc margaritam inuenerunt; hoc eſt, vbi charitatis, & ſapientiæ, diuinę q; dulcedinis ſuauitatem deguſtarunt. Ex quibus vnum duntaxat Bonoſum (qui ſanctorũ Anachoritarum inſtitutum & viam refert) pro illis omnibus in medium proferam: de quo ſic D. Hieron. (qui cum eo bonam ætatis partem egit) in Epiſt. ad Rufinum ſcribit: Bonoſus tutus, imò mens, & (vt verius dicam) noſter, ſcalam præſagatam Iacob ſomniante iam ſcandit, portat crucem ſuam, nec de craſtino cogitat, nec poſt tergum reſpicit. Seminat in lacrymis, vt in gaudio me-

*Hiero. ad*

dio metat: & ſacramẽto Moyſi ſerpentem in eremo ſuſpendit. Cedant huic veritati tam Græco quàm Romano ſtylo mendaciis ficta miracula. Ecce puer honeſtis ſeculi nobiſcum artibus inſtitutus, cui opes affatim, dignitas apprimè inter æquales erat, contempta matre, ſororibus & chariſſimo ſibi germano, inſulam pelago circumſonante naufragam, cui aſperæ cautes, & nuda ſaxa, & ſolitudo terrori eſt, quaſi quidam nouus paradiſi colonus inſedit. Nullus ibi agricolarum, nullus monachorum, ne paruulus quidem, quem noſti, Oneſimus, quo velut fratre fruebatur in tanta vaſtitate adhæret lateri comes. Solus ibi, imò iam Chriſto comitãte non ſolus, videt gloriam Dei, quã etiam Apoſtoli, niſi in deſerto non viderant. Non quidem conſpicit turritas vrbes, ſed in nouæ ciuitatis cenſu dedit nomen ſuum. Horrẽt ſacco membra deformi, ſed ſic melius obuiam Chriſto rapietur in nubibus. Nulla Euryporũ amœnitate perfruitur, ſed de latere Domini aquã vitæ bibit. Proponatur tibi ante oculos amice dulciſſime, & in præſentiam rei totus animo ac mente conuertere. Tunc poteris laudare victoriam, cùm laborem præliantis agnoueris. Totam circa inſulam fremit inſanum mare, & ſinnuoſis montium illiſum ſcopulis æquor reclamat. Nullo terra gramine viret, nullis vernans campus denſatur vmbraculis. Abruptæ rupes, quaſi quendam horrore carcerem claudunt. Ille ſecurus, intrepidus, & totus de Apoſtolo armatus, nũc Deũ audit dum diuina relegit, nunc cum Deo loquitur cùm Dominum rogat. Hactenus Hieronymus.

Sed hæc fortaſſe minus miranda: illa verò maiorem mentibus admirationem incutiunt, quòd non ſolùm inferioris fortunæ homines, ſed principes etiã viri, ſed reges ac reginæ vbi guſtauerunt bonum Dei verbum, virtutesq; ſeculi venturi, regna ipſa & principatus promptiſſimo animo relinquentes, Chriſti crucem flagrantiſſimo ſtudio amplexati ſunt. Hinc Theodoſij iunioris, Principũ omnium fortunatiſſimi atque ſanctiſſimi, ſorores, Pulcheria, Arcadia, Archemarina, quæ principibus eiuſdẽ imperij viris, atque adeò imperij conſortibus in matrimonio collocari, & imperij opibus atque magnificẽtia frui potuiſſent, his omnibus ſpretis atque contemptis, communi mente atque conſilio virginitatem ſuam Domino conſecrarunt. Quod neutiquam feciſſent, niſi cæleſtis Spõſi amor atque ſuauitas maiori eas vi ad ſe quàm tota huius mundi gloria rapuiſſet.

*Niceph. libr. 14.*

Sed hæc vetera ſunt. Noſtro quoque ſeculo non defuerunt Principes viri, qui & amplam domũ, & dignitatem, qua potiebantur, in ætate iam matura reliquerunt, eamque Chriſti paupertate,

pertate,& humilis obedientæ professione commutarunt. Inter quos nobilis quidam adolescens magnificæ domus atque dignitatis hæres,,cuius patrimoniũ maiores eius laboribus plus quã Herculeis terra mariq́ue toleratis,promeriti fuerãt, ſũma animi alacritate propter Christum reliquit, & asperrimũ monachorum institutũ(qui nudis pedibus, in arctissima paupertate & asperitate vitã agũt) amplexus est. Neque verò hoc iuuenili ardore atque impetu fecit, sed triennio ante ordinis ingressum,id mẽte,cogitatione,& vitę austeritate sic tractauit, vt parentes huic proposito, paterno amore repugnantes,constantia sua vicerit,eorumq́;consensum ad illud vitæ genus impetrauerit. Quanta ergo eorum hominũ demẽtia est, qui harũ rerum gratia(quas isti tanta alacritate calcarunt) nullos labores,nulla pericula,nullos bellorum motus, nulla turbulenti maris naufragia formidãt,quò sibi posterisq́;suis amplũ patrimoniũ parent? Iam verò quoties regnãdi libido filios armauit ĩ patres,quodq́;maiꝰ est,patres armauit in filios,quò sibi regni sedẽ vsurparẽt: Quę tamẽ omnia isti,inuẽta illa pretiosa margarita,velut purgamenta quædam & reiectamenta, mira facilitate calcarunt. Qua quidẽ ex re liquet,quã miserè seculi homines decipiantur, qui ne voluptatibus suis careant,ab hoc cælestis vitę proposito se subducunt, cùm in eo tamen tot sint diuini Spiritus solatia,quæ omnes mundi opes atque delicias longissimo interuallo superant,quemadmodum est à nobis tũ firmissimis rationibus, tum etiam clarissimis exemplis comprobatum.

Quòd si quis à me requirat, cur tam pauci sint qui hoc cælestis vitæ institutum amplectantur? Huius tanti mali causam initio esse diximus, rerum diuinarum ignorationem, quæ facit, vt has tantas diuinæ gratiæ opes quas hactenus exposuimus, non agnoscentes, voluptates quibus in hac vita oblectantur, cælestibus illis commutare nolint. A quo 1. *Esd.* 5. errore absunt, qui eas diuini Spiritus beneficio degustarunt. Qua in re simile quiddam euenire videtur,quod filiis Israel in secundi templi dedicatione contigit. Iuniores enim, qui prius illud magnificentissimum Salomonis templum non viderãt, opere illo absoluto lætabantur; contrà verò senes qui illud in gloria sua viderãt, lacrymas cõtinere non poterant. Ad hunc ergo modum qui nulla nisi huius mundi gaudia norunt, nihil his esse suauius atque iucundius arbitrãtur,at qui diuina illa spiritus solatia degũstarũt,miserãdã horũ sortem &cęcitatem lamentãtur;qui quoniam vera illa,solida,& diuina gaudia

nesciunt,sordidis & ludicris mundi gaudiis oblectantur.

Huius autem ignorantiæ causa partim quidem socordia nostra,partim sublimitas & altitudo horum donorum cælestium existit,quę ab humana cognitione longè remota sunt.Hinc de
Iob. 28. sapientia ipsa in libr.Iob scriptum est:Abscondita est ab oculis omnium viuentium:etiã volucres cæli(hoc est,sapiẽtes mũdi) latet.Quam etiam Saluator in sacra huius diei lectione thesauro abscondito similem esse ait.Verus enim ea thesaurus est,qui veris opibus hominem ditat:sed ab illis tamen neglectus, quoniam absconditus est.De spirituali verò dulcedine & suauitate,quam sapientiæ comitem esse diximus,sic diuinus vates ait:
Psal. 30. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!Magna quidem ea dulcedo est:quia tamen abscondita est,ab amatoribus voluptatum minimè quæ-
Apocal.2. ritur,quia ignoratur.Idem etiam illa Domini verba ex Apoc. innuunt,quibus se vincenti suauissimũ mãna daturum pollicetur.Quod nemo,inquit,scit,nisi qui accipit.Non igitur huius thesauri vtilitas,sed socordia & ignorãtia nostra in causa est,vt hoc tãto bono homines minimè fruantur. Verum de his iam satis.

## III.

Adiungit deinde Dominus tertiam parabolam,qua regnum cælorum sagenæ missę in mare comparat:quæ bonos & malos pisces intra se recipit:quorum quidem boni in vasis piscatorũ reconduntur:mali verò in sterquilinium proiiciũtur.*Sic erit*,ait Dominus,*in consummatione seculi.Exibunt Angeli & separabunt malos de medio iustorum & mittent eos in caminum ignis:ibi erit fletus & stridor dentium*.Ex hac parabola apparet, quanta salutis nostræ cura Saluator teneatur,qui nullum nõ mouẽt lapidẽ, quo nos ad veram salutem & pietatem traducat. In superioribus enim parabolis,thesauri,& pretiosę margaritę(quę duo magno perè ab hominibus desiderantur)nos ad mundi ac terrenarum rerum contẽptum inducere voluit,quò his tantis opibus frueremur.Quia verò multi magis pœnarum metu, quam vtilitatis more commouentur adiungit protinus horrendas gehennæ pœnas,& fletum,& stridorem dentium,& caminum ignis, in quo perditi homines perpetuò torquendi sunt:vt videlicet pœnæ terreant,quos præmia non inuitant.Nemo enim est(vt D. Augustin.ait)qui non magis laborem fugiat quàm affectet voluptatem quandoquidem videmus immanissimas bestias à maximis exterreri voluptatibus dolorum metu.
*Augustin.*

Cum sint autem multa ac varia gehennæ tormenta, hoc in loco

loco de camino ignis præcipuè fit mentio, qui humanę naturę maximè formidabilis est quamuis hæc pœnarum maxima nō sit (maior enim est diuinæ pulchritudinis beatifica visione per petuò) abdicari acerbissima tamen ignis, præcipuè sempiterni, pœna est. Cuius consideratione Euseb. Emiss. nos ad timorem Dominii, & peccati odium adhortatur his verbis. Illud autem quo nam modo trepidus sermo poterit explicare, cùm cœperit inexpiabilis caro & infectæ peccatis medullæ sæuis gehennę ęstibus penetrari, & depascentibus flammis corpora atque ani mas ex parte consumi, ex parte nutriri: vt inter medios ignū globos damnata natura det pabulum, & accipiat incremētum? vt opus atque figmentum corporis nostri in antiquis sceleribꝰ morruum, & ad sola tormenta rediuiuum, finem in ipso interi tus confinio non inueniat. Illa enim non casualis, sed rationalis & pœnalis exustio, quia culpam iubetur inquirere, substantiā nescit absumere. Hactenus Euseb. In hunc igitur caminū ignis improbos à felici bonorum cœtu diuersos esse detrudendos Saluator ait: in quo æternum fletum, & stridorem dentium futurum vaticinatur.

*Euseb. Emiss. homil. 1. ad monach.*

Hæc vbi dixisset, ad discipulos conuersus ait: *Intellexistis hæc omnia?* Dicunt ei Etiam. *At ille: Ideò omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias qui profert de thesauro suo noua & vetera.* Cum nullus apex in literis sanctis significatione vacet, quæri meritò potest, quid hac illationis nota *ideò*, significare Dominus voluerit. Quomodo enim similitudo consequens, de scriba docto in regno cælorū, cū superioribus, ac præcipuè cū ea quæ de segena in mare missa ponitur, cohæret, vt ex altera cōsequatur? Magna certè & grauissima ratione. Si enim tā magna bona piis proposita sūt (quæ cælestis magister thesauri, ac margaritæ nomine designauit) contrà verò si tam ingens improbis supplicium constitutū est, si illos caminus ignis manet, si flammæ vltrices, si mors immortalis, si pœna sempiterna, si fletus & stridor dentium, si separatio à cœtu & conuentu Sanctorum, & relegatio ad tartareas damnatorū regiones: si deniq; hæc res tāta est, vt nullus huius vię cruciatus adeò magnus sit qui cū hoc gehennæ supplicio collatus, nō leuissimus, ac penè ludicrus sit, ideò scriba doctus in regno cælorū, cuius munus & officiū est, salutaribus monitis atque doctrinis homines ab hoc tanto periculo eripere, & ad regnum cælorum dirigere, similis vtiq; diuiti patrifamilias esse debet, qui cū penu habeat omni genere escarum refertum, vbi solemne conuiuiū instruit dapes & pocula omnis generis partim recētia, partim vetera in

*Matt. 13.*

mensa profert. Ad hūc ergo modū Ecclesiæ doctor pectus habere debet omni sententiarum genere instructū (quas assiduo diuinæ legis studio sibi comparare tenetur) paresq; rei magnitudini, quam tractat, spiritus sumēs, omnibus rationum machinis hoc negotium vrgeat, nihilq; intētatū relinquat, nullū non moueat lapidē, & quidquid in thesauris diuinarum litterarum reconditū est, ad hunc vsum proferat: modò veteris Testamēti terroribus ac minis homines perterrefaciēs, modò noui Testamenti promissis & beneficiis alliciēs, atq; omni deniq; ratione illos à scelere ad pietatem, ab interitu ad vitā, à gehennæ incendiis, & camino ignis ad cæleste regnum traducere contendat.

Hæ igitur partes nostræ sunt, fratres, qui ministerium hoc verbi accepimus à Domino Iesu, vestræ verò sunt, vt hæc ipsa quæ diximus, dies noctesq; cum animo vestro cogitantes, ante iudicium paretis iustitiam: illud vnū supra omnia curantes, vt ante tribunal illud formidandum, non iudicandi, sed à vobis iudicati appareatis. Quod quidem præstabitis, si præteritæ vitæ maculas pœnitentiæ lacrymis diluentes, eas tanto studio atque ardore vitare studeatis, vt prius mortem, & extrema omnia pati quam mortiferū aliquod crimen admittere parati sitis. Si enim fiet, vt cùm Angeli à iudice missi, malos à bonis secernere incipiant, illos in caminum ignis præcipitantes, hos autem ad cęlestes mansiones deducentes, vos cum felicibus istis ab hoc formidabili ignis camino liberati, ad celestis gloriæ felicitatem & requiem perduci mereamur.

*Posteriorꝭ de præpuis Sanctorum festis tomi finis.*

